6-21 c 10

39

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

P. IACOBI BIDERMANI EPIGRAMMATA,

ET

HEROVM, AC HEROIDVM EPISTOLÆ.

P. IACOBI BIDERMANI

E Societate IESV

EPIGRAMMATVM LIBRI TRES.

VENETIIS, M. DC. LXVIII.

Apud Paulum Balleonium.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

LECTORI BENEVOLO

Bene.

EPigrammata, quæ mihi olim exciderant, & ſparſim, vt cuique licuit, effugerant tandem collecta, & recudenda placuit, aut Sacra, aut Hiſtorica eſſe, cæteris quibus idem color non eſſet magnam partem exauctoratis. Sacra quidem, quod decere meam profeſſionem alia vix videbantur. Hiſtorica dein, vt præter cætera placerent Martialis, & Claudianus perſuaſere, apud quos ea videbam primas tuliſſe; exceptaque ſemper eſſe cum plauſu. Atque eorumdem exemplo noſtra ſe quædam fortaſse longiuſcula defendent; vt ne cenſeamus Epigramma, niſi quod Nanum curtumque ſit debere nullum probari. Scio quoſdam ita iam nuper ſenſiſſe; ſed ſciant itidem ipſi à multis, magniſque, ſe diſſenſiſſe. Faue Lector, atque curas has æqui, bonique conſule.

EPIGRAMMATVM
LIBER PRIMVS.

CHRISTO

Domino Deoque ſuo ter opt. max. Sacer.

PROGRAMMA
AD CHRISTVM DOMINVM Deumque noſtrum.

CHRISTE pios luſus, primæ ioca parca Iuuentæ,
Et nullo imbutos accipe felle Sales;
Sparſa Lycãbeis hic nulla cruorib. haſta
Nulla per infamem iacta ſagitta Paphum.
Pota ſed Aonijs mihi Muſa eſt parciùs vndis,
Ebria ne nimius falleret ora liquor.
Nam, ſcio, Caſta probas, & verſo pollice damnas
Carmina, Peligno quæ maduere ioco.
Hinc veniam malè compta putat ſe Muſa mereri;
Optat enim domino Caſta placere meo.
Vos tamen hoc Phrygij reprehendere pergite Galli.
Plus bonus à vobis nollet habere liber.

EPIGRAMMATVM.

Liber Primus.

I.

Lacrimæ Chriſti Naſcenti.

SEV lacrimas feras, Chriſte, tuas tigris vlla videret,
In lacrimas tigris ſolueret ora ſuas
Siue tuos queſtus audirent ſaxa, repentè
Ad queſtus fierent mollia ſaxa tuos.
Chriſte, quid hoc monſtri eſt? Ego, te lacrimante, cachinno.
Et nihil, vſque licet, Chriſte, querare, queror.
Dura minus tigris eſt; Minus, an minus? aſpera petra eſt.
Ridet homo: fieret ſi petra, fleret homo.
Tigris ero; plora feræ modò pergite tigres:
Pergite dura queri Marmora, Marmor ero.

II.

S. Antoninus, ſpectris infernis illuſus.

Nox erat: at Noctem rutilæ fax æmula Lunæ
Mutato fieri iuſſerat ore diem:
Cùm vigiles ſine teſte trahens Antonius horas,
In ſua cæleſtem vota vocabat opem.
Quas vbi Larua preces Acheruntio ſenſit, ad arma.
Continuo ſocios è ſtige ad arma vocat.
Et vario terrore vijs Nemus omnibus implens
Mille ſuas voces tollere Monſtra iubet.
Mille repentè feras Antonius aſpicit Orci.
Vocaleſq; audit Mille repentè feras:

Sæ-

Setigeros grunnire Sues; rugire Leones,
Et patrio Arcadicos rudere more greges.
Et Lybicos barrire boues, & frendere tigres,
Atque vlulare lupos, atque vlulare canes.
Quod magis ſyluam confundere cœperat; idem
Mutata vidit rudere voce ſues:
Auritos rugire greges, grunnire Leones,
Et barrire lupos, atq; vlulare tigres.
Informes timuit Nemus hac in imagine formas,
Lunaq; diſcordes horruit excubias.
Sed formas ridens, voceſque Antonius, vltro
Exprobrat imbelli Punica monſtra Stygi:
Et, licet, Orcus, ait; Tigrimq;, Lupumq; Canemq;,
Atqúe referre Suem nouerit, atq; bouem:
Ora tamen Porci velocius, induit Orcus,
Nam ſimul addita erat littera, Porcus erat.

III.

Flagellum Chriſti, ſanguine purpuratum.

Iratus Domini poſt quàm nudata ſatelles
Intento cupijt terga ſecare flagro,
Sæuitiem voluit refugum damnare flagellum,
Immitemq: inter mitius eſſe manum.
Sed parere manus cùm cogeret impia, flagrum
In Domini Tergo protinus erubuit.

IV.

S. Felix, inter aranearum telas ab hoſtibus defenſus.

Vrbs vbi Nola ſtetit prælis vicina Falernis,
Ingenij ſpecimen grandis Arachna dedit.
Multus ibi Lector veſtigia fortè legebat:
Per quæ viſus erat Myſta dediſſe fugam.
Myſtaq: lictores iam ſenſerat eſſe propinquos,
Iam tergo iniectas penè coire manus;
Et nuſquam loca, tuta fugæ ſupèr vlla; nec vlla

Qua

Qua profugus poſſet fallere, vallis erat.
Numinis ergo fidem, querulo vocat ore: vocatã
Numinis ex templo ſenſit adeſſe fidem:
Nam veluti ſuberat felix diſcordia Muri,
Quem vacuo ruptum vidit hiare ſinu.
Huc ſubiens, hoc, inquit, habes, ſi viuis, Aſylum;
Aut certè tumulum, ſi morieris, habes.
Vix bene dum muri penetrat in abdita Myſtes,
Cùm patulas lictor reſtitit ante fores.
Suſpectaſq; ratus, ſubijt; niſi viſa iuberent
Iam penè illatum ſigna referre pedem.
Nam grauido velox è viſcere fila tetendit
Et medios illis clauſit Arachna lares.
Lictor vt hoc ſeptas vidit propetaſmate valuas,
Hunc ſibi ſuſpectum iam negat eſſe locum.
Arceturq; ſpecu, (quis credere poſſit?) aperto,
Ceu foret obiectis ſepta latebra feris.
Quippe iubente Deo, cùm neret aranea telam,
Tela videbatur, Murus ahenus erat.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

V.

B. Ignatius, iam cælo receptus.

Eminus aſpiciens ego quondam Sidera, dixi,
Aſtra placent; Serua res tibi, terra, tuas,
Nunc ipſis aliquid video formoſius Aſtris:
Parcite, ſordetis iam propè & Aſtra mihi:

VI.

Aliud de eodem.

Qua toties Oculis ſpectaſſe madentibus aſtra
Hoſpes in Auſonia fertur Iberus humo;
Illa, procul ſpectata licet, procul Aſtra placebant
Sordebatq; mero putida terra luto.
Nunc eadem Loiola videt dum cominus idem
Strata ſub emeritos Aſtra venire pedes.

Suſpi-

Suſpiciant alij gemmata palatia, clamat;
Iſta mihi, quamuis deſpiciantur, Amo.

VII.

S. Paulus Anachoreta, corui obſequijs paſtus.

In Peluſiacæ ſpelæo exegerat vmbræ
Secula cornici vix ſuperanda ſenes,
Huc ſubigente metu puer iuerat ille, notatos
Senſit vt affini proditione lares:
Illum nullus ibi, nullum ille ibi viderat: vni
Acta feras inter noxque dieſque fuit.
Sic bis dena ſeni properarant luſtra; nec vllo
Paſtus ab humano viſerat obſequio.
Sed cùm longa famem facerent ieiunia, ferre
Tunc ſibi morigeram prandia vidit Auem,
Illa ſeni, dum ſolus erat, ſtata fercula portans,
Farrea dimidia pro dapel ba dabat.
At peregrè longeuus ei cùm venerat hoſpes,
Attulit integras ala miniſtra dapes.
Vberiora dari ſi vis tibi fercula; plures
Inuita; ad numerum fercula Coruus habet.

VIII.

Chriſti facies in velo Veronicæ expreſſa: ad hominem ſpectatorem.

Cernis, vt in picto liueſcant vulnera velo?
Et pius à leſo defluat ore cruor:
Stant oculi lacrimis; infeſtant tempora ſentes;
Et caput impexis ſqualles inermе pilis,
Forma caret forma; color illi eſt abſque colore:
Qua fuit arte, rogas, picta tabella? Tua.

IX.

Chriſtus Dominus, tribus telis orbem fulminare paratus; ſed à Beatiſſima Virgine impeditus.

Numen vt excelſo deſpexit abæthere Terras,
Vidit

Vidit ibi ſtudijs omnia plena tribus.
Inde ſupercilijs incedere grandibus omnes;
Inde manum vetitis omnem inhiare lucris.
Ignibus inde omnes ardere Cupidinis. Et mox
Iſta triplex plectet crimina fulmen, ait.
Arreptoque manus impleuit fulmine; quale
Sparſerat in clades antè, Gomorrha, tuas.
Iamque ſtatas vindex in pœnas dextra rubeat,
Accidit à dominos cùm bona Virgo pedes.
Et quò ſpectat, ait, tanti, Deus, ira furoris?
Quemue tribus ferient tela triſcula minis?
Cerno quidem Terræ funeſta piacula; cerno.
Et dudum votis exſecror illa meis.
Si tamen irritant iſti tua fulmina mores,
Quando tuo intactus fulmine mundus erit?
Parce pia punire manu. Non cernis, vt ægro
Hic medicas orbi tendat, & ille manus?
Hic Franciſcus erat; Franciſci erat ille gemellus:
Alter ibi viſus Virgini, & alter erat.
Fulmina nunc peior timet altera mũdus. An alter
Fulmina Franciſcus qui remoretur adeſt?

X.

Ieſus puerulus Tergum ſerpentis ſtygij calcans.

Grandia Lethei premit infans terga colubri:
Nunquam aliàs orcus tam graue ſenſit onus.

XI.

Aliud ad eundem

Vix pede poſſe tuo conſiſtere crederis infans;
Et ſtygiam calcas iam pede vtroq: feram.
Ah ſatis informem planta dignatus es Hydram;
Stare poteſt humeris iam tua planta meis:

S.Be-

XII.

S. Benedictus, tintinnabulo vocatus.

Quà ſuper exeſis informia rupibus antra
Tergeminos ſpectant non procul eſſe lacus.
Hic totam Benedictus erat trieterida: & Hoſpes
Hoſpitis vnius conſcius vnus erat.
Vnus hic & panes, & fercula menſtrua furtim
Et reliquam farto corbe ferebat opem.
Fortè aliquando caua pendens à rupe, ſub imum
Fercula mittebat fune ligata ſpecum:
Tinnulaque oppleto ſuſpenderat æra caniſtro,
Aera, propinquantum tinnula ſigna dapum:
Cùm petijt ſaxo ſtyx tintinnabula, ne qua
Diſceret allatos hoſpes ab ære cibos
At nihil Orce ſapis, dum tinnula percutis æra:
Percuſſa audiri clarius æra queunt.
Fac tamen, vt nullo Benedictus ab ære vocetur:
Ieiunium poterit muta vocare Fames.

XIII.

In Sacrilegam manum, quæ Chriſtum cecidit.

Annæum ſtanti quondam Chriſto ante tribunal.
Inſontem manus eſt auſa ferire genam.
Siſyphe pone tuas, Ixion exue pœnas;
Omnis in hac debet viuere pœna manu.
Sed facilem ſceleri pœnam cur imprecor? ipſum
Tale ſibi facinus maxima pœna fuit.
Scilicet erubuit Deus inter verbera; quando
Militis in dextra debuit eſſe rubor.

XIV.

Imago B. Aloyſij, in Crucem intenta.

A Crucis aſpectu, Gonzagæ pendet Imago,
Ipſa, quod archetypon fecit, imago facit.

S. Men-

XV.

S. Menradus, familiaribus coruis vſus.

Gratuita Menradus aues cùm paſceret eſca;
Quam ſibi de dapibus dempſerat ipſe ſuis;
Alituum venere greges ad prandia iuſſi,
Turbaque Nutricem viſit alumna domum;
Venit,& aſſuetus furtis;licitaſque popoſcit
Iam melior,roſtro Coruus hiante dapes.
Sed quernas vbi latro ſudes in inerme patroni
Impius illiſit terque,quaterque caput,
Concidit ille pius defectis ſenſibus hoſpes,
Et volucrum altrices ſuccubuere manus.
Interea de more redit ieiunus ad eſcam
Coruus;at in manibus pabula nulla videt.
Aſſilit ergo frequens,& blandus adambulat;& quã
Sæpe datam meminit,poſcit alumnus opem.
Iamque latus roſtro,iamque alà verberat;ipſas
Officijque manus vngue iocante monet.
Parcere Menrado ſi fuſtis noluit;iſti
Debebatſaltem parcere fuſtis aui.
Nunc non vna tibi,latro,hæc fuit impie cædes,
Mactaſti inſontes fuſte,fameque duos.

XVI.

Puerulus Ieſus, gratia plenus.

Cùm Deus humanæ promitteret omnia genti,
Quæ vel habet Tellus,quę vel Olympus habet:
Obſtupuit nimio turbatus homuncio voto,
Nec ſibi ſat laxos eſt ratus eſſe ſinus.
Non capit,ò Superi mea veſtram anguſtia gazã,
Nec breuis effuſis ſufficit arca boni.
Componi poterunt hæc votis dona duobus;
Sit ſinus hic maior;Gaza ſit iſta minor.
Cauit vtrumq; Deus,dum per Compendia,paruo
Omnes in pueri corpore clauſit opes.

XVII.

Beatiſſima Virgo, & S. Eliſabetha.

Virgo parens Ieſu; Genitrix Ioannis Eliſa.
Felix quæque ſuo pignore Mater erat.
Magna ſed ante alias fuerit licet vtraque Matres,
Vtraque prole ſua debuit eſse minor.

XVIII.

Angeli infrà, circaque pedes Beatiſſimæ Virginis adpicti.

Libera ſublimi portatur in æthere Virgo,
Et colit impoſitos ſubdita Luna pedes;
Aligeri circaque volant, inſraque Miniſtri;
Ne mirare; ſuprà nemo volare poteſt.

XIX.

S. VVinalocius, mare ſiccans, & aridam irrigans.

Stabat in Oceani fugiturus littore; ſed nec
Nauta, nec in ſterili littore nauis erat.
Quo tendemus? ait, VVinalocius: Impedit omnem
Seu defecta ratis, ſeu maris vnda viam.
Sed licet obſtet, ait: pedibus tamen æquora noſtris
Omnia reiecta peruia puppe dabo.
Æquoris inde manu VVinalocius increpat vndã,
Et refugo hinc atque hinc paruit vnda ſalo.
Vitrea dixiſses inſurgere mænia; vidit
Qualia Etythreo ſurgere turba mari.
Tranſijt ergo pedes, mirantibus æquoris vndis,
Inque ſuum redijt tranſita lympha vadum.
Ad loca ſed poſt quàm VVinalocius arida venit,
Et ſquallente nouas puluere duxit aquas, (cedit
Quis nouus hic Moſes? Vbi lympha eſt, lympha re
Nulla vbi lympha fuit, lympha repentè fluit.

XX.

Ad Beatiſſimam Virginem,pro infantulo dormiente excubantem.

Sopiti bona claude parens duo ſidera nati:
Orbis habet ſoles,te vigilante,duos.

XXI.

Imago Pueruli Ieſu,veriſſimè lacrimantis.

Cernere ſi quis auet rorantia Numinis ora,
Lapſaque per madidas viua fluenta genas:
Cernat Apelleis hæc ora natantia guttis;
Tinctaque diuinis ora putabit aquis.
Quàm ſimiles ars fecit aquas? Hanc flere tabellã
Siue Deus vidit,ſiue tabella Deum.
Imò ſuos iterum ſi Numen funderet imbres,
Crederet hæc imbres eſſe tabella ſuos.

XXII.

S.Barbara Virgo Martyr.

Barbaricæ mihi nomen erat gentile puellæ,
In genitrix nomen iuſſit,id eſſe pater.
Sed dum vita meos oſtendit publica mores,
Mentitum nomen ſe videt eſſe meum.

XXIII.

S. Iodocus,annona diuinitus miſſa paſcitur.

Arcta fames,vacuæque grauis penuria menſæ
Auia deſertæ cinxerat antra caſæ.
Regius exul ijs Iodocus agebat in antris,
Pulſabatque pia perdius aſtra prece.
At quia dura fames ſpem vincere perſtitit omnẽ,
Atque manus nullam præbuit vlla ſtipem:
Terra rogatur opem:ſed opem negat arida tellus;

Imploratur Homo : ſed nihil audit Homo .
Audijt vnda precem:nulloque repente Magiſtro
Miſit pane graues ad famis antra rates .
Verterunt elementa fidem : Sitientibus olim
Vnda dabat potum ; nunc dedit vnda cibum .

XXIV.

Statua S. Petri, aſsiduè lacrimantis .

Ecce genas,longi monimenta perennia luctus:
Fundit adhuc veteres forma ſuperſtes aquas .
Innumeris peccaſſe putas hunc noctibus: vna eſt :
Noctem vnam innumeri iam doluere dies.
Hei mihi:quã longè,Petre,differo? Plurima Noxæ
Nox fuit;& pœnæ vix fuit hora mihi.
Erramus. Mea,Petre,tuis iam culpa querelis
Conuenit;& lacrimis iam tua culpa meis.
Commutare decet. Lacrimas ego fundere pergã ;
Parcere tu lacrimis incipe,Petre,tuis.

XXV.

Beatiſsima Virgo, ſtellis ornata, & filium vlnis complexa.

Stella humeros,& mitra caput,licet,aurea cingat
Implent dona meos nobiliora ſinus.

XXVI.

Anachoreta anonymus , difficili aquatione vſus .

Sueuerat aſſiduus longinquo ex amne,remotum
In magale ſuam ferre Sititor aquam:
Denique pertæſus;ripa decreuit in ipſa
Contiguam lymphis ædificare caſam .
Hæc meditans,hauſtũ referebat ab amne liquorẽ
Iamque extremus,ait,tu meus eſto labor.
Alterã enim Phœbus cum lucem oſtenderit orbi
Non eris à laribus lympha remota meis .
Dixit,& obuerſus cæleſtem vidit Ephebum

Ob-

Obſeruare ſuos,& numerare gradus,
Attonituſque rogat,quæ cauſſa ſubegerit ipſum
Sollicitè poſitos dinumerare pedes?
Ille,quot,inquit,habet ſollennis aquatio paſſus,
Tot ſua quiſque tuus præmia paſſus habet.
O numera:Duplicabo gradus,ait alter,& hauſtas
Littore ab extremo ferre placebit aquas.
Longius inde duplo ſolitas contendit ad vndas;
Viſuſque eſt duplo iam labor eſſe minor.

XXVII.

Beatiſſima Virgo,ab Angelo ſalutata.

Mortali cœleſtis Aue cùm lingua puellæ
Diceret,ò ſignum grande ſalutis Aue:
Erubuit mutata genas vultumque puella,
Et ſua in obiectam lumina fixit humum:
Conuenienter humi,Virgo,tua lumina figis,
Omnia ſunt oculis inferiora tuis.

XXVIII.

Angelus B.Virginem ſalutans.

Virginis ora Sacer cum talia cerneret Ales,
Qualia nulla hominis viderat ora prius:
Ad ſocios conuerſus,Humi procumbite,dixit,
Terra aliquid,Superi quod venerentur,habet.

XXIX.

Simeon Stylita.

Quæ nona ſublimi libratur in aere moles?
An rediuiue tuum Phœbe coloſſon habes?
Stat Simeon,oculiſque videt ſublimibus aſtra.
Excelſoque humilem ſub pede ridet humum.
Nulla dies illum,Nox cernit nulla iacentem.
Nec cernit Soles ille,nec Aſtra ſedens.

Stans videt vſq; diem, videt vſq; recedere noctē,
Stanſque aliam noctem, ſtanſque redire diem.
Sic vnam per luſtra premit plus dena columnam,
Et Simeone prius feſſa columna fuit.
Nubibus ex altis mortalia deſpicit, & ſe
Siue aduerſa ſupra, ſiue ſecunda, videt.
Iam cingare licet Simeon à nubibus iſtis;
Clarus in his orbi nubibus eſſe ſoles.

XXX.

Chriſtus ad ingratum hominem die Natali.

In ſtipula ſectoque puer dum vagio culmo,
Me colit obnixo ruſtica turba genu.
Stellata toties ego nunc tono maior ab aula,
Maioremque minùs me tamen illa colit.
Ingenio cogam; ſi non niſi parua coluntur,
Ad ſtipulas infans ergo redibo meas.

XXXI.

Imago Beatiſſimæ Virginis.

Pingeret ipſa ſuos ſi iuſta modeſtia vultus,
Virginis hæc huius pingeret ora ſibi.
Hinc, puto, Cœlicolis eſt tanta modeſtia; poſſunt
Illam de vultu diſcere, Virgo tuo.

XXXII.

Zeno Anachoreta ab Angelo reficitur.

Ibat inexpliciti memoris per deuia Zeno,
Quale tuum fertur, Creta, fuiſſe nemus.
Et neque iam gnarus quo tramite pergeret vltrà,
Et neque qua demum parte rediret, erat.
Interea cœpere ſimul diſcedere vires,
Et gelidi nullum robur habere pedes.
Eſca viatori deerat ſimul omnis, & vnda,

Inque via nullam viderat erro viam.
Opportunus ibi ſublimibus ales ab aſtris
Attulit in grauido munus vtrumque ſinu.
Ille diu dubium panem præferret,an vndam?
Suauis enim & panis,ſuauis,& vnda fuit.
Sæpe iube Zeno vires ſuccumbere; Morbum,
Talis vbi eſt Medicus,vel ſimulare velim.

XXXIII.

Ad B. Magdalenam in charta lachrymantem.

Seu tumulum fratris,ſeu Chriſti buſta reuiſis,
Seu notos Domini procidis ante pedes:
Tota mades lachrimis, & in omnibus vna tabellis
Aſſiduo pictos imbuis imbre ſinus.
Quando voles fletus,bona Magdali ſiſtere pictos?
Cum facies viuis veſtra madebit aquis.

XXXIV.

S. Lazarus, ante Ianuam diuitis obiectus.

Lazarus informi deformis ab vlcere,paruam
Oratum à magnis Ciuibus ibat opem:
Venit ad ingentem poſtremò diuitis aulam,
Certam ibi pellendæ ſpem ratus eſse fami.
Ebria enim ſonuit Calicum aula trahonib. ipſæq;
Exundante fores immaduere mero
Ergo parare preces,& vota mouentia,perſtat:
Eſuriens potas Lazarus ante fores.
Hic quamuis ſtridente vapor,nidorque culina
Plurimus,immenſas proderet eſse dapes.
Exiguæ Cereris micam tamen ille popoſcit;
Quæque petita fuit mica,negata fuit.
Crudelem attoniti Dominum fugere Moloſſi,
Et parcam auerſi deſeruere domum.
Spectatoque pedum mananti pure,iacentem
Ante ægrum placidi procubuere canes.

Et ſimul exſerto blandæ propetaſmate linguæ,
Certarunt laceros lambere quiſque pedes.
Quis docuit mores in auaris ædibus iſtos?
A veſtro certè non didiciſtis hero.
Dimigret in terris pietas, non emigrat: Eſſe
Quando recuſat homo, ſcit Canis eſſe pius,

XXXV.

Puer Ieſus, ſupra ſuum Nomen inſiſtens.

Ipſe tuum inſiſtis, Ieſu pulcherrime, Nomen;
Stare loco nuſquam nobiliore potes. (ges,
Nomen enim, famulo, quod adorant poplite re-
Solùm infra dominos debuit eſſe pedes.

XXXVI.

Chriſtus, ſpinis coronatus ad hominem.

Mitia quòd cingant implexi tempora ſentes,
Cœleſteſque tegat ſpinea ſilua comas.
Includenda nouo mea ſunt mihi tempora ſepto,
Paullum vt ab humana ſint mihi tuta manu.

XXXVII.

S. VVvlmarus, crepitaculo ad cœnulam vocatus.

Silua erat, & vacuæ VVvlmarius incola ſiluæ,
Et comes in ſilua nemo ſecundus erat.
Solus ei patrijs germanus ab ædibus, omnem
Sæpè miniſtrato pane ferebat opem.
Sed quoties veniebat opem laturus, vt alter
Eminus, allatas ſciret adeſſe dapes.
Inſonuit rauco ſtridore; famemque citauit
Penſilis iligna malleus in tabula.
Hoſpes ibi, quamuis auræque vndæque ſuſurros,
Facundaſque libens aure probaret aues,

Ger-

Germano pulſante tamen, de valle reuerſus
Stridentem tabulæ cœpit amare ſonum.
Et, licet, inquit, aues cantarint ſuauiter omnes,
Malleus accinuit ſuauius iſte mihi.

XXXVIII.

[*S. Scholaſtica, ritu columba in cælum euolans.*

Vltima clauſiſſet cum fata Scholaſtica, tolli
Candida confeſtim viſa columba fuit.
Quam Benedictus vbi conſpexit ad aſtra volantē,
Nunquam aliàs cupijt Dædalus eſſe magis.

XXXIX.

S. Sebaſtianus, ad ſagittarios tortores.

Brachia ſilueſtri religantur inermia trunco.
Aſtrictoſque tenet barbara ſilua pedes;
Ipſa etiam careant mea ne præcordia ſilua,
Penè aliam ſiluam veſtra ſagitta facit.

XL.

S. Clara, ferculum Euchariſticum præferens.

Prætentum geſtas ipſo præpectore Solem;
Iam bene te Claram dicere virgo potes.

XLI.

S. Landelinus, fontem eliciens.

Cùm fera Santonica ſquallerent prata Saburra
Siccaque fontanas terra negaret aquas:
Perculit elato ſitientia Teſqua bacillo
Hoſpes; & in baculi verbere pondus erat.
Imperium nam terra viri mirabile ſenſit;
Fundere prompta omnes, quæ peterentur, opes.
Auxilium rogat ille Siti; neque Terra recuſat,

Seu danda vnda foret,ſeu mera danda ſiti,
Dixiſset ſe vellet merum; mera vina dediſset;
Mellea dixiſset flumina,mella daret.
Optaſset Terræ lac iret ab vbere; ijſset
Lacteus inſuetis humor ab vberibus.
Tandẽ vndam optanti,Tellus dedit ilicet vndam:
Gratior hæc illi melle meròque fuit.
Nunc ſcio,cur Tellus tã prõpta profuderit vndas
Nam percuſsa graui verbere,fleuit Humus.

XLII.

Pueruli Ieſu fuga in Aegyptum.

Vix ingreſsus erat vicini Regna Canopi
Bethlemius profuga cum genitrice puer:
Vndiq; fracta Stygis crepuerũt monſtra; ruẽteſq;
Obſtupuere ſuos fana profana Deos.
Sic totus placidi tremit orcus ab ore puelli
Quid,quando iratum viderit orcus,aget?

XLIII.

Chriſtus fune ligatus ad mortales.

Brachia perplexus conſtringit inermia funis.
Atque iniecta duplex vincla lacertus habet.
Terra timere mei iam deſine fulminis iras,
Nulla queo vincta ſtringere tela manu.

XLIV.

Ieſus infantulus, in ſinu Beatiſſimæ Virginis.

Hunc ego ſæpe ſua poſcebam à matre puellum,
Quem mea complexu ſtringeret vlna ſuo,
Sed mater toties orata,negauit;& illum
A ſolito auelli noluit illa ſinu.
Hanc quoque ſæpe ſua poſcebam à prole Parentẽ
Acciderem charos cuius ego ante pedes.

Sed

Sed proles toties orata, tenacius hæſit,
Et ſine ſe Matrem noluit eſſe ſuam.
Quid faciam? Negat hęc puerũ; negat iſte parentẽ.
Nec vult alteruter ſe dare, vterque dabit.
Nam matri eripiam puerum; matérque ſequeris.
Vel matrem eripiam; ſponte ſequere puer.

XLV.

De Imagine Beatiſſimæ Virginis, filium ſinu geſtantis.

Quiſquis es, abſque meo qui me vis pingere nato.
Me ſine me potius pinge, dolebo minus.

XLVI.

S. Sabbas, lachrymis fontem eliciens.

Dum negat impoto Iuueni lux tertia potum.
Et metuunt quartam torrida labra diem,
Iam pallere color, iam victæ occumbere vires,
Et nullus vitæ cœperat eſſe vigor:
Nec niſi lucus erat circũ, & plaga inhoſpita circũ,
Inquè illa Sabbas, & comes ille plaga.
Iuſtitit hic fontem ſitienti quærere Sabbas,
Quæſiti nuſquam copia fontis erat.
Quæſijt humenti ſtagnantem in valle paludem,
Stagnabat nullis vallibus vlla palus.
Vertit ad aerias poſtremò lumina nubes,
Nulla in ijs ſignum nubibus vnda dabat.
Fleuit; & è lapſa ſali erunt flumina gutta,
Neſcieras fontem tam propè, Sabba, tuum.

XLVII.

Ad Beatiſsimam Virginem in tabula depicta, & cælitibus, Pueroque Ieſu cinctam.

Virgo, tuas circum placidè conſidere plantas
Æthereum famulo cum grege cernis herum.

Ergo tuum biſſena, licet, caput aſtra coronent:
Cingunt ſerta tuos nobiliora pedes.

XLVIII.

S. Thecla Virg. Mart. inter feras picta.

Tuta feras inter iam pictas viuit imago;
Vixi inter veras olim ego tuta feras.

XLIX.

B. Magdalena, ad Crucem procumbens.

Magdalis vt fixo moribundum in ſtipite vidit,
Quod quondam Aſſyrio lauerat imbre caput;
Et validis penetrata pedum veſtigia clauis,
Perque decuſſatas brachia tenſa trabes;
Stipite penderent humili ſi brachia, dixit;
Ferrem ego nunc palmis oſcula, Chriſte, tuis.
Scala foret; peterem terebrati pectoris antrum,
Ablueremque meis vulnus hians lacrimis.
Stans ego mulcerem madidis duo genua labellis
Nunc poſſum extremos prendere flexa pedes.
Malo pedes, ah malo pedes, pars corporis iſta
Iam didicit lacrimis ima fauere meis.

L.

S. Kunegunda, inter ignes illaſa.

Teſtatura viro ſaluum Kvnegunda pudorem,
In candente libens vomere fecit iter.
Exploratorem ſed vbi pede contigit ignem
Non fuit in planta ſenſus, in igne fuit.

LI.

Apollonius Anachoreta.

Nil aderat, niſi turba frequens, & plurima ſiluæ
Robora; & in ſilua nil niſi multa fames.

Solus

Solus in hac ſilua,turbaque,fameque Sacerdos
Magnanimà turbam voce famem que ſtitit;
Quippe manus cœlo cum tenderet,illa iubetur.
Quaslibet eſuriens poſcere turba dapes.
Ille volema petit Syrio dependula ramo;
Auditusque ſtatim poma volema videt.
Mala alius raro ſibi munere Perſica poſcit.
Perſica confeſtim mala cupita capit.
Hic ſibi vina rogat Campano Maſſica prælo
Campanoque bibit Maſſica vina cado.
Hic niueos optat,mollique ſiligine panes,
Continuò optanti miſſa ſiligo fuit.
Pæſtani placeant violaria naribus horti;
Dentibus hæc potuit ſilua placere magis.

LII.

In imaginem B. Agathæ.

Alternus viden vt graſſetur in vbera tortor?
Carnificeſque ferat Secta papilla manus;
Nec fluat humor adhuc: Dubitat natura, mamil-
Candidus has deceat,purpureus ne liquor, (las

LIII.

De fœdere inter cælum terramque icto.

Diſcordes animos cœlumq; ſolumq; gerebant,
Et nulla auditæ mentio pacis erat.
Fædera ſed poſtquàm dare mutua venerat ales;
Terram ſuam cauſſam dixit,& Aſtra ſuam.
Quippe pater terris,& mater defuit Aſtris,
Res vtriſque pari iure cupita locis.
Lis deciſa fuit;coierunt fœdera. Noſtris
Iuſſa nouum Terris aſtra dedere patrem.
Aſtris Terra nouam pacta eſt dare libera matrē;
Sic coiere lucro federa penè pari.

De

LIV.

De S. Catharina Senenſi, ſpinis coronata.

Spinoſo Catharina ſibi cùm tempora ſerto,
  Et vebribus ſeptum cerneret eſſe caput.
Cingite crudeles mea dixit, tempora, vepres:
  Non mea ſerta mihi, ſed tua, Chriſte dolent.

LV.

S. *Guthlacus, ex Rege Anachoreta.*

Patria regalis, Guthlace, palatia tecti,
  Et quicquid rerum, quicquid opumq: fuit,
Ipſa Semiramij faſtigia deniq: faſtus.
  Duceris æquoreæ poſthabuiſſe caſæ.
Scilicet obſeſſam pelagi ſpumantibus vndis.
  Eſſe tibi cenſes regia tecta, petram.
Hic in pane dapes; hic potum quæris in vnda,
  (Quanto erat in veteri lautior eſca domo)
Squamigeros alto tamẽ vndiq:ab æquore piſces,
  Pennigeroſq: vides pranſius adeſſe greges.
Accinit icta tuæ turba inter prandia menſę.
  Adnatat ad placidos illa caterua pedes.
Nempe tuæ cupiunt menſæ nunc eſſe miniſtri,
  Qui prius eſſe tuas ſe meminere dapes.

LVI.

Ad Chriſtum Dominum, in ludo ſpinis coronatum.

Ludit adhuc lictor tua circum tempora, Chriſte,
  Ah: quid aget, quando ſerius eſſe volet?

LVII.

Nathanael, orci inſidijs petitus.

Vt clauſi penetrale laris reſeraret, & arctas
  Panderet eluſo Nathanaele fores,

Inſti-

Inſtitit infernus, licet vſque occumberes, hoſtis
Vſque nouo cautum fallere fraude ſenem.
Altera nãque ſubit, mox altera, & altera in ora;
Ora ſuis credit congrua ſiqua dolis. (virilem.
Hac pueri in laruam; in laruam hac ſubit arte
Deprenſuſque tamen virque, puerque fugit.
Mox venit vt piſtor: mox vt piſtoris Agaſo;
Et mox quod piſtor, mox quod Agaſo, facit.
Iamque grauem duces ſenis ad magalia mulam,
Perſonatus, opem, mulio clamat, opem:
Mula ait, ingenti ſuccumbit onuſta caniſtro,
Porge manum; panes fert mea mula tuos.
Audijt orantem Senior; foribuſque recluſis
Extulerat primo limine penè pedem.
Ora tamen nôſcens Plutonia, riſit; &, emptos
Hos mihi, ait, panes hoc crucis ære volo.
Monſtratũque manu crucis obijcit indice ſignũ,
Et cruce, tota Ceres illa ſoluta fuit.

LVIII.

De milite ad Chriſti tumulum excubante.

Vrgeat impoſitum licet oſſa recondita ſaxum,
Et tumulum armato ſepiat haſta metu.
Oſſa tamen fugiunt rupto rediuiua ſepulcro,
Et ſtupet eluſas irrita tumba feras.
Et pauidus cuſtos abiectis diffugit armis.
Quemque prius tumulum ſepſerat haſta, timet
Nunc alio ſurgente times tibi funere, cuſtos?
Plus olim incipies ipſe timere Tuo.

LIX.

Heraclides, cruce ſerpentem fugans.

Ora lauaturus putealibus arida lymphis.
Et ſtagnante ſenex fonte trahebat aquam.
At pia, quo Phlegethon deluderet hoſpitis hora,
Clam

Clam demerſa ſuis imbuit hauſtra dolis.
Ergo venenatis vbi vaſa reduxit ab vndis,
Admouitque hauſtris arida labra ſenex,
Hydria deformes habuit conſpecta colubras,
Vt propè neſcires Hydria an Hydra foret?
Senſit ad eſſe ſtygis ludibria ſueta; nec ipſe
Ludere conſueta diſtulit arte ſtygem.
Nã ducta cruce ſignat aquã;cruce perculit Hidrã;
Excuſſoque bibit vana venena metu.
I nunc,& liquidos,ait, infice vipera fontes;
Quando eris Hydra mihi; claua erit iſta tibi.

L X.

De puero Ieſu duodecenni.inter Beatiſſimam Virg. & B. Ioſephum medio.

Stat puer,& geminum ſibi iungit amore parentẽ,
Et geminus puerum ſtringit amore parens.
Illa tenet dextram pueri; tenet ille ſiniſtram,
Dignus vterque manu tali, & vtroque manus.
Reſtat adhuc, video, pueri ò pars tertia reſtat:
Nemo pedes prenſat: da mihi, Chriſte, pedes.

L X I.

De eodem, inter B. Virg. & S. Anna medio.

Huc genetrix natũ trahit; huc trahit Anna nepo-
Illa ſibi totum flagitat, illa ſibi. (tem,
Ah differ, hanc, differ adhuc decidere litem.
Litis ego tantæ tertius Actor ero.

Ioan.

LXII.

Ioannicius Eremita, cui menſtruum victum paſtor ferebat.

Arcano ſpelæa loco ſibi legerat exul,
Conſcius arcani nec niſi paſtor erat:
Is nullum exilij pro cauſsa crimen habebat,
Maxima ni crimen cura ſalutis habet.
Multa ibi ſuſpirans, lacrimans ibi multa; dicabat
Sideribuſque ſuas cælitibuſque preces.
Aſt vbi ter denas ſolis dedit orbita luces,
Curuauitque arcus altera luna ſuos:
Menſtrua ieiuno conſueuit pabula paſtor,
Et venæ pactam ferre fluentis opem.
Hinc auidè Lunam ieiunus, & Aſtra videbat;
Longa fames illum fecerat Aſtrologum.

LXIII.

De S. Cæcilia, tribus vulneribus ſauciata.

Ter tentata me a fuit in ceruice ſecuris,
Et collo toties indita plaga meo.
Nec veteri nocuere tamen tria vulnera formæ,
Magna ſed in plagis lucra fuere tribus.
Nam quo ſueta prius fulſere monilia collo;
Nunc tria purpurei flumina fontis eunt.
Illa nimis paucas habuere monilia gemmas,
Hoc quota fonte cadit guttula, gemma cadit.

LXIV.

De Cælite iuxta B. Cæciliam picto.

Dum digitis pangit Virgo modulatibus odam,
Nobile diuinus plectit ephebus ebur,

Vir-

Virginis ille modos cantando vincere certat,
Certat & iſtius vincere Virgo modos.
Pergite vterque diu contendere, pergite: veſtri
Dummodò ergo cantus arbiter eſſe queam.

LXV.

Anachoreta Anonymus, iracundiæ medicinam quærens.

Cùm toties animi Therapeutes ferueret ira.
Inceptis quoties turba moleſta foret.
Sæpe ſibi legem Spartano more ferebat,
Qualiacunque forent, ferre, tacere, pati.
Mox tamen ac radijt noua lux, noua bullijt ira.
Et mens Spartani neſcia moris erat.
Ne qua pro in iterum violentior ira ſubiret,
Clam deſerta volens fugit in antra Senex.
Tādē,ait,(ad ſtreperæ dū murmura cōſidet vndæ)
Exultat hinc iræ turba miniſtra meæ.
Dixit, & immergens ſitientem in flumine teſtā,
Fregit ad occultam vaſa caduca petram.
Impatieuſq; , petræ ſuccenſuit; & Superi inquit,
Hic etiam petra eſt iſta moleſta mihi.
Ergo itidē hinc fugiā turbāq;petrāq; Quid erras?
Non tibi turba: tibi tu fugiendus eras.

LXVI.

De flagellis, à milite in tergum Chriſti intentis.

Picta quod elatis ſtringuntur lora lacertis.
Libratiſque inſtant pendula flagra minis.
Nullo terga tamen violant innoxia tactu;
Criminis ipſa ſui diriguere metu.

LXVII.

Chriſti corpus, in maternis brachijs depoſitum.

Eheu, flebile munus: imperatos
Crudeles oculi parate fletus.

Deſe.

Defectæ cubat in ſinu parentis
Forma lugubre decolore pondus.
Squallenti coma pectitur vepreto.
Et ſparſus faciem cruentat humor,
Languent ora, labat ſupina ceruix,
Et tuber laceros renudat artus,
Foſſi vulnera pectoris fatiſcunt:
Diro eſt dextera ſauciata ferro,
Ferro ſaucia læua; & efferatis
Stant veſtigia perforata clauis.
Qui ſicco potes hæc videre vultu,
Sicco cernere nil merere vultu.

LXVIII.

De Senis Anachoreta ridiculo conſilio.

Fictilis ex humili pendebat fornice trulla,
Cui ſua conſuerat credere mella ſenex.
Illa fami cænas, & prandia ſueta parabat,
Lautitiaſque ſibi quaslibet illa dabat.
Nec tamen hoc victu consũpta erat olla diurno,
Multa ſed in lucro copia mellis erat.
Ergo ſibi locuples temere dum creditur, iſtæc
Vendita quantum, inquit, mi dabit olla lucrũ?
Fœtam diues emam conflato ex ære bidentem;
Fœta bidens totum mi dabit vna gregem.
Inde boues, & tota boum inde armenta dabũtur;
Inde domus: magnæ deniquæ verna domus.
Qui ſi verna dolis fuerit vernilibus; illi
Sic vernile meo fuſte dolabo caput.
Elatoque Senes baculo ferit inſcius ollam:
Pertuſoq. cadit mel ſimul omne cado.
Elicuit Moſes duplici ſibi verbere lymphas:
Elicit hic vno verbere mella ſibi.

LXIX.

Ad Chriſtum, felle potatum.

Chriſte rogas gelidam labris arentibus vndam;
Sed datur imbutum fellis acore merum.
Barbara ſi vitæ nolebas parcere turba,
Cur ſaltem extremam non miſerare ſitim?
Perge tamen: potus madeat licet omnis Aceto,
Fiet in Ambroſio melleus ore liquor.

LXX.

Ad Eundem, in Cœlum redeuntem.

Aſtra per immenſos quæris tibi, Chriſte receſſus;
Sic humus ergo oculis ſorduit iſta tuis?
Scilicet Aſtra placent: Aderunt ſi manſeris, Aſtra,
Nam, quocunque loco manſeris, Aſtra facis.

LXXI.

S. Epiphanius Phœnix, aquæ fontem effodiens.

Horrida per nemorũ, per & inuia, & auia Phænix
In ſterilem demum venerat hoſpes agrum.
Nuſquã ibi per valles currebant flumina nuſquã
In vacua felix herba virebat humo.
Vidit eam, miſeratus, humum, raptaq; bipenni
Currere iuſſit aquam; iuſſa cucurrit aqua.
Iuſſit in indocili noua naſci germina prato,
Germina in indocili nata fuere ſolo.
Expectabat adhuc plaga barbara; ſiqua iuberet
Fundere plura ſinu; fuſaque plura forent.
Noluit ille dari ſibi plura; ſed omnia fuſis
Hinc mihi ſunt herbis, hinc date, dixit, aquis.
Hunc potuit vilis locupletem reddere lympha;
Optima nos inopes reddere vina ſolent.

De

LXXII.

De imaginis S. Caroli Borromæi.

Carolus hos oculos, hæc Carolus ora ferebat,
Aſſiduas faceret cùm pia lingua preces.
Cùm ſacra mortali fulgerent tempora mitra,
Et patrio ſtaret purpura nixa pedo.
Nunc alios vultus gerit, altera Carolus ora,
Carolus ætherio pulcrior in ſolio.
At nondum, ò Superi, vobis ea pingimus ora;
Noſtra nihil veſtri Terra coloris habet.

LXXIII.

De Ioanne Patritio, qui B. Virginem ex aſſe hæredem fecit: Ad Illuſtriſſimum Henricum Principem, Templi Mariani conditorem.

Patritios cenſus, aurique talenta rubentis,
Cræſeaſque pius Ciuis habebat opes.
Sed ſpes nulla viro natorum, nulla nepotum,
Quos patrij hæredes ſcriberet aſſis, erat.
Verſus ad Aſtra proin ſterili cum coniuge; Gazis
Monſtrate hæredem, vos, ait, Aſtra, meis.
Mõſtrarũt hinc Aſtra Petrũ;Petri inde gemellũ,
Cælituumq; alios inde, alioſq; duces.
Ante alios etiam magni monſtrata Tonantis
Mater erat, ſola Virgo Tonante minor.
Ciuis, & hos vbi vidit, & hos; Hic, inquit, haberi
Quilibet ægre meo dignus,& Aſſe poteſt.
Tu tamen, ò Virgo, Superis ex omnibus, hæres
Dignior iſtarum ſola videris opum.
Tantùm oſtende locũ, cupias vbi Templa locari;
Aere meo fieri Templa iubebo tibi.
Hoc, ait illa, loco; quo, dum polus arſerit æſtu,
Videris hibernas manè iacere niues.
Vidit; & educto magna ad faſtigia Templo.
Eſſe ſibi hæredem Virginem ab Aſſe iubet.

Nunc

Nunc tua, Magno, parē, Princeps, in Virginis ædē
Dextra ſuas fundit, non numerauit opes.
Ergo quid hæredes putat hic ſibi viuere nullos?
Hæredem exempli te videt eſse ſui.

LXXIV.

S. Athanaſij innocentia, mirabiliter oſtenſa.

Hic erat ille, locis excluſus ab omnibus Exul,
In quam iurati mundus & orcus erant.
Cui poſt quàm pars nulla fuit ſuper orbis in orbe
Præbuit occultos tumba paterna lares.
Vna viri prohibet ſubſcribere ſyllaba nomen,
Qua modi è Graio diſtat ab Athanato.
Athanatus tantiſper erit. Quem teſte nefandus
Inſontem ſtuduit perdere ciuis anu.
Hunc ea dum falſo traducit adultera probro,
Ereptique reum vana pudoris agit:
Criminis auctorem digito monſtrare iubetur,
(Nulla vnquam digiti tam bona culpa fuit.)
Stabat enim Athanato quidā oīa & omnia diſpar
Quam diſpar Thanato vixerat Athanatos,
Hunc anus intēto digniti indice mōſtrat:& hic eſt
Hic vilentus, ait, prædo pudoris, hic eſt.
In latus hæc dixit mulier conuerſa ſiniſtrum,
Ad dextram adſtaret cùm latus Athanatus.
Riſit hic;&, cauſsam nihil eſt opus, inquit, vt orē.
Hoc mea patrono cauſsa eguit digito.

LXXV.

De imagine S. Matthæi, Euangelium ſcribentis à alato cælite iuxtim adpicto.

Seria in albenti Matthæus ſcribere charta,
Manſuroque pariat tradere magna libro.
Non procul alati ſpecies axpectat Ephebi,
Inque manu nigri vaſa liquoris habet.

So-

Sola caret penna Matthæi dextra: ſed adſtat
Aliger; hinc pennam Scriptor habere poteſt.

LXXVI.

S. Baptiſta in tabella.

Adſtantem digitos intendis mutus in Agnum:
Non poteras clamans dicere plura mihi.

LXXVII.

De S. Hieronymi lacrimis, & fame.

Illyrici viden vt longæuus Dalmata cæli
Verberet impacta pectora nuda manu:
Seu grauis affuſas illi ſitis imperet vndas,
Siue fames poſitas ſuadeat vlla dapes;
Ille famem pergit lacrimis reſtinguere fuſis;
Ille grauem vino diluit imbre ſitim.
Ecce tenet lapidem compreſſo dextra pugno,
Iratuſque notat liuida membra ſilex.
Ex flagra feſſa iacent; tergoq; iterata minantur,
Arcanuſque gemit muta per ora dolor.
Et tamen illud adhuc veniunt Sirenes in antrum,
Bethlemiumque ſubit maxima Roma ſpecum.
Ipſa Venus, Veneriſque venit laſciua propago,
Nec Scilicem viſum, nec flagra viſa timet.
Perge ferire; Venus ſi viſa timere recuſat
Flagra; flagro certè tacta timere volet.

LXXVIII.

De Chriſto duodenni puerulo, docente.

Cecropiæ veſtros ſeruate Platonas Athenæ;
Nomina Socraticæ magna tacete ſcholæ;
Voſque Stagiræi ceſſate docere Nepotes,
Nos potuit paruus plura docere puer.

S. Ba-

LXXIX.

S. Baptiſta puerulo Chriſto pomum offerens.

Vilia dona puer blandiſſime tolle: ſat illa
  Contactu facies tu precioſa tuo.

LXXX.

S. Aegidius à Cerua paſtus.

Antrum erat, obſcuræ longè domus auia ſiluæ;
  Nulli vbi nec farris ſpes, neque frugis erat.
Huc ſeu defectas premeret ſitis arida fauces,
  Seu grauis Aegidio pergeret eſſe fames;
Vbere diſtento veniebat cerua: datoq.
  Lacte famem ſueuit pellere, lacte ſitim.
Hæc dum fortè petit reparando paſcua lacti,
  Fertur in impaſtos territa cerua canes.
Continuò clamare Viri, latrare Moloſſi,
  Inq; feram dentes, inq; feram ire pedes.
Quos peterent deprehenſa feræ veſtigia montes?
  Spes profugę in nullis montibus vlla foret.
Abderet in dumos ingentia tergora? dumi
  Depreuſæ fierent certa Macella feræ.
Aegidiũ petit ergo. Fugæ nuſquã aptior vſquam
  Vllus erat Ceruæ creditus eſſe locus.
Venit, & ante pedes ſeruata quieuit alumnos,
  Securoq; ipſos terruit ore canes.
Nulla operam nutrix felicius vlla locauit:
  Lac dedit; & lacti vita repenſa fuit.

LXXXI.

Vox auari moribundi, ad hæredes.

Momentum vixi; morior victurus: & illuc
  Solus, neſcio quò, non rediturus eo.
Nunc hæres, quicumque meæ ſucceſſerit arcæ,
  Hæredem ille meę ſe ſciat eſſe viæ.

In

LXXXII.

In Caluam mortualem, in charta depictam.

Oſſa patent; geminique oculis extorribus orbes;
Ruptaque conuulſa ſepta molaris hiant.
Cæſaries nuſquam eſt: vacat area depilis,& quæ
Vultu inerat nuper plurima,nulla caro eſt.
Auribus Auris abeſt;vacuoque ſub aggere fractus
Oſſea pro naſo mænia naſus habet.
Quiſquis es,hanc huius licet oderis icona monſtri,
Archetypon monſtri tu tamen huius eris.

LXXXIII.

Martius Anachoreta fæminarum conſpectum fugiens.

Campanis vagus ibat in viretis
Cultor Martius,& cliens Tonantis:
Qui noctes vigil,& vigil diurnas
Largis fletibus exigebat horas.
Et curis ſimul omnibus,profana.
Sirenum fugiebat à caterua.
Hinc ipſi neq; fæminas, neq; ipſum
Vllis cerneres fæminis licebat.
Quod Siren vbi reſcijt,puellis.
Vna ex omnibus impudica Siren.
Hunc verò,hunc ego Martium videbo,
Rumpatur,licet,hunc,ait,videbo.
Confeſtim mulier per impeditas
Cliuorum ſalebras, viam capeſſens
Inceſſu temerario cupiti
Ad magalia Martij propinquat,
Et quærens hominem videre,vidit.
Sed vix viderat illum;& ecce in illo
Iuſſa eſt illicet interire viſo.
Vna eſt fæmina,quæ videns periit;
Sed quot fæmina viſa iam peremit?

LXXXIV.

In tabulam hominis inter inferos depicti.

Æmula Lethæi color exhibet ora camini,
Viſa proinde ſibi,ſeque tabella timet.
Ora flagrant,patuloque horrent informia rictu.
Et penè in muta clamor ineſt tabula,
Ah,quas flāma edet quondā phlegethōtia voces?
Si picta has voces edere flamma iubes?
Iunge tuam tabulæ clamanti,quiſquis es,aurem:
Ipſa ſibi clamat,Væ: tibi verò,Caue.

LXXXV.

In tabulam hominis inter purgatorios ignes depicti.

Iugis in ambuſto cunctatur lacrima vultu.
Carnificem ſue timet tangere gutta rogum.
Aſpice tu flammis hunc circumſtantibus imbrem,
Et lachrimas noſtris imbribus adde tuas,
Non ſatis eſt vnus contra hæc incendia riuus,
Iunge tuum;hic auctis indiget ignis aquis.

LXXXVI.

S. Martinianus fœmina conſortium per æquor effugiens.

Igne ſemel Veneris iam penè crematus eodem
Degeret vt porro tutus ab igne Senex.
Æquoream petijt nauta cum remige rupem,
Siluæ vbi nullius bacca vel vmbra fuit.
Nulla ibi nec Cereris,nec veris copia; fructus
Sola ſuos illic parturiebat hiems,
Defuit ipſa loco ſalientis gratia lymphæ,
Inque vndis nullum reperit vnda locum.
Ergo laboranti comes,& rerum omnium egenti
Nauta ſtatam pacto lintre ſpopondit opem.
Nam,ter vbi reuehetur,ait,tibi Luna,vehetur
Lintre meo toties vnda Cereſque tibi.

Hac

Hac ope gauiſus,nullas ſibi porro timendas
 In medijs flammas eſſe putabat aquis.
Ecce tibi : ſurgunt luctantibus æquora ventis,
 Euerſæque ruunt in maris ima rates.
Vna ſimul rapit vnda ſenes ; omneſque vorago
 Vna ſimul pueros haurit,& vna viros.
Sola viros inter,deque omni clade virorum
 Enatat è victo ſalua puella mari.
Illa procul ſcopulum rabidis vbi vidit in vndis,
 Et ſcopuli in cana rupe ſedere ſenem :
Remigio manuum,tunicaque natante patronam
 Certatim petijt iam propè merſa petram.
Vidit adeſſe Senex;notæque pericula flammæ
 Vt fugeret,medium per mare fecit iter.
Illa,quid,oro,times in inermi Virgine?Saluis
 Incutiam nullos naufraga Virgo metus.
Ille ſecus,ſi Virgo,inquit,nulli vlla noceres,
 Non tot merſiſſes vna puella viros.

LXXXVII.

In tabulam hominis inter cælites depicti.

Cælicolis oculos hos eſſe tabella putauit:
 Sed quàm longè alij cælitum erunt oculi?
O oculos æquare color ſi poſſet eoſdem?
 Aſpectu fieret charta beata ſuo.

LXXX VIII.

De S. Paula Romana.

Deſereret dominæ cùm Paula palatia Romæ,
 Auſa Palæſtinas fœmina malle caſas:
Contemni mirata ſuos eſt Roma penates,
 Exteraque à Pauli mænia nepte peti.
Exilium tibi quæris,ait. Sed fallitur : Exul
 Eſſe putabatur fæmina ; Roma fuit.

LXXXIX.

S. Monica filium Auguſtinum deplorans.

Illa ego ſum Libyco genitrix à littore prolem
 Ad Ligurum fines vſque ſecuta meam.
Traxit amore ſui ſoboles quæſita parentem;
 Ah qualis ſoboles tunc mea viſa mihi?
Indiderat mores diuerſos error ab illis,
 Quos olim didicit me genitrice puer.
Sæpe,quid vſque adeò,clamabam,degener erras?
 Degeneri gratus tunc tamen error erat.
Sæpe preces illi miſeranda manuſque tetendi;
 Ille manus ſemper reppulit,ille preces.
Deſperata mihi poteram tunc penè videri,
 Et cùm defuncta prole periſſe parens;
Ambroſij ſperare pia niſi voce iuberet,
 Cui toties vni tam grauis vna fui.
Ah quoties,ſerua mihi perdita pignora,dixi.
 Ah quoties dixi,pignora redde mihi?
Dixerat ille diu;mihi ſe mea pignora nunquam
 Nec rapuiſſe ſua,nec dare poſſe manu.
Den.q; victus;abi,ſobolem,quam quæris,habebis;
 Tot lacrimis illam viuere cogis,ait.
Credidi:&,ecce,mihi proles mutata reuixit,
 Atque ipſa melior me genitrice fuit.
Iam pariant vteris aliæ ſua pignora matres;
 Pignora dum lacrimis ſint ita parta meis.

XC.

In imaginem Chriſti pueruli matri valedicentis, à Ioſepho ad opus auocati.

Matutina ſimul micuerunt ſidera; Natum
 Ad fabrile pater ſedulus vrget opus.
Ah ſatis eſt:alios puero addere parce labores,
 Maximus eſt,Matrem deſeruiſſe labor.

De

XCI.

De eodem, ad menſam precante.

Virgo faberque capit modicæ dum fercula menſæ,
Chriſte prius ſolitas ore manuque preces.
Iam viles epulas licet ipſa culina miniſtret,
Hæc fieri in menſa nobilis eſca poteſt.

XCII.

Ad eundem, ſegmenta conuerrentem.

Cædua cum verris plebeij fragmina ligni:
Non ſunt iſta crucis ſemina, Chriſte, tua.
Nobiliora cadent ex illo fragmina trunco,
Illa volet nemo verrere, ferre volet.

XCIII.

De eodem dormiente, & B. Virgine iuxtà vigilante.

Dormit in anguſto Soboles ſecura grabato;
Tu tamen excubies anxia Mater agis.
An metuis, furtim ſua ne reuocetur ad Aſtra?
Te vigili, Aſtra tuus iam ſua natus habet.

XCIV.

B. Ignatius, morborum cœleſtis Medicus.

Extento pede ſaucius paratum
Iam Loiola ruebat in ſepulchrum;
Cum Petri manus improbā remouit
Aſſerto procul à cliente parcam.
Quare æger ſimul, ac reuixit, ægros
Secum ſurgere iuſſit; hinc malarum,
Magnos cedere febrium calores;
Hinc cæcas oculis abire, noctes;
Cancros ſerpere, liuidaſque tabē
Lethali vetuit nocere peſtes.

LXXXIX.

S. Monica filium Auguſtinum deplorans.

Illa ego ſum Libyco genitrix à littore prolem
  Ad Ligurum fines vſque ſecuta meam.
Traxit amore ſui ſoboles quæſita parentem;
  Ah qualis ſoboles tunc mea viſa mihi?
Indiderat mores diuerſos error ab illis,
  Quos olim didicit me genitrice puer.
Sæpe,quid vſque adeò,clamabam,degener erras?
  Degeneri gratus tunc tamen error erat.
Sæpe preces illi miſeranda manuſque tetendi;
  Ille manus ſemper reppulit,ille preces.
Deſperata mihi poteram tunc penè videri,
  Et cùm defuncta prole periſſe parens;
Ambroſij ſperare pia niſi voce iuberet,
  Cui toties vni tam grauis vna fui.
Ah quoties,ſerua mihi perdita pignora,dixi.
  Ah quoties dixi,pignora redde mihi?
Dixerat ille diu;mihi ſe mea pignora nunquam
  Nec rapuiſſe ſua,nec dare poſſe manu.
Den.q; victus;abi,ſobolem,quam quæris,habebis;
  Tot lacrimis illam viuere cogis,ait.
Credidi:&,ecce,mihi proles mutata reuixit,
  Atque ipſa melior me genitrice fuit.
Iam pariant vteris aliæ ſua pignora matres;
  Pignora dum lacrimis ſint ita parta meis.

XC.

In imaginem Chriſti pueruli matri validicentis, à Ioſepho ad opus auocati.

Matutina ſimul micuerunt ſidera; Natum
  Ad fabrile pater ſedulus vrget opus.
Ah ſatis eſt:alios puero addere parce labores,
  Maximus eſt,Matrem deſeruiſſe labor.

De

XCI.

De eodem, ad menſam præcante.

Virgo faberque capit modicæ dum fercula mēſæ;
Chriſte præis ſolitas ore manuque preces.
Iam viles epulas licet ipſa culina miniſtret,
Hæc fieri in menſa nobilis eſca poteſt.

XCII.

Ad eundem, ſegmenta conuertentem.

Cædua cur verris plebeij fragmina ligni:
Non ſunt iſta crucis ſemina, Chriſte, tua.
Nobiliora cadent ex illo fragmina trunco,
Illa volet nemo vertere, ferre volet.

XCIII.

De eodem dormiente, & B. Virgine iuxtà vigilante.

Dormit in anguſto Soboles ſecura grabato;
Tu tamen excubies anxia Mater agis.
An metuis, furtim ſua ne reuocetur ad Aſtra?
Te vigili, Aſtra tuus iam ſua natus habet.

XCIV.

B. Ignatius, morborum cœleſtis Medicus.

Extento pede ſaucius paratum
Iam Loiola ruebat in ſepulchrum;
Cum Petri manus improbā remouit
Aſſerto procul à cliente parcam.
Quare æger ſimul, ac reuixit, ægros
Secum ſurgere iuſſit; hinc malatum,
Magnos cedere febrium calores;
Hinc cæcas oculis abire, noctes;
Cancros ſerpere, liuidaſque tabē
Lethali vetuit nocere peſtes.

Quid morbus docuit? iuberet ægros
Nullos ſurgere, niſi fuiſſet æger.

XCV.

Conradus Franciſcanus, Beatiſſimæ Virginis Alumnus.

Præuia Franciſci dum per veſtigia nitens
Ardua Conradus quęrit ad Aſtra viam,
Munus ab Aſtrorum regina tale popoſcit,
Quale Paleſtini ſtrinxerat vlna ſenis.
Nec mora; Mater adeſt Eois clarior aſtris.
Clarior atque ipſa Matre puellus adeſt.
Tende duas, Conrade, manus, cape munera dixit,
Et mea ſollicito munera conde ſinu.
Ille manus, ſimul ille ſinus, ſimul omnia tendit,
Nunquam aliàs domino promptior vlna fuit.
Tunc pueri tractare manus, tunc ora tueri,
Tunc Superis licuit baſia ferre genis.
Tunc prenſare genu, tunc brachia nectere collo,
Terrarum dominos tunc religare pedes.
Non capit ipſe ſui Conradus gaudia voti,
Miraturque vlnis tanta licere ſuis.
Et potes hanc, ò mater, ait, dimittere prolem?
Et potes à tali cedere Matre puer?
Hoc mirum, Cõrade, tibi eſt? Mihi mirius hoc eſt,
Quod puerum matri tu redhibere potes.

XCVI.

In oculos cælo defixos.

Stant Oculi, & fixo ſpectant ſublimia nutu,
Neſcio quid noſtro pulchrius orbe vident!
Pergite, quicquid eſt, ſpectare, ò pergite ſurſum:
Terra nihil pulchri, quod videatis, habet.

De

XCVII.

De Viatore Hierichuntino à prætereuntibus deſtituto.

Ambulat incauto dum per loca deuia paſſis,
Fertur in hoſtiles inſcius erro globos:
Hi captum ſternuntque ſolo, crebriſque laceſſunt
Tuberibuſque caput, vulneribuſque latus.
Ille ſed ex animi miſerandus voce laborat
Inclamare piam prætereuntis opem.
Audijt hinc myſtes clamātem, hinc aſſecla myſtæ;
Auxiliaturos hos ratus æger erat.
Verum myſta fugit; myſtæ fugit aſſecla. Quicquid
Latro facit ſica, fecit vterque fuga.

XCVIII.

De eodem, Samarita ope adiuto.

Semianimum vidit Samarita, iacere cadauer,
Feſtinumque tulit, quam dare quiuit opem.
Nam pòſt quā ingentes, plagarum aduertit hiatus
Admouit medica ſedulus arte manus.
Excepitque ſinu, lenique perunxit oliuo,
Et calido fouit vulnera lota mero.
Mox vbi manantes repreſſit ſindone riuos,
Membra laboratis intulit ægra toris.
I leuis, æger ait, meque aſpernare ſacerdos;
Profuit auxilio nunc caruiſſe tuo.

XCIX.

B. Nicolaus Heluetius.

Nicoleos inter patria Acroceraunia, quondam
Durior ipſe ſuis rupibus hoſpes erat.
Nam tepidis rupes paſtæ ſunt imbribus illæ,
Et gelido potæ rore aliquando petræ.
Ipſe tamen ſolus mortales abnuit eſcas,
Et quaſcunque dares, abnuit ille tamen.

Quattuor vſque fuit vita illi abſtemia luſtris;
Nullaque tot luſtris cognita menſa fuit.
Prandia nulli illum viderunt quærere Soles,
Nulla illum ſeram paſcere Luna famem.
Aſtra dedere dapem ieiunis faucibus. Iſto
Contentus, dices viuerem & ipſe penis.
Interea lacrimis idem fuit ebrius. Iſto
Tu quoque contentus viuere fonte potes?

C.

Venerius Ermicola; à Coruo dimenſum diurnum accepit.

Collectam ſtagnare vides ex imbribus vndam?
Hoſpitis hæc huius temperat vnda ſitim.
Noli illum Creſſe tentare liquoribus Vuæ,
Irritare nequis nectare, melle nequis.
Si qua ſitis torret, vocat ille è nubibus imbrem;
(Neſcio quid Cœli gratius imber habet?)
Lautitias inter maiores Herba putatur?
Et rude cenſetur Menſa ſecunda pyrum.
Solus ei portat Coquus omnia fercula Coruus,
Omniaque è ſolo fercula pane coquit.
Aduolat hic illi, cùm cænæ eſt hora miniſter.
Allatoque iubet pane domare famem.
Nullus, ais, tendit cur Noſtra ad prandia Coruus;
Ille alias illuc tendet cernit Aues.

CI.

B. Magdalena in obſcuro ſpecu delitеſcens.

Quid me Saxa loci tenebroſi ſquallida? quid me
Conſcia nullius luminis antra iuuent?
Quærere mortales abſiſtite. Sidera quero;
Spectari ſola Sidera nocte queunt.

CII.

De tribus Anachoretis; liberalibus duobus; vno praparco.

Intima tergemini nemorum coluere Sodales,
Mica quibus panis vix ſuper vna fuit.
Iam vicina penu metuente premebat egeſtas,
Cùm neque cogendæ ſpes ſtipis vlla foret.
Vtque magis ſuperare penum penuria poſſet,
Eſtea mendicæ mica petita fami.
Continuò Cereris data micula ceſſit Egenti,
Stipſque ea ſecum omnem ſuſtulit vna penum.
At querulas verbis ſtomacantibus edere voces
Clam ſocijs auſus de tribus vnus erat.
Vix tamen impenſo cum pane receſſerat hoſpes
Vbere quando Ceres pane repenſa fuit.
Mula duos etenim tulit altera, & altera Corbes.
Et fuit in gemino plurima corbe Ceres.
Tertia quin etiam ventura erat, inquit Agaſo;
Ferre ſed impoſitum feſſa nequibat onus.
Tertius è ſocijs, ſua plecti murmura ſenſit;
Mula tulit panes certè, ait, illa meos.
Cauta famem metuit Mula; inde venire negauit;
Nam parcum in dando te ſcijt eſſe cibo.

CIII.

De Conuiua Euangelico, à Nuptijs eiecto.

Ambroſia hoſpes peteret cùm ſordidus eſcas.
Nec laceram ferret regia menſa togam,
Iuſſus ab intacta procul eſt abſcedere cœna,
Perpetuamque intra viſcera famem,
Inſuper æterna ſeptas caligine noctes
Tectaque ſulphureas inter habere domos,
Vtraque res doluit, quòd & inconatus abire,
Et quòd in ardentem eſt iuſſus abire, rogum.

Has tamen vt cœpit pœnas contendere; dixit
Non dolet iſta mihi flamma, repulſa dolet.

CIV.

Helenus, famem inſperato ſubſidio depellens.

Incultos Helenus penetrauerat aduena lucos.
Nullam vbi mortales vlli habuere domum;
Vix calcata feris ibi ſemita: ſola per illos
Aerium lucos ala ſecabat iter.
Nulla loco ſperanda dapum ſolatia; nullum
Penſile frugiferis pondus in Arboribus.
Hic Heleno inſultare Fames; hic arida mortem
Aut aliquid grauius morte parare ſitis.
Sed deluſa Fames inopino munere ſenſit.
Fercula ab ignota lata venire manu.
Illa fami non nota manus vel venit ab Aſtris,
Vel manus æquè Aſtris illa benigna fuit.
Quippe ſimul panem tulit, & ſimul attulit vndam.
O panem: o vndam, quam manus illa fuit.
Vina dares, vinum præ tali ſperneret vnda:
Ambroſiamque dares, ſperneret Ambroſiam.
Ergo fames, piget huic porrò; inquit, tollere panē
Compenſat tantæ ſi mea furta dapes.

C V.

B.B. Ignatius, & Xauerius iuxta ſphæram Geometricam depicti.

Europam tenuit Loiola, Xauerius Indos,
Et duo ſub ſocijs regna duobus erant.
Cur extra Terram nunc ergo locantur vtramque?
Orbis vterque Viro paruus vtrique fuit.

De Sene

C V I.

De Sene, eiuſque mirabili victu.

Obſcuri nemoris longæuus cultor amabat
Præ quocunque ſuum Sole, dieque nemus.
Cæſaries, & barba Seni nix candida: ſed mens
Candidior barba, Cæſarieque fuit.
Ille caſam quoties pietate flagrante ſubiuit,
Repperit in paruo candida liba penu.
At pietas cœpit cùm feſſa tepere, farinæ
Deterioris ei cœpit ad eſſe Ceres.
Demum vbi vecordem labefecit culpa ſenectam,
Omnia furfurei fragmina panis erant.
Aduertens mutata Senex alimenta, ſuaſque
Primæui toties panis abeſse niues:
Et verſum magis atq; magis nigreſcere panem.
Nigror, ait, mores exhibet iſte meos.
Credideram panem me cernere ſemper: in ipſo
Nunc video ſpeculum pane fuiſse mihi.

C V I I.

De Voto infelici Iephtæ Galaditæ.

Elatos patriæ quondam ducturus in hoſtes,
Has ſuperis fecit Dux Galadita preces.
Victori patrijs qui primus ab ædibus ibit
Obuius; ille Deo victima primus erit.
Nec mora: ſignatis Socium rapit agmina votis
Ammoniſque minas vindice Marte domat.
Victor vbi redijt, datur obuia prima parenti
Filia: Iam victus maluit eſse parens.

C V I I I.

S. Auxentius, rupis inquilinus.

Sublimi quem rupe vides, Auxentius ille eſt,
  Quem ſuus alta inter nubila carcer habet.
Ille peregrinis fuit omnibus omnia, & hoſpes.
  Et pater; & morbis omnibus Hippocrates.
Quippe oculis olim offuſa caligine ſeptis
  Iuſſit ab offuſa nocte redire diem.
Iuſſa dies rediјt; iuſſeque abiere tenebræ,
  Et data, lux, melior luce priore, fuit.
Ille luem iuſſit, febrimque recedere; ceſſit.
  Ille valere pedes: conualuere pedes.
Denique cùm Medicus venienti cuilibet eſset,
  Ipſe ſuæ Medicus noluit eſse fami.
Nam, licet Ars fuerit reliquos depellere morbos,
  Hunc tamen Ars, inquit, non pepuliſse, fuit.

CIX.

De Biuio Hominis, per litteram Pithagoricam expreſſo.

Quà Samij partita Senis ſe littera pandit,
  Hac humana duplex ſemita pandit iter,
Totum vtriuſque vocant diuortia tramitis orbem,
  Conſitus hic ſpinis ſit licet, ille roſis.
Qua libet ire, potes: ſed iter modò mollius, olim
  Ah quoties ſpinis durius illud erit?

C X.

Epigramma votiuum, ad B. Aloyſium, in graui ægritudine.

O tutela meis, Aloyſi, plurima rebus;
  O querulas inter magna medela preces?
Cernis vt inclu ſo meritum caput ardeat æſtu?
  Creber vt arcano ſæuiat igne dolor.
Vaſtat vtrimque tenax alterno tempora puncto,
  Omnia

Omnia ceu terebret perpete morbus acu.
Vruntur geminis oculorum ſedibus orbes.
Vixque hærent vacuo lumina bina ſinu.
Cogitur à pactis Animus diuertere Muſis,
Et nequit aſſuetas ſoluere lingua preces.
Iam calamos poſuere manus, poſuere libellos,
Periàmque ſitis iam mea neſcit aquam.
Longas eſſe vident vigilantia tædia noctes,
Perque ipſis longas noctibus eſſe dies.
His quoque plura fero: nequeo ſed plura referre;
His auferre tamen tu quoque plura potes.
Ille quidem non ſum, cui donos multa: ſed ille
Certè ego ſum, cui tu tollere multa queas.

CXI.

De S. Apollonia Virg. Mart.

Vt placeant, emptis aliæ ſe dentibus ornant;
Vt placeam, dentes Chriſto ego vendo meos.

CXII.

De S. Amato, cui orcus annonam ſurrupuit.

Tertius impranſo conſuerat Veſper amato
Cum modico vilem ferre liquore dapem.
Nec pactus ſibi plura dari: ſed & ipſa ſolebat
Sæpe negare ſuæ fercula pacta fami.
Induit tamen hanc Auceps phlegetontius eſcam,
Allatæque; dolos ſtruxit auarus aquæ.
Nam mentita gerens Prædonis ſchemata Corui
Inuolat inuiſæ peruia tecta caſæ.
Vtque cibi lancem reperit, lypheque culullum,
Mox pede vertit aquã, mox rapit vngue cibum.
Lætus eo damno ſub riſit Amatus; &, ecce
Viuere ieiunum Styx, ait ipſa docet.
Perge licet, rape, tolle dapem, nihil orce nocebis;
Quando dapem præbes, orce nocere ſoles.

CXIII.

Ad Beatiſſimam Virginem, turture filium redimentem.

Vix tua dum dederas Solymæo pignora templo,
Illaque de gremio cœperat Ara tuo,
Cùm tibi mutatis eadem redimenda columbis,
Quæ vix dum dederas, reddere dona iubes.
Reddita confeſtim precio ſunt omnia pacto,
Turtureque eſt proles tota redempta tibi.
Neſcio quis dederit, ſed quiſquis reddidit illam,
Ah precium mercis neſcijt ille ſuæ.

CXIV.

De tædio mortalis vitæ.

Non ita quaſsa gemunt dubijs Carcheſia ventis,
Non ita myrtoo fracta carina vado,
Qualiter aſſiduas inter mea vita procellas
Aut gemit; aut gemitus non niſi feſsa premit.
Exanimi iam tota metu ſuperata recumbit,
Deſperatque ſuæ naufraga vita rati.
Lumina iam tollit viſo procul humida cœlo,
Charaque lugubri littora voce vocat.
Iamque preces Superis, & vota natantia ſignat.
Turbida ſignatos iam rapit vnda preces.
Altera deceſſit nondum vdis lacrima malis,
Altera in humectas cùm ſubit vnda genas.
Triſtitiæ partem pars excipit altera; cuius
Sæpe nequit cauſsam noſcere, ſæpe modum.
Mox gaudere cupit; mox amens gaudia temnit,
Mox, quæcumque prius ſpreuit, habere cupit.
Sæpe vocat mortem; mortemque audita recuſat;
Et lacrimas, voto ſi potiatur, habet.
Neſcio cur mortem putet hæc ſibi vita timendã;
Ipſa ſibi potius vita timendo foret.

Ad

CXV.

Ad Annam Prophetidem; in tabula depictam.

Iam Chriſto lacrimaris Anus grandæua puello:
Flere potes viſo iuſtius, Anna, Viro.

CXVI.

De Manu, Chriſto colaphum infligente.

Ferrea cùm dominum pulſaret dextera, ferrum
Quàm cupijt Vires non habuiſse ſuas!

CXVII.

De S. Bennone, templi claues in vndas abijciente; ad Imperatorem templo arcendum.

In ſacra ne rueret vetiti penetralia templi
Per non conceſſas Cæſaris ira fores,
Proijcit æratas in cærula flumina claues
Viſurus Latios aduena Beno lares.
Iuſsa fidem præſtare, fidem optima præſtitit vnda.
Et commiſsa tenax condidit æra ſinu.
Cuſtodem ſed Benno ſimul remearat ad Amnē.
Clanger in fido littore piſcis erat.
Abſtruſamque libens vda intra viſcera clauem
Bennonis reduces exſpuit ante pedes.
Inſidias iam terra tuis ſtruat inuida gazis,
Quod ſeruare voles, mergere, Benno potes.

CXIII.

S. Pelagia pœnitens ad hominem.

Per mea continuis imber ruit ora fluentis.
Cauſsas, inquis, habes. Tu quoq; forſan habes.

CXIX.

De imagine Alphonſi Rodriques S. I. vbertim lacrimantis.

Alphonſi lacrimas, & ora crebris
Qui perfuſa videtis eſſe guttis,
Non illas ſceleris putate magni,
Nec mentis malè conſciæ pauentes
Mæſtis ex oculis ſalire teſtes.
Nam quicquid lacrimauit ille, quicquid
Vel luxit gemuit ve creber, omne
Vni Numinis imputauit Aulæ.
Huc ſuſpiria ſemper, ora ſemper
Semper lumina, lacrimaſque ſemper
Semper vota, preceſque ſemper, horis
Per nox perdius omnibus tetendit.
Hac vna ſibi cùm videret olim
Annis pluribus exullandum ab Aula;
Et nondum neque gaudijs licere
Immortalibus intereſſe: nondum
Cœli Ciuibus obuiare; nondum
Victrices neque Myrtyrum phalangas,
Felices neque Virginum cateruas,
Purarum neque mentium ſerenas
Seſe poſſe perambulare ſedes,
Tunc illos gemituſque lacrimaſque
Singultuſque profundit: & peroſus
Exul viuere, geſtijt cupitæ
Ad conſortia commigrare vitæ.
Nunc voti reus, vſque, & vſque gaudet,
Et voti reus, vſque & vſque ridet.
Ipſius tamen hæc Imago, dum ſe,
Voti non rea, conſpicit relictam
Cum mortalibus, vſque & vſque plorat.

Ad

CXX.

Ad milites impios, à Chriſto proſtratos.

Turba ſupinato ruis vndique tertia vultu;
O foret hæc ſceleris maxima pœna tui.

CXXI.

De B. Ioſepho Anchieta, Auiculis mirabiliter imperante.

Heſperi, peterent cùm barbara littora myſtæ,
E Socijs æger pluribus vnus erat.
Ille ſuum externo Phæbeiæ lampadis æſtu,
Internoque vri queſtus ab igne caput,
Quæſijt in prora, ſi quam daret angulus, vmbrã?
Nulla ſed in proræ partibus vmbra fuit.
Quæſijt in puppi, nihil vmbræ puppis habebat;
Summa ſed vrebant Solis, & ima faces.
Hic cupiens Ancheta malis ſuccurrere, ſolam
Aera per medium tendere vidit Auem.
Vidit; &, i, Socias, ait, i citò quære cohortes.
Aligeraque redux cum legione veni.
Dicta probauit Auis; celerique citatior Euro
Cognatum properat quærere iuſſa gregem,
Milleque mox Socijs comitata reuertitur Alis;
Mille ſequi viſæ, mille præire ducem.
Mille ſupra, & totidẽ iuxtaque infraque volabant,
Omnis ad Anchetæ turba vocata preces.
Hæ ſimul expaſſis facta teſtudine pennis
Deſuper in toſtas incubuere rates.
Et procul inde diem, & lucem pepulere diei,
Dum quæſita ægrum tangeret vbra caput.
Scilicet hæc fierent vt Conopea repente,
Ancheta artifices eſſe coegit Aues.

Quid morbus docuit? iuberet ægros
Nullos ſurgere, niſi fuiſset æger.

XCV.

Conradus Franciſcanus, Beatiſſimæ Virginis Alumnus.

Præuia Franciſci dum per veſtigia nitens
 Ardua Conradus quęrit ad Aſtra viam,
Munus ab Aſtrorum regina tale popoſcit,
 Quale Paleſtini ſtrinxerat vlna ſenis.
Nec mora; Mater adeſt Eois clarior aſtris:
 Clarior atque ipſa Matre puellus adeſt.
Tende duas, Conrade, manus, cape munera dixit,
 Et mea ſollicito munera conde ſinu.
Ille manus, ſimul ille ſinus, ſimul omnia tendit,
 Nunquam aliàs domino promptior vlna fuit.
Tunc pueri tractare manus, tunc ora tueri,
 Tunc Superis licuit baſia ferre genis.
Tunc prenſare genu, tunc brachia nectere collo,
 Terrarum dominos tunc religare pedes.
Non capit ipſe ſui Conradus gaudia voti,
 Miraturque vlnis tanta licere ſuis.
Et potes hanc, ò mater, ait, dimittere prolem?
 Et potes à tali cedere Matre puer?
Hoc mirum, Cõrade, tibi eſt? Mihi mirius hoc eſt,
 Quod puerum matri tu redhibere potes.

XCVI.

In oculos cœlo defixos.

Stant Oculi, & fixo ſpectant ſublimia nutu,
 Neſcio quid noſtro pulchrius orbe vident!
Pergite, quicquid eſt, ſpectare, ò pergite ſurſum:
 Terra nihil pulchri, quod videatis, habet.

De

XCVII.

De Viatore Hierichuntino à prætereuntibus deſtituto.

Ambulat incauto dum per loca deuia paſſis,
Fertur in hoſtiles inſcius erro globos:
Hi captum ſternuntque ſolo, crebriſque laceſſunt
Tuberibuſque caput, vulneribuſque latus.
Ille ſed ex animi miſerandus voce laborat
Inclamare piam prætereuntis opem.
Audijt hinc myſtes clamãtem, hinc aſſecla myſtæ;
Auxiliaturos hos ratus æger erat.
Verum myſta fugit; myſtæ fugit aſſecla. Quicquid
Latro facit ſica, fecit vtetque fuga.

XCVIII.

De eodem, Samarita ope adiuto.

Semianimum vidit Samarita, iacere cadauer,
Feſtinumque tulit, quam dare quiuit opem.
Nam pòſt quã ingentes, plagarum aduertit hiatus
Admouit medica ſedulus arte manus.
Excepitque ſinu, lenique perunxit oliuo,
Et calido fouit vulnera lota mero.
Mox vbi manantes repreſſit ſindone riuos,
Membra laboratis intulit ægra toris.
I leuis, æger ait, meque aſpernare ſacerdos;
Profuit auxilio nunc caruiſſe tuo.

XCIX.

B. Nicolaus Heluetius.

Nicoleos inter patria Acroceraunia, quondam
Durior ipſe ſuis rupibus hoſpes erat.
Nam tepidis rupes paſtæ ſunt imbribus illæ,
Et gelido potæ rore aliquando petræ.
Ipſe tamen ſolus mortales abnuit eſcas,
Et quaſcunque dares, abnuit ille tamen.

Quattuor vſque fuit vita illi abſtemia luſtris;
 Nullaque tot luſtris cognita menſa fuit.
Prandia nulli illum viderunt quærere Soles,
 Nulla illum ſeram paſcere Luna famem.
Aſtra dedere dapem ieiunis faucibus. Iſto
 Contentus, dices viuerem & ipſe penis.
Interea lacrimis idem fuit ebrius. Iſto
 Tu quoque contentus viuere fonte potes?

C.

Venerius Ermicola; à Coruo dimenſum diurnum accepit.

Collectam ſtagnare vides ex imbribus vndam?
 Hoſpitis hæc huius temperat vnda ſitim.
Noli illum Creſſe tentare liquoribus Vuæ,
 Irritare nequis nectare, melle nequis.
Si qua ſitis torret, vocat ille è nubibus imbrem;
 (Neſcio quid Cœli gratius imber habet?)
Lautitias inter maiores Herba putatur?
 Et rude cenſetur Menſa ſecunda pyrum.
Solus ei portat Coquus omnia fercula Coruus,
 Omniaque è ſolo fercula pane coquit.
Aduolat hic illi, cùm cænæ eſt hora miniſter.
 Allatoque iubet pane domare famem.
Nullus, ais, tendit cur Noſtra ad prandia Coruus;
 Ille alias illuc tendet cernit Aues.

CI.

B. Magdalena in obſcuro ſpecu deliteſcens.

Quid me Saxa loci tenebroſi ſquallida? quid me
 Conſcia nullius luminis antra iuuent?
Quærere mortales abſiſtite. Sidera quero;
 Spectari ſola Sidera nocte queunt.

CII.

De tribus Anachoretis; liberalibus duobus; vno preparco.

Intima tergemini nemorum coluere Sodales,
Mica quibus panis vix ſuper vna fuit.
Iam vicina penu metuente premebat egeſtas,
Cùm neque cogendæ ſpes ſtipis vlla foret.
Vtque magis ſuperare penum penuria poſſet,
Eſtea mendicæ mica petita fami.
Continuò Cereris data micula ceſſit Egenti,
Stipſque ea ſecum omnem ſuſtulit vna penum.
At querulas verbis ſtomacantibus edere voces
Clam ſocijs auſus de tribus vnus erat.
Vix tamen impenſo cum pane receſſerat hoſpes
Vbere quando Ceres pane repenſa fuit.
Mula duos etenim tulit altera, & altera Corbes.
Et fuit in gemino plurima corbe Ceres.
Tertia quin etiam ventura erat, inquit Agaſo;
Ferre ſed impoſitum feſſa nequibat onus.
Tertius è ſocijs, ſua plecti murmura ſenſit;
Mula tulit panes certè, ait, illa meos.
Cauta famem metuit Mula; inde venire negauit;
Nam parcum in dando te ſcijt eſſe cibo.

CIII.

De Conuiua Euangelico, à Nuptijs eiecto.

Ambroſia hoſpes peteret cùm ſordidus eſcas.
Nec laceram ferret regia menſa togam,
Iuſſus ab intacta procul eſt abſcedere cœna,
Perpetuamque intra viſcera famem,
Inſuper æterna ſeptas caligine noctes
Tectaque ſulphureas inter habere domos,
Vtraque res doluit, quòd & inconatus abire,
Et quòd in ardentem eſt iuſſus abire, rogum.

Has tamen vt cœpit pœnas contendere; dixit
Non dolet iſta mihi flamma, repulſa dolet.

CIV.

Helenus, famem inſperato ſubſidio depellens.

Incultos Helenus penetrauerat aduena lucos.
Nullam vbi mortales vlli habuere domum;
Vix calcata feris ibi ſemita: ſola per illos
Aerium lucos ala ſecabat iter.
Nulla loco ſperanda dapum ſolatia; nullum
Penſile frugiferis pondus in Arboribus.
Hic Heleno inſultare Fames; hic arida mortem
Aut aliquid grauius morte parare ſitis.
Sed deluſa Fames inopino munere ſenſit.
Fercula ab ignota lata venire manu.
Illa fami non nota manus vel venit ab Aſtris,
Vel manus æquè Aſtris illa benigna fuit.
Quippe ſimul panem tulit, & ſimul attulit vndam.
O panem: o vndam, quam manus illa fuit.
Vina dares, vinum præ tali ſperneret vnda:
Ambroſiamque dares, ſperneret Ambroſiam.
Ergo fames, piget huic porrò; inquit, tollere panẽ
Compenſat tantæ ſi mea furta dapes.

C V.

B.B. Ignatius, & Xauerius iuxta ſphæram Geometricam depicti.

Europam tenuit Loiola, Xauerius Indos,
Et duo ſub ſocijs regna duobus erant.
Cur extra Terram nunc ergo locantur vtramque?
Orbis vterque Viro paruus vtrique fuit.

C V I.

De Sene, eiuſque mirabili victu.

Obſcuri nemoris longæuus cultor amabat
Præ quocunque ſuum Sole, dieque nemus.
Cæſaries,& barba Seni nix candida: ſed mens
Candidior barba,Cæſarieque fuit.
Ille caſam quoties pietate flagrante ſubiuit,
Repperit in paruo candida liba penu.
At pietas cœpit cùm feſſa tepere, farinæ
Deterioris ei cępit ad eſſe Ceres.
Demum vbi vecordem labefecit culpa ſenectam,
Omnia furfurei fragmina panis erant.
Aduertens mutata Senex alimenta, ſuaſque
Primæui toties panis abeſse niues:
Et verſum magis atq; magis nigreſcere panem.
Nigror, ait, mores exhibet iſte meos.
Credideram panem me cernere ſemper: in ipſo
Nunc video ſpeculum pane fuiſse mihi.

C V I I.

De Voto infelici Iephtæ Galaditæ.

Elatos patriæ quondam ducturus in hoſtes,
Has ſuperis fecit Dux Galadita preces.
Victori patrijs qui primus ab ædibus ibit
Obuius; ille Deo victima primus erit.
Nec mora: ſignatis Socium rapit agmina votis
Ammoniſque minas vindice Marte domat.
Victor vbi redijt, datur obuia prima parenti
Filia: Iam victus maluit eſse parens.

C V I I I.

S. Auxentius, rupis inquilinus.

Sublimi quem rupe vides, Auxentius ille eſt,
Quem ſuus alta inter nubila carcer habet.
Ille peregrinis fuit omnibus omnia, & hoſpes.
Et pater; & morbis omnibus Hippocrates.
Quippe oculis olim offuſa caligine ſeptis
Iuſſit ab offuſa nocte redire diem.
Iuſſa dies rediјt; iuſſeque abiere tenebræ,
Et data, lux, melior luce priore, fuit.
Ille luem iuſſit, febrimque recedere; ceſſit.
Ille valere pedes: conualuere pedes.
Denique cùm Medicus venienti cuilibet eſset,
Ipſe ſuæ Medicus noluit eſse ſami.
Nam, licet Ars fuerit reliquos depellere morbos,
Hunc tamen Ars, inquit, non pepuliſse, fuit.

CIX.

De Biuio Hominis, per litteram Pithagoricam expreſſo.

Quà Samij partita Senis ſe littera pandit,
Hac humana duplex ſemita pandit iter,
Totum vtriuſque vocant diuortia tramitis orbem,
Conſitus hic ſpinis ſit licet, ille roſis.
Qua libet ire, potes: ſed iter modò mollius, olim
Ah quoties ſpinis durius illud erit?

C X.

Epigramma votiuum, ad B. Aloyſium, in graui ægritudine.

O tutela meis, Aloyſi, plurima rebus;
O querulas inter magna medela preces?
Cernis vt incluſo meritum caput ardeat æſtu?
Creber vt arcano ſæuiat igne dolor.
Vaſtat vtrinque tenax alterno tempora punctu,
Omnia

Omnia ceu terebret perpete morbus acu.
Vruntur geminis oculorum ſedibus orbes.
Vixque hærent vacuo lumina bina ſinu.
Cogitur à pactis Animus diuertere Muſis,
Et nequit aſſuetas ſoluere lingua preces.
Iam calamos poſuere manus, poſuere libellos,
Periàmque ſitis iam mea neſcit aquam.
Longas eſſe vident vigilantia tædia noctes,
Perque ipſis longas noctibus eſſe dies.
His quoque plura fero: nequeo ſed plura referre;
His auferre tamen tu quoque plura potes.
Ille quidem non ſum, cui donos multa: ſed ille,
Certè ego ſum, cui tu tollere multa queas.

CXI.

De S. Apollonia Virg. Mart.

Vt placeant, emptis aliæ ſe dentibus ornant;
Vt placeam, dentes Chriſto ego vendo meos.

CXII.

De S. Amato, cui orcus annonam ſurrupuit.

Tertius impranſo conſuerat Veſper amato
Cum modico vilem ferre liquore dapem.
Nec pactus ſibi plura dari: ſed & ipſa ſolebat
Sæpe negare ſuæ fercula pacta fami.
Induit tamen hanc Auceps phlegetontius eſcam,
Allatæque; dolos ſtruxit auarus aquæ.
Nam mentita gerens Prædonis ſchemata Corui
Innolat inuiſæ peruia tecta caſæ.
Vtque cibi lancem reperit, lypheque culullum,
Mox pede vertit aquã, mox rapit vngue cibum.
Lætus eo damno ſub riſit Amatus; &, ecce
Viuere ieiunum Styx, ait ipſa docet.
Perge licet, rape, tolle dapem, nihil orce nocebis;
Quando dapem præbes, orce nocere ſoles.

Ad

CXIII.

Ad Beatiſſimam Virginem, turture filium redimentem.

Vix tua dum dederas Solymæo pignora templo,
Illaque de gremio cœperat Ara tuo,
Cùm tibi mutatis eadem redimenda columbis,
Quæ vix dum dederas, reddere dona iubes.
Reddita confeſtim precio ſunt omnia pacto,
Turtureque eſt proles tota redempta tibi.
Neſcio quis dederit, ſed quiſquis reddidit illam,
Ah precium mercis neſcijt ille ſuæ.

CXIV.

De tædio mortalis vitæ.

Non ita quaſſa gemunt dubijs Carcheſia ventis,
Non ita myrtoo fracta carina vado,
Qualiter aſſiduas inter mea vita procellas
Aut gemit; aut gemitus non niſi feſsa premit.
Exanimi iam tota metu ſuperata recumbit,
Deſperatque ſuæ naufraga vita rati.
Lumina iam tollit viſo procul humida cœlo,
Charaque lugubri littora voce vocat.
Iamque preces Superis, & vota natantia ſignat.
Turbida ſignatos iam rapit vnda preces.
Altera deceſſit nondum vdis lacrima malis,
Altera in humectas cùm ſubit vnda genas.
Triſtitiæ partem pars excipit altera; cuius
Sæpe nequit cauſsam noſcere, ſæpe modum.
Mox gaudere cupit; mox amens gaudia temnit,
Mox, quæcumque prius ſpreuit, habere cupit.
Sæpe vocat mortem; mortemque audita recuſat;
Et lacrimas, voto ſi potiatur, habet.
Neſcio cur mortem putet hæc ſibi vita timendã;
Ipſa ſibi potius vita timendo foret.

CXV.

Ad Annam Prophetidem, in tabula depictam.

Iam Chriſto lacrimaris Anus grandæua puello:
Flere potes viſo iuſtius, Anna, Viro.

CXVI.

De Manu, Chriſto colaphum infligente.

Ferrea cùm dominum pulſaret dextera, ferrum
Quàm cupijt Vires non habuiſse ſuas!

CXVII.

De S. Bennone, templi claues in vndas abijciente; ad Imperatorem templo arcendum.

In ſacra ne rueret vetiti penetralia templi
Per non conceſsas Cæſaris ira fores,
Proijcit æratas in cærula flumina claues
Viſurus Latios aduena Beno lares.
Iuſsa fidem præſtare, fidem optima præſtitit vnda,
Et commiſsa tenax condidit æra ſinu.
Cuſtodem ſed Benno ſimul remearat ad Amnē.
Clanger in fido littore piſcis erat.
Abſtruſamque libens vda intra viſcera clauem
Bennonis reduces exſpuit ante pedes.
Inſidias iam terra tuis ſtruat inuida gazis,
Quod ſeruare voles, mergere, Benno potes.

CXIII.

S. Pelagia pœnitens ad hominem.

Per mea continuis imber ruit ora fluentis.
Cauſsas, inquis, habes. Tu quoq; forſan habes.

CXX.

Ad milites impios, à Chriſto proſtratos.

Turba ſupinato ruis vndique tertia vultu;
O foret hæc ſceleris maxima pœna tui.

CXXI.

De B. Ioſepho Anchieta, Auiculis mirabiliter imperante.

Heſperi, peterent cùm barbara littora myſtæ,
E Socijs æger pluribus vnus erat.
Ille ſuum externo Phæbeiæ lampadis æſtu,
Internoque vri queſtus ab igne caput,
Quæſijt in prora, ſi quam daret angulus, vmbrã?
Nulla ſed in proræ partibus vmbra fuit.
Quæſijt in puppi, nihil vmbræ puppis habebat;
Summa ſed vrebant Solis, & ima faces.
Hic cupiens Ancheta malis ſuccurrere, ſolam
Aera per medium tendere vidit Auem.
Vidit; &, i, Socias, ait, i citò quære cohortes.
Aligeraque redux cum legione veni.
Dicta probauit Auis; celerique citatior Euro
Cognatum properat quærere iuſſa gregèm,
Milleque mox Socijs comitata reuertitur Alis;
Mille ſequi viſæ, mille præire ducem.
Mille ſupra, & totidẽ iuxtaque infraque volabant,
Omnis ad Anchetæ turba vocata preces.
Hæ ſimul expaſſis facta teſtudine pennis
Deſuper in toſtas incubuere rates.
Et procul inde diem, & lucem pepulere diei,
Dum quæſita ægrum tangeret vbra caput.
Scilicet hæc fierent vt Conopea repente,
Ancheta artifices eſſe coegit Aues.

CXXII.

In funere Caroli optimi Principis.

Carole qui nuper comitatus pluribus ibas,
Cui famulos ſemper vidimus eſſe greges.
Cur Superos nunc Solus adis? Scio, Carole: Tecum
Nemo pari potuit currere ad Aſtra gradu.

CXXIII.

S. Anaſtaſia cum libro vacuo depicta.

Quæritis, in vacuo quid ſpectent lumina libro?
Quicquid vbique ſolet Terra videre, vident.

CXXIV.

Ad S. Petrum cum gallo gallinacio depictum.

Aſſiduo cur, Petre, madent tua lumina nimbo?
Omnis abeſt Oculis culpa, Sed Ales adeſt.

CXXV.

Ad Chriſtum, in cunis iam Cruci deuotum.

Dant tibi prima Crucem, puer, incunabula paruã,
Illa ſed eſt humeris magna futura tuis.
Matrem quære, puer, crudeles deſere cunas,
Eſſe in Materno Crux nequit vlla ſinu.

CXXVI.

S. Iacobus Niſibenus flauos puellarum capillos in canos vertit.

Hic, vbi vicinos timuerunt Mænia Perſas,
Mænia præſidio tuta Iacobe tuo, (quondam
Marmoreo (vt memorant) putei de Margine
Aemulus Alpinæ bullijt humor Aquæ.
Fortè puella comis ibi multa fluentibus ibat

In

In malè conditos turba ſoluta iocos.
Nec Veneres illa viſo ſenis ore Iacobi
Continuare ſuos erubuere Sales.
Punijt effrontes igitur ſenis ira puellas,
Et ſubitas Voto vindice fecit Anus.
Mox venis abiere leues arentibus vndæ,
Inq. liquore ſtatim deſijt eſſe liquor.
Et nitidi cæpere repente ſeneſcere crines,
Et vetulas vertex Canus habere niues.
Quas vt in alterius capite altera,& altera vidit.
Horruit a forma quæque puella ſua,
Quippe ſibi Priami eſt Nutrice annoſior illa
Viſa; ſibi ſenior Neſtoris illa ſocris.
Grandæuam Pyrrhæ ſe credidit vna proneptem;
Effætam Niobæ credidit vna nurum.
Denique præcipitem capitis pertæſa pruinam,
Damnatas texit cana puella comas.
Vidimus à Canis alios albere capillis.
Erubuit Canis ſola puella ſuis.

CXXVII.

B. Virgo, ad Reges mortales.

Veſtra meis,Reges, diademata ſubdite plantis;
Nobiliora meum debet habere caput.

XXVIII.

De Chriſti pueruli incunabulis.

Pauperie ſquallent pueri incunabula: nullas;
In gremio Matris dum cubet, optat opes.

CXXIX.

De S. Gregorio Thaumaturgo, lacum in aridam vallem conuertente.

Excierat funeſta duos in prælia fratres
De malè diuiſo lis agitata lacu.

Squam-

Squammati pecoris magno lacus ille fouebat,
Paſcua verſantes inter opima greges.
Sæpe trahebatur diſcordi è gurgite præda,
At non plebeiam præda paranda gulam.
Hinc quæcunque lacus pars fratri ceſſerat, illa
Viſa ſui fratri pars minor Aſſis erat.
Ergo omnem ſibi quiſque lacum depoſcere frater,
Inque lacu ſolidum quærere quiſque lucrum.
Tentauere quidem componere fœdera multi,
Fœderis impatiens frater vterq; fuit,
Iungiter Gregorius diſcordes denique iuſſus;
Nunquam, ait, hæc fratres vnda coire ſinet.
Vt coeant ergo diſcordia corda, rebellis
Vnda prius toto tota, recede loco,
Dixit; & ecce noui res viſa ſimillima Monſtri:
Tota ſtatim toto vanuit vnda lacu.
Iamque lacus mera vallis erat: iamq. arida tellus,
Qua prius vndoſo gurgite plena palus.
Mox ſtagni patuere ſinus; viridique ſub aruo
Squamigerum vidit natura ſalire pecus.
Nec rate iam voluere peti, nec arundine piſces;
Inſidiante capi ſed potuere manu.
Continuò fratres coierunt ambo. Coire
Non potuere, prius quàm daret vnda viam.

CXXX.

S. Sabina Martyr, cœlum ſuſpiciens.

Aſtra quod erecto Telluri præfero vultu;
Suſpice, ſi cauſſam noſcere, Terra cupis?

CXXXI.

S. Gertrudis Virgo, manibus pectus conſtringens.

Illecebras, ah Terra, tuas promittere ceſſa;
Impleuit totos altera gaza ſinus.

Ad

CXXXII.

Ad Chriſtum puerum, in tabula depictum, & pomum è mortis arbore decerpentem.

Pullulat è putrido funeſta cadauere planta;
Parce puer tenera tangere poma manu.
Imò, puer propera mala tangere poma:nequibũt
Illa ſemel dextra tacta nocere tua.

CXXXIII.

Petro Caniſio ægrotanti optatam auiculam capiendam ſe obtulit.

Cum Senio Morboq; grauis tam fracta nequiret
Ex humili Petrus membra leuare toro,
Poſcere iuſſus erat, ſi quas pallentia vellent
Non faſtidias ora probare dapes.
Et data quæque forent: ſeu præda petita fuiſſet
Fluminis ex vnda; fluminis vnda daret.
Seu turunda foret: turunda parata fuiſſet:
Seu manſum peteret; præbita manſa forent.
Fortè popoſcit Auem. Mox omnia quæritur Alet
Per fora; Venalis nulla ſed Ales erat.
Deſperanda Seni iam cœna erat illa; cupita
Per Vitreas intrò cùm volat illa fores.
Cœna ea Turdus erat, pinguiue ſimillima Turdo,
Aut certè, qualem vouerat æger, erat.
Illa ter, illa quater per inane cubile pererrant
Ambijt humanas cœna futura manus.
Iuſſa proinde capi; ſubit ęgri capta palatum;
Nuſquam alibi Nidum maluit eſſe ſibi.
Vili Petre potes cœnare, vbi ſedulus Aer.
In tua non emptas fercula mittit Aues.

S. Ni-

CXXXIV.

S. Nicolaus Tolentinus, in Crucem intuens.

Fixa licet ſpectare Crucem mea lumina pergant,
In Cruce non poſſunt illa videre Crucem.

CXXXV.

B. Ignatius in templo Mariano inter preces peruigilat.

Ante Sacram Loiola ſtudet dum flebilis aram
Peruigiles tota fundere nocte preces.
Pendula deſtitui cæptabat fomite Lampas,
Et vacuum Templi nox operire tholum;
Quæſijt ergo diu, exhauſtæ Loiola lucernę
Vnde nouus poſſet ſuppeditare latex.
Mox, liquidi ſiccetur, ait, mihi Lampas oliui;
Hanc meus ex oculis qui fluit Humor alet.

CXXXVI.

Ad Iacobum Biruuam S. I. Oeconomum Religioſum, & mirè Sanctum.

Sperataꝫ quoties auara meſſem
Eluſo ſeges horreo negabat,
Aut Vindemia parcior Falerni.
Vix vllam dabat Amphoram Lyæi;
Et quæuis inopumque, diuitumque
Mœrebat domus, ac ſibi propinquum
Credebat penus imminere fatum;
Tu læto Socijs Iacobe vultu
Victum pluribus vberem ferebas.
Nam te pau pere Cella ſub Miniſtro
Cella ex omnibus vna neſciebat
Nec parcam ſegetem; nec mminutæ
Permiſit Cumulum emori farinæ.
Sed quamuis Cadus his & his abundos

Præ-

Præberet ſitientibus Cululllos,
Durauit tamen Amphora, & meracis
Nunquam deſijt eſſe fæta Nimbis.
Ceſſet Vinea, Vinitorque ceſſet,
Ceſsent Arua, ſegeſque ceſſet: vno
Dum curabit horreum à Iacobo,
Vltro Meſſis in horreum, vltro in vnam
Eſt vindemia tranſitura Cellam.

CXXXVII.

Imago Chriſti lacrimantis.

Fundere iam ſiccę lacrimas dedicere tabellę;
Didiſcunt artem lumina noſtra ſuam.

CXXXVIII.

Ad diſcipulum, noctu à Chriſto refugientem.

Ne Dominum comitere,fugis, veſtemq. relinquis
Nudaque iam ſola corpora nocte tegis,
Sic tectus rubor, inquis erit, Nil proficis: ipſa
Sit licet atra, tua iam rubet vmbra fuga.

CXXXIX.

De P. Iacobo Remo S. Io. Vito ſanctiſſimo, & defunctorum mirabili patrono.

Hic eſt ille Senex, Iacobus ille,
Cuius perpetuo rigata fletu
Illa incendia ſunt, quibus piandę
Sub terrę gremio cremantur Vmbræ.
O quantas (ſimul vt profunda nigro
Nox inuoluere cœpit Aſtra polo)
Quantas, ò Superi, ſubire ſenſit
Vmbrarum lacrimantium cateruas?
Adſtabant foribus, manuſque nutis
Tendebant miſerabiles querelis.

Seu

Seu votis Superos vocaret ille,
Seu per nox tacitum cubile crebro
Subiectæ rabis Aſſerem grauaret;
Seu ſomno grauis aridos Iacobus
Duro in robore collocaret artus;
Seu quicquid faceret; ſubibat illa
Vmbrarum lacrimantium caterua;
Et nunc auſa piaculare longis
Abſoluenda ſacrum rogare flammis:
Nunc ieiunia velle; diluendis
Nunc oraris ſua flagella culpis:
Nunç expoſcere lacrimas, rigando
Quem terræ in gremio ferebat, igni.
Et quicquid petijſſet illa, & illa
Vmbrarum lacrimantium caterua.
Oratus dabat impigre Iacobus:
Et fuſis oculi vtriuſque nimbis
Iuſſos obruit expeditus ignes.
At iam deſijt ille lacrimare:
O quos ignibus alteros rigandi
Vmbræ iam potuerunt habere nimbos.

CXL.

De Angelis in ſtabulo viſis.

Cælicolas quæ cauſſa polo diſcedere iuſſos
In malè ſarta caſæ tecta migrare iubet?
Nimirum patria dum filius exulat Aula,
Patria nunc famulos non alit Aula greges.

CXLI.

De S. Chriſtophoro.

Liminus Chriſtophorus ſtellatæ viderat Aulæ
Grandior; ad vaſtam limina parua domum:
Nam

Nam breuis anguſtos arctauit ianua poſtes,
Proceroque minor porta Gigante fuit.
Territus ergo, poli caperet me Regia, dixit,
Ianua menſuræ ſi forent apta meæ.
Vtendum ingenio eſt. Humero tenus altior exto,
Perque humiles ceruix non ſinit ire fores.
Item aliquis, ſtrictoque caput, diuellite ferro;
Corpore tranſiri porta minore poteſt.
Ocyus excelſa caput à ceruice reſoluit,
Et minor, abiecta ſidera parte ſubit;
Ingenium in magno quid quær s, turba, cerebro,
Plus ſapit abiecto Chriſtophorus cerebro.

CXLII.

De ſtudio Anachoretarum, in corpore affligendo.

Bella, quibus crudo multamus terga flagello,
Iratasque cuti cogimus eſſe manus;
Thebaicis olim bellata fuere colonis,
Et per Niliacos infremuere ſpecus.
Nuda alibi ſtimulant ſetoſi pectora villi,
Nudum alibi torquet ferrea zona latus.
Deijcit hunc rigidus centeno pondere thorax;
Vinctaque crudelis circumit oſſa chalybs,
Vlcerat hic fixis exermia membra vepretis.
Atque dolet, quoties cauſſa doloris abeſt.
Calcat hic immotis eadem veſtigia plantis,
Stanſque ſolet noctem; ſtanſq; fugare diem.
Incumbat hic ſaxis: hic iantibus excubat antris;
Hibernas inter decubat ille niues.
Iſte ſiti ſua labra; fame hic ſua viſcera torquet:
Hic gelido mergit membra præuſta lacu.
Et tamen emerſit redeunt incendia membris,
Terreat illiſo mox niſi terga flagro.
Quid querimur noſtris? Priſcorum verbera cōfer,
Eſſe meros dices ſeria noſtra iocos.

CXLIII.

De S. Bennone Thaumaturgo.

Si quà Machaonias ſuperarunt vulnera vires;
  Vlcera pæoniam ſi pepulere manum.
Si nihil exhauſto profecit Coſmus aheno,
  Si tetram timuit vis medicata luem:
Currite, Benno luem fugere, & leuat vlcera Bēno,
  Tactàq; gratuitò vulnera Benno iuuat.
Sæpe videt claudos lento ſubrepere tractu,
  Quos iubet erecto mox properare gradu.
Sæpe manum tacito videt intabeſcere letho,
  Oratuſq; manum viuere Benno iubet.
Lumina quin etiam longis damnata tenebris,
  Cogit in amiſſum Benno redire diem.
Cedere ſæpe febres; deliria cedere cogit;
  Pænè prius præbet, quam petat æger, opem,
Ite alij, & precio medicatos vendite ſuccos:
  Hunc medicum gratis, quē vocet, æger habet.

CXLIV.

De S. Gulielmi Metamorphoſi.

Heroum perteſus opes Gulielmus auorum,
  In deſerta ſuam tranſtulit antra domum.
Longus ibi tunicæ cataphracto in tegmine fleuit.
  Purpureà quicquid riſerat in tunica.
Nam præuincta chalybs illi circundare colla,
  Et lorica reum cœpit ahena latus.
Sepſit & hamatus præcordia conſcia thorax,
  Et grandi gemuit caſſidis ære caput.
Horrebatq; pedis deformi tibia nodo,
  Et merus in toto corpore carcer erat,
Viuere non piguit tam triſti in carcere? dices:
  Neſcio: ſed ſcio, ibi non pinguiſſe mori.

CXLV.

De Piore, etiamſi ſororis aſpectum refugiente.

Iam longùm abſuerat Pior; oblitnſq; ſubrum.
Nec matris tulerat nec patris ora Prior:
Abſenta (quid enim non auſit fœmina?) fratri
Deſtinat impenſas cùm Soror ęgra preces.
Et, ſimul egra meum mihi fratrem videro, dixit,
Agra ſtatim viſo fratre valebo ſoror.
Hic, quid agas, frater? contemnes vota precantis?
Durior Armenijs eſſe fere referis.
Parebis? Veneris tibi viſa recurret imago:
Quæq; ſemel fuerit viſa, videnda diu eſt.
Ambiguus Pior ergo diu, quò tenderet, hæſit:
Demum ait, hac illam callidus arte petam.
Mox ſpectanda ſuæ ſic præbuit ora ſorori,
Mutua ne quà oculis cerneret ora ſuis.
Clauſit enim geminis oculorum lumina valuis.
Obiectaq; ſibi condidit illa manu.
Ne ſis Aegra, meos vis, inquit, cernere vultus;
Aeger ego ne ſim, nolo videre Tuos.

PROGRAMMA.

AD MAGNAM VIRGINEM Dei Matrem.

VIRGO Parens, geminos Orbis Regina per Orbes,
Et Magna, quamuis Maxima, Prole minor:
Altera Virginibus mihi parta Volumina Muſis
V rgineo cupiunt degere tuta ſinu.
Prima tuus iam Natus habet. Tu proxima Nato
Mater es. hoc igitur proxima Carmen habe
Sint Mariora licet multorum Carmina: Maior
Carminis vllius nulla Patrona fuit.

EPIGRAMMATVM
Liber Secundus.

DEIPARAE VIRGINVM VIRGINI SACER.

VIRGINVM.

CHORVS PRIMVS.

I.

Virginitas oſtentis comprobata.

SEV temerata neget Genialis fœdera lecti
Seu probet intactos nupta Virago toros;
Aſtra fidem faciunt, patronaque Sidera clamant,
Et mentita ſtygis probra tacere iubent.
Innuba ſeu quærat primæui Virgo pudoris
Indicium; inditium Virginis, Ara facit.
Ipſa fuiſſe viris ſi corpora caſta negentur,
Caſta fuiſſe viris corpora, tumba probat,
Inde ſub illæ ſis teritur lamna ignea plantis,
Inde repentino flore vireſcit humus.
Indefluunt viuis tumula liquoribus oſſa,
Inde carent longo membra ſepulta ſitu.
Rideat humanos Virgo bene conſcia teſtes;
Cùm deerunt Cœlo vincere teſte poteſt.

II.

Deiparæ Virginitas tribus lilijs monſtrata.

Edere ſigna volens Mariani Myſta pudoris,
Prodigijs fertur ſigna dediſſe tribus.
Ter baculo percuſſit humum; teſteque futuros
Ter de percuſſa ſurgere iuſſit humo.
Surrexere ſtatim ter iuſſi ſurgere flores,
Liliaque è triplici proſiliere ſinu:
Virginis iſtud, ait, fæcundæ eſt Lilium: & iſtud
Virginis indicium parturientis habet.
Tertius enixe flos matris adumbrat honores,
Flore ſed hoc ipſo purior illa fuit.
Obſtupuit tot monſtra Fides; &, pergere ceſſa,
Ceſſa, ait: oſtentis res ſtabilita ſat eſt.
Ni ſatis eſt, baculo perge omnem cædere Terrã,
Tota tibi fieri Lilia Terra volet.

III.

Franciſcus verticas vertit in roſas.

Terræ nobilis Vmbriæ propago
Franciſcus decus Vmbriæ perenne.
Inſuetus Paphias vbi fauillas
Imis gliſcere ſenſit in medullis;
Craſſe proiiciens moras Abollæ,
Hortenſem fugit impigrè in paleſtram,
Et nudus vocat hoſtem; & inſolentem
Audax corporis improbi iuuentam
Vrticas rotat inter, ac licentem
Illis vindicat, increpatque flammam,
Vrticam tamen ille dum ſupino
Incumbit grauis obteritque tergo,
Vrticam fieri repentè verſa
Sentit nobile lilium figura,
Sic Franciſce, licet vepreta quæras,
Et ſenes tibi carduoſque; norunt

Vrti-

Vrticæ tamen, & vepreta, quali
Franciſcum decat cubare lecto.

IV.

Dorothea Theophilo roſas è cœlo promittit, ac mittit.

Cana gelu, & niueis hiemabant arua pruinis,
Et nemus amiſſa flebat, & ortus opes;
Cum moritura, Crocos, & odori lilia prati,
Et placitas ibat carpere Virgo roſas.
Hic Iuuenis riſitque roſas, ridenſque popoſcit,
Nec mora, quas riſit, quaſque popoſcit habet.
Nam puer ex Aſtris, ipſis formoſior Aſtris,
Portat odorato munera verna ſinu.
Hæc, ait, Eliſijs tibi Lilia mittit ab hortis.
Ah malè ludibrio riſa puella tuo
Ille probat donum; pueri probat ora, ſed hortos
Præ pueri dono, præ pueri ore probat.
Parce tuas iam, Virgo, roſas mihi mittere, dixit,
Cernere tota horti malo roſeta tui.
Dixit, & inſtrictos bene credulus irruit enſes;
Aeſtiuumque ſubit cœlo hiemante nemus.
Res noua? qui flores Aſtrorum riſit, & hortos;
Huic iubet offenſum Numen vtroſque dari.
Ergo ne iam luimus, cũ ſpreta capeſſimus? inquit;
O vtinam, quiſquis ſpreuerit Aſtra, luat.

V.

Sirenus contra Sirenes ab cœlite defenditur.

Laſciuos vbi ſe Sirenus inter
Aetnæ feruere deprehendit ignes,
Et nullis opem ab imbribus, Venite
O rores gelidi: inqu.t, ò liquores,
O Euri Zephirique: voſque lenti
Qui terræ gremium rigatis, imbres:

Et quicquid gelidũ vſquã,& humidũ vſquam eſt.
Huic illabere pectori, liquatur,
Huic aſpergere corpori, crematur.
Infelix Acheruntiæ paludis
Obſeſſum calor vſtulat; meæque
Abſumit meditullium medullæ.
Vix hęc deſiderat rogare; iamque
Rores, & zephyros, & auram, & imbrem
Et quicquid gelidũ vſquã,& humidũ vſquã eſt,
Vaſtat s videt aduenire membris:
Dum cœleſtibus elegans ab Aulis
Læuum vulnere non dolente Ephebus
Flammati lateris recluſit antrum,
Et clauſum Veneris peremit æſtum.
Id Vulnus fuit vnum. At illud vnum
O quot vulnera vulnus interemit?

VI.

Faber Caſtus, ferreum candens impunè tractat: lapſus, vſtulatur.

Caſta per incudem dum brachia verſat Apelles,
Exercetque pius ſueta metalla Faber;
Forcipe refecta domitos impunè per ignes
Errat, & hibernas æſtimat eſſe niues.
Quin etiam tollens vndante metalla camino,
Inſerit in nudas ipſa metalla manus.
Quippe nequit actos ignis violare lacertos,
Virgineo ſeptos quos videt eſſe gelu.
At ſimul admiſſum patrauit crimen Apelles,
Cœpit edax artus vrere flamma reos.
Tunc ignem faber eſſe alium credebat; at ignis
Idem erat; idem alium ſenſerat eſſe fabrum.

Bri-

VII.

Brigitta Virgo Aram tangit, & Ara vireſcit.

Explorantibus admouetur Aris
Teſtatura ſuum Brigitta, nullo
Tactum crimine conſcio pudorem:
Hinc arentis, vt aſſeris ſeniles
Et longa carie ſituque adeſas
Aræ contigit expiantis oras;
Cœpit ſurgere plurimus vireti
Cum verna decor hic & hic iuuenta
Frondebant virides, ſtupente templo
Sectæ quercubus aridis Tabellæ:
Et quod iam ſenio grauante roſum
Cœptarat malè verminare lignum,
Viue conſtitit ebrium medulla.
Et tollas fora, Iudiceſque tollas,
Ara abſoluitur à loquente Virgo.

VIII.

Iuuenis luſurus, Annulum imagini B. Virginis indit; quem illa digito contracto recipit.

Luſus erat Iuuenum, quo pondus inane pilarum
Poſcitur alterna, reijciturque manu.
Hos inter precioſa vni radiabat Iaſpis,
Aureaque incluſas pala ferebat opes.
Hic, (ne ſparſa pilæ deformi gemmula næuo,
Aut humili fieret ſordida pala luto:)
Exuit Heſperium digitis ludentibus aurum.
Securo cupiens dona repoſta loco.
Exigui iuxtà ſuberant Sacraria templi,
Magnæque effigies Virginis intus erat.
Hic aſpecta puer miratus imaginis ora,
Certè, ait, hæc auro eſt digna puella meo.
Ex emptamque ſuo depromens pollice gemmam
Inſerit arrectum Virginis in digitum.

Non renuit domum porrectus Virginis index,
Sed citò contractis excipit articulis.
Quod puer vt ſenſit,ſerua aurũ,ait,optima cuſtos,
Pulchrior vt digito ſit mea gemmo tuo.
Nunc ego dum pueris puto me colludere; mecũ
Non pueros video ludere, ſed Superos.

IX.

VValpuergis Virgo in tumulo ſudat perenne oleum.

Quà VValpurgis habet ſepulta tumbam
(O tumbam nimis: ò nimis beatam?)
Illac marmore manat è perenni,
Imò è Virginis oſſibus, perennis
Nimbus perpetuæ ſaluber vndæ.
O qualiſ(Deus?) ille nimbus vnde?
Quàm morbis bonus, & cupitus ægris?
Quàm ſanis preciosus? incoliſque
Felix omnibus accoliſque nimbus?
Illum prę Syrio placere ſucco.
Illum præ Solymo probari oliuo,
Iurat Teutonis omnis ora; iurat
Quiſquis Teutonis eſt propinquus oræ.
Serua Roma tuas vetuſta limphus.
Nos, quam tu tibi vana vendicabas,
Nobis Virgine gratulamur vnda.

X.

Bernardus è Deipara imagine lac impetrat.

Virgineo ſtabat ſignum venerabile Templo
Indita cui magnæ forma parentis erat.
Hic ſolitam Bernardus opem dum ſedulus optat;
Tergeminumque leui murmure dicit Aue;
Ter vocat ætheriæ portam blandiſſimus Aulæ,
Ter ſtellam æquoreæ, cernuus orat aquæ;
De-

Deniquæ, Mater, ait, magni fęcunda Tonantis,
Incipe te Matrem Virgo probare meam.
Sic ait, & niues reſpexit ad vbera ſigni,
Vberiq. è niueo lacteus imber ijt.
Qui medium flexo poſtquam Aera tranſiijt arcu,
Arida Bernardi fluxit in ora liquor.
Ille diu dubius, dum dulcibus imminet vndis,
Credidit Hyblæo mella pluiſſe mero.
Victa ſed Hybla fuit. Nectar quoq; credidit: Illa
Nectare ſed dulci dulcior vnda fuit.
Hæc, tandē, hęc, inquit; Materni eſt gratia lactis,
Claude tuum, iam ſunt pectora pota, ſinum.
Imò age, pande ſinum: da pluribus Vbera, Mater;
Nos quoq; lactentes, paruula turba, ſumus.

XI.

Agnę Politianæ tumulus manat iugi rore.

Si quem Cypridos vſtulant calores,
Aut iactis agitat Cupido tædis.
Huc ad Virgineos reuiſat imbres,
Imbres Virginis ad Politianæ.
Stillant iugibus arida oſſa guttis,
Et viuo pluit Agna humata rore.
Qualem nulla dedit Ciliſſa fuſis
Nubes imbribus optimis liquorem:
Nec Romæ (licet inſolens Latinis.
Rurſum ſparſio fiat in theatris,)
Talis per cuneos, patrùmque poſſit
Vllus per podium meare riuus.
Nam rurum, modò quem putamus Agnę
Humecto fluitare de ſepulcro,
Certo certius eſt, venire cœlo.

VIRGINVM.

CHORVS SECVNDVS.

XII.

Virginitas per luctam defenſa.

VIrginitas vt tuta ſuos armetur in hoſtes,
Ipſa fit in pœnas ingenioſa ſuas.
Nam ſeu blanda premant Cythereiæ bella puellæ,
Mox ſua terga ferit Virgo,Venúſque perit,
Siue puer Gnidio tela ignea dirigat arcu,
Tela per effuſas diſſipat illa preces.
Seu tacitè inſidias alias paret,illa repugnat,
Inſidiaſque alijs excipit inſidijs.
Inde pudor paribus paria arma repercutit armis,
Atque ignes alio fortior igne ferit.
Cumq; repulſa Venus redit vſque rebellis, & vſq;
Ipſe flagris reducem verberat vſque pudor.
Scilicet ipſa Venus,quæ ſint ſua præmia,nouit;
Inde redit toties ad flagra,digna flagris.

XIII.

S. Thomas Aquinas titione fœminam fugat.

Ingenuos Thomas cùm viueret inter Ephebos,
Caſtior ingenuos inter Ephebus erat.
Sæpe quidem pueri Venus ora modeſta probauit,
Sæpe probata tamen condidit ora puer.
Deniq; dum puero, Venus arcto in carcere ſentit
Oſtia captandæ nulla patere fugæ;
Id aliam feſtina iubet properare miniſtram,
Quæ ſolito pectus fallat inerme dolo,
Tèrque quaterq; manus illi intulit improba; at
Repulit illatas terq; quaterque manus.
Nec tamen illa,quater diſcedere iuſſa,receſſit.
Sed quater,atque iterum eſt auſa redire quater.

Quid

Quid faceret?Clauſus vetat illũ erumpere poſtis,
Ipſaque præ clauſo poſte,puella vetat.
Æquorea ſpectaret aquas è rupe;profundas
Lapſus ab æquorea rupe ſubiret aquas.
Cerneret Æthneos Siculis à montibus ignes,
Iret in Ætnæas,igne ſtupente faces,
Pugnaret iaculo,iaculi ſi tela videret:
Si foret haſta;manu rapta ſtatim haſta foret,
Arcus adeſſet,eum caperet puer obuius arcum;
Vidit fortè focum;præbuit arma focus.
Elatoque puer debellat torre puellam;
Et Veneris flammas altera flamma necat.
Cur hodie talis tam rara eſt pugna?puella
Deſijt,an talis deſijt eſſe puer?

X V.

Iacobus Anachoreta,ne à fœmina vratur, ipſe ſe vrit.

Impia mentito plangebat pectora queſtu,
Deceptura pium ſpurca puella ſenem.
Tende manus,inquit,tacitoque medere dolori:
Nam moribunda grauis pectora morbus habet
Audit;& inde cauere Senex Venerẽ optat & inde
Tollere ſerpentem membra per ægra luem.
Nempe,ait,à Medico niſi tangitur ægra, necatur:
Et Medicum,ſimul ac tangitur,ægra necat.
Altera culpa mihi grauis;altera culpa puellæ;
Vtraque conſilio eſt cũlpa cauenda meo,
Ergo ſalutiferi ceroma popoſcit oliui,
Et tetigit dextra pectora nuda manu.
Sed ſimul exemplo rediuiuus Scæuola magno
Miſit in ardentes brachia læua rogos.
Vtraque dum gemino ſic arſit palma camino,
Arſit maiori dextera palma foco.

XV.

Franciſcus in Niuibus volutatur.

Cùm purum Stygio calore corpus
Vrgerent Veneres Cupidineſque,
Et plures Venus, & Cupido plures
Primis ignibus admoueret ignes;
Franciſcus gelidas cupiuit vndas:
At nullas habuit December vndas:
Nam ſtabat glacialis, & gelatas
Velabat nimium pruina terras.
Quas cum cerneret ille, mox ſeuerus
Hibernas ruit vltor in pruinas.
Et ventis hiemantibus, niuoſo
Perſultat generoſus in theatro.
Hic frigente manu, ſibi Miniſtros,
Hic de vellere candicante Vernas,
Hic natos ſibi format, hic Nepotes.
Sed dum Tollere cogitat Nepotem,
Magno frigore congelatus ipſum
Ignarus propè ſuſtulit parentem.

XVI.

Benedictus in vepribus ſe verſat.

Qua Valles ſuper inuias propinquis
Rupes aeriæ minantur Aſtris,
Squallenti Benedictus in receſſu
Cum tetro Veneris flagraret ęſtu,
Voluit vindice corpus in vepreto.
Et ſpinas vagus inter atque ſentes
Iam coſtas premit, & laceſſit oſſa,
Iam plantas domat, & cruentat ora;
Hinc tergum ferus vrget, hinc lacertum;
Et fuſi calido cruoris imbre
Arcanas iubet interire flammas.
Ne molli iuguleris in Roſeto,
In tali, Pudor, incuba Grabato.

Igna-

XVII.

Ignatius vndis, alterius Venerem plectit.

Ardentem ſtimulabat Amor funeſtus Alumnum
In vetitos ſpreto tendere iure toros.
Reſciuit Loiola viam; temereque ruentem
Sedulum inſtructis excipit inſidijs.
Pons erat, atque inter geminæ diuortia ripæ
Stagnabat gelido pigra lacuna vado.
Has Loiola ſubit, collo tenus abditus, vndas,
Quà Iuuenem vidit non procul ire via.
Et, miſer, inquit, ahi, luxuque caleſce nefando,
Frigoribus flammas his ego plecto tuas.
Ille ſimul clamore, ſimul ſtupet ore lauantis,
Frigidiorque ipſo penè lauante fuit.
Parce piare meos iſtis, ait, amnibus ignes
Quos ego iam lacrimis ſponte piabo meis.
Mox, quibus externum Iuueni Loiola calorem
Depulit; his ipſis ſe calefecit aquis.

XVIII.

Ammonius, ne à Venere vratur, pedes amburit.

Curuato quoties minatus Arcu
Flammantes Veneris puer ſagittas
Materna iacebas è pharetra,
Arſi terra caloribus; nec vna
Se ſe feruere ſentiebat Aetna.
Tunc cœpere nouis aduſta prunis
Sparſas pectora poſtulare lymphas.
Tunc Ammonius vnus inter omnes
Ne quo caſtus adureretur æſtu,
Non riui petijt meantis vndas,
Non imbres gelidos, nec alſioſi
Incenſus glaciem cupiuit Hæmi;
Sed ne quo tamen vreretur æſtu,
Diuerſum cecidit lubens in æſtum,

Nam

Nam fracto puerum vt fugaret arcu,
Nudos ignibus vſtulauit artus.
Hæc eſt ars noua: Ne cremeris igne,
Ipſum quærere, quo cremeris, ignem.

XIX.

Bernardus lacu ſuos ignes reſtinguit.

Ora videt temere Bernardus vt obuia Nymphæ,
Obuia, Bernardus penè per ora perit.
Nam penitus perſuaſit edax ſcintilla medullas,
Tactaque funeſtus ſerpſit in oſſa calor.
Ille quidem tacitum generoſus pertulit ignem,
Et nocuo conſtans Victor in igne fuit.
Vaſtauere tamẽ magis, ac magis omnia flammæ.
Et domito venit maior ab igne vapor.
Tum querulo Bernardus opẽ clamore popoſcit.
Pectora vt afflato ſpargeret vſta gelu.
Fortè videns glacie ſtagnantem cominus vndam,
Hæc, ait, ardores molliet vnda meos.
Inſiluitque ferox, & toto corpore merſus
Defendit Medico membra cremata lacu.
Has venus in thermas ſi ſæpe lauanda veniret,
Non ita Baianis ſemper egeret aquis.

X X.

Ioannes Bonus, aſſulas ſub vngues infigit, & dolore voluptatem vincit.

Gentiles Bonus inter inquilinos,
(Vicino licet amne, Mincioque
Per ripas, per & effluente pontes,)
Ardebat tamen impotentiore
Quàm ſi Mulciberi caleret igne.
Non lymphæ liquor obuius, nec auræ

Ventorum,licet vberes,innabant.
Quò ſe verteret, vſitata noto
Quem defendere nollet ars ab hoſte?
Defendit dolor inſolens. Acutas
Primo res agit aſſulas ſub vngues.
His telis pugil obuias fatigat
Incurſu miſerabili columnas.
Tùm verò fugere omnis ardor, omnis
Fractis cedere viribus Voluptas
Sulcaret Venerem licet cruentus
Sæua tigridis aut leonis vnguis,
His nullos tamen vnguibus putaret
Impreſſos Venus eſſe ſæuiores.

XXI.

Apelles Virgo faber, candenti ferro fœminam profligat.

Artificis dum folle cauo faber excitat ignes,
Et victore domat dura metalla foco,
De Phlegetontæo prorepit fæmina furno;
Fæmina,cui ſtygius flabat ab ore vapor.
Vicinumque petit funeſta lampade pectus;
Qua prius intactum lampade pectus erat.
At faber vt ſenſit peregrinæ incendia prunæ,
Non,ait,iſte meo prodit ab igne calor.
Conuerſuſq; videt (monſtrum furiale) nocentem
Fœminam, ad incautum ponè ſubiiſſe latus.
Mene,ait,ergo tuis,fornax,petis improba flãmis:
Ipſa etiam flammis faxo petare meis.
Effrontemque feri candenti fulmine frontem;
Stridentemque reo mergit in ore facem.
Non tulit illa iocum; ſed aduſta repentè refugit,
Erubuitque ſuas frons inhoneſta notas.
Fæmina ne qua fabro poſthac aude eſſe moleſta;
Scis qualem incudem poſſit habere faber.

XXII.

Anonyma Virgo è Brigitta familia pedes adurit ne aduratur.

Inſons è grege virginum puella
Quòd vano nimium periculoſam
Audiret Iuueni placere formam.
Vſsit ſuppoſitis pedem fauillis.
Emerſere repentè puſtulæque,
Et puris ſanies, cruroq; cruris,
Et nidor pedis, & dolor tumoris;
Hac flamma pepulit puella flammam.
Dextram Mutius vrat, & ſtupenda
Porſennam patientia triumphet
Vſtus Scæuola, dum puella plures
Ambuſto pede ſauciarit hoſtes.

XXIII.

Anonymus Iuuenis in prunas abijcitur, vt amorem triumphet.

Inſidias Iuueni tendebat fæmina caſto,
Phædra ſuo quales ſtruxerat Hyppolitho.
Ille quidem Venerem ſæpe indignatus abegit,
Sæpe ſed eiectam, ſæpe redire videt.
Quid, Iuuenis, tandem faciã, impatientior inquit.
E minus à tergo, & comitius inſtat Amor.
Omnia conati pergit Venus. Omnia pergat.
Hyppolithus redeo, ſi mihi Phædra redit].
Me fugiente, diu nequijt mala vipera pelli;
Experiar, quid me non fugiente quæat?
Inde diem Iuuenis veniendi dicit, & horam;
Dictaq; iam Veneri cœpit adeſſe dies.
Illa venit. Sed operta videns veſtigia prunis,
Et ſola candenti ſtrata calere foco:
Et ſuper ardentes Iuuenem decumbere prunas,
Conſortemque ſui ſe eſſe iubere tori:

Om-

Omnia conati perterrita deſijt: vltroque
Inuitata licet, deſijt illa tamen.
Nempe torum timuit: retroque re apſa refugit:
Impatiens calidi Sponſa toralis erat.

XXIV.

Franciſcus Xauerius ſanguinem eiectat, horrore obiecta Veneris.

A ſudore Xauerius diurno
Vix olim modica potius vmbra
Nocturnum ruit æger in ſoporem:
Confeſtim Stygiæ mouentur Vmbræ,
Circumſtant Veneres Cupidineſque,
Et ſpurcis animant torum figuris.
Queis obnititur ille dum figuris,
Et turbas Venerum Cupidinumque
Impugnat cubito, feraſque pellit
Sopitis licet artubus catervas,
Ingens aſſiduo ſtatim duello
Erumpit roſei cruoris imber:
Et nares per, & ora per, ſoluto
In lectum ruit Impotens meatu
At pugnam Venus arduam peroſa
Damnauit pluuiæ ruentis imbrem;
Et non fulmine, ſed cruore victa,
Nocturna properauit è palæſtra.
Sed cur imbre Xauerius rubente
Perfudit Venerem? Rogas? Habebat
Omnes iam Venus antea colores,
Vnum non habuit Venus ruborem.

VIR-

VIRGINVM.

CHORVS TERTIVS.

XXV.

Virginitas per mutilationem ſeruata.

FOrma pudicitiæ comes olim fida,petulcis
Vt laqueos factam ſe videt eſſe procis;
Ipſa ſibi bellum facit indignata,ſuamque
Sæpe notat frontem vulnere,ſæpe genam.
Inde modeſta ſibi laniarunt ora puellæ,
Tutus vt in læſo viueret ore pudor.
Inde aliæ telis oculos hauſere cruentis,
Fruſta ſuis aliæ trunca tulere labris.
Illa caput raſit,quaſque olim ſedula gemmis
Struxerat,euulſas iam cupit eſſe comas.
Illa verecundas irato vulnere nares,
Et quodcunque Venus poſſet amare,ſecat.
Denique iam cupiunt deformes eſſe puellæ;
Seque oculis Iuuenum diſplicuiſſe,placet.
Eſſe iubes vultus formoſos Virginum? amare
Formoſos vultus deſine,ſemper erunt.

XXVI.

Nicetas linguam in Venerem euomit.

Vt Iuueni Cæſar Nicetæ bella pararet,
Bella,quibus Cypriæ ſigna tulere faces,
Blanda Semiramij violaria quæſijt horti,
Strataque Peſtanis Amphitheatra roſis.
Hinc aderant modicæ folijs pubentibus vmbræ,
Hinc aderat ſtrepere non graue murmur aqua.
Mollia ſubter erat de Coa ſtragula tela.
Subter erant niuei plumea valla tori.
Iuſſit in hoc Iuuenem reſupinum aſtringere lecto
Se-

Sericaque in captos indere vincla pedes.
Et Tyrio iuſſit diſtendere brachia texto;
Ille Prometheas credidit eſſe feras.
Inde Theatrali de Scena fæmina prodit,
Incenſura ſuo fæmina quidque foco.
Tunc Iuuenis violas odiſſe;& poſcere vepres,
Tunc gelidas inter ſtragula velle niues.
Vrticas tunc malle roſis;tunc floribus vndas;
Strata ue plumigero plumbea præ thalamo;
Et, validi ſi robur,ait,Samſonis haberem,
Heroa caderent vincula rupta manu.
Hunc manibus quia tela meis aliena negantur;
Tela mei dentes ingenioſa dabunt.
Ergo ſecat mediam Deus pulcro vulnere Linguã
Inque genas Veneris fruſta cruenta vomit.
Erubuit non ſponte Venus,profugumq; repentè
Rettulit à caſto victa pudore pedem.
Dentis hic error erat:Quo morſu tangere Linguã
Se ratus eſt,illo Tacta puella fuit,

XXVII.

Anianus oculum, quo fæminam vidit, exſculpit.

Incautos Anianus in vagantem
Obtutus malè fixerat puellam.
Mox facti memor;inſtit profanum
Magnis fletibus increpare vultum.
Ac ne per ſubitum inſcius calorem
Funeſtas ageretur in fauillas.
Quid pœnas,ait,exigo minores?
Non eſt,non ſatis eſt mihi,ſalacem
Solis fletibus expiare flammam.
Vindictas decet exigam Viriles.
Et magno celeri pares. Repenteque
Armatis manibus ſibi minatur,
Erronemque oculum ſeuerus vltor

Infeſtis trahit Vnguibus. Nec illo
Quicquam lumine deinde vidit; vna
Quo ſat viderat antea in puella.

XXVIII.

Lucia oculos, quibus placuerat effodit.

Obuia miraturus viſa Rex ora puellæ.
Lucenteſque duas caſtas per ora faces:
Protinus exarſit,formamque petulcus honeſtam
Inſtit appoſito ſollicitare metu.
Territa Virgo metu, fædique Cupidine regis,
Confundit niueas picta rubore genas. (tus;
Hic pro Rege timor ſtetis; hinc pro Virgine vir-
Cedere nec patiens ille, nec illa fuit.
Lis deciſa fuit poſtremò magna; Timorem
Victor vbi eluſum iuſſit abire Pudor:
Nam moritura prius, quàm conſenſura; parauit
Ambiguo Regem falle, e Virgo dolo,
Quæ tibi pars,inquit,noſtrę placet optima formę?
Quam tibi cunque voles;opta,& habebis, ait,
Ille, oculi placuere. Oculos, illa inquit,habebis:
Parua mora eſt; voto, Rex, potiere tuo.
Ferte citi cultros.Cultriſque ſtupentibus hauſit
Ipſa ſua præceps lumina bina manu.
Quæ placuit noſtri pars, inquit; corporis,hæc eſt.
Iam potes vſque oculis paſcere vota meis.
Horret in audaci muratos Virgine vultus
Rex; neq; iam in læſo, quod probet, ore videt.
Seruaret cum Virgo oculos, Rex perdidit: & eum
Perderet illa ſuos, repperit ille ſuos.

XXIX.

Lucia eadem in eodem facinore, bis laudanda.

Senſit caſta ſuos placere vultus
Aſtanti temere puella Regi;

Et

Et pertæſa ſuam pudica formam;
Quid vultum placet, inquit, inter omnem,
Vultum, Rex, oculi, inquit, inter omnem?
Iratis ſubitò puella telis
Dilectos rapit è genis ocellos.
Quos cùm mitteret erutos Tyranno,
Iam ſecurius inquit, hos amabis.
Et quamuis oculis carebo raptis,
Dum ſi Lucia, Luce non carebo,
Sed Rex eruto & hinc & hinc ocello;
Credebat duo rapta de ſereno
Phœbi ſidera Cynthia quæ Cœlo.

XXX.

Agata mamillas emittit ne pudorem.

Virgo Sicana viro toties optata, refugit,
  Optantem toties Virgo Sicana virum.
Ergo minax Prætor violenta voce puellam
  Ad ſua cunctantem iura venire iubet.
Illa, minæ nihil, inquit, agent. Infeſtior ille
  At meus hic, inquit, non nihil enſis aget.
Illa, nec Enſis aget. Simul ergo laborat vterque
  Ille ſuas vires, illa probare ſuas.
Lictorũ glomerata ruit manus vndiq: & vndique
  Adſtantum innumerus Carnificum numerus.
Vna puella tamen numero circundatur illo.
  Vna per innumeras prompta perire manus
Siue oculos, inquit, ferro præbere iubetis,
  Ferro oculorum ambos euacuate ſinus:
Siue genas, ſulcate genas: ſeu pectora vultis,
  Pectora quo vultis nuda ferite modo.
Siue manus, truncate manus; ſeu brachia, habeto
  Brachia: ſiue pedes vultis, habete pedes.
Nemo pedes voluit tortorum, brachia nen o:
  Nemo manus; nemo pectora; nemo genas:
Sola mamilla fuit pœnis optata ſceleſtis:

Sola

Sola data in pœnas ergo mamilla fuit.
Sectaq: crudeli ſunt vbera forcipe: Credo
Nulla tibi, Iudex, vbera tacta prius.

XXXI.

Carilephum, viru caſtum, fœmina curioſè aſpiciens excæcatur.

Heu quam fæminei obuius videret
Fallacem Carilephus oris vmbram;
In ſiluas ijt, auiaſque rupes
Ignoti vagus inquilinus antri,
Sed dum fallere eum puella certat
Mentito malè curioſa ſexu,
Per ſiluas, ait, inuiaſque rupes
Ibo fæmina: fæminam videbit
Vaſti tetricus inquilinus antri,
Quamuis tetricus vſque ſit, videbit.
Mox accingitur, & ſtolæ virilem
Fallaci ſuper inijci lacernam,
Et lucos per, & inuias per Vmbras,
Occurrit fugienti, & intuendam
Se prebet renuenti, & intuendum
Siluæ fæmina quærit, inquilinum.
Sed vix cœperat ille eam videre.
Et mox deſijt illa ſe videre.

XXXIII.

Apollonia dentes Virginitati impendit.

Niliacos dum Nympha toros illecta, recuſat,
Et pluris thalamis omnibus Aſtra facit:
Carnificum pugnos, & ahenæ fulmina palmæ,
Per geminas ſentit crebra tonare genas.
Non tremefacta tamen clypeo vim depulit vllo,
Sed propriæ malas caſſidis inſtar habet.
Ergo ruunt penita vulſi de ſede morales,
Oſſea-

Oſſeaque è fracto decidit ore ſeges
Crediderat Tortor, Thebanis altera ſulcis
Semina Cadmæa iacta fuiſſe manu.
Penèq; iam timuit, ne ſtragem vltura cruentam
Surgeret è tali Meſſis ahena ſatu.
Nil metue ex iſto ferratum ſemine; Meſſem
Auratam è tali creſcere dente decet.

XXXIII.

Euphemia, & Margarita Virginis ſibi nares detruncant.

Purpureas vbi caſta genas Euphemia ſenſit,
Et ſua diſplicitis ora placere Viris,
Quid faciamus? ait, laqueos natura tetendit,
Ipſa ſuas facies fabricat inſidias.
Qua me cunq; vident rapio, malè cauta videntes;
Obuiaq; aſpectus vulnerat ora meus.
Arte pudicitiam peregrina Virgo tuere:
Forma nocet; formam, Virgo, perire iube,
Dixit, & Ambroſium cultro feſtina labellum
Amputat; in Nares vſq; ſeuera ſuas.
Margaris hac cernens defendi ſtrage pudorem,
Admouit ſimiles Naribus ipſa minas,
Tum, licet informi ſqualleret vulnere forma,
Pulchrior ex illo vulnere forma fuit,
Si res ſupplicio tali plectuntur amatæ,
Pridem erat ipſe ſuo dignus amore procus.

XXXIV.

Brigitta formam perdit, vt pudorem conſeruet.

Vt pictis ſibi vidit à labellis,
Et formæ vitio periculoſæ
Laſciuam fieri Brigitta frontem;
Contendit prece ſeria; venuſta
Multo vt tubere conderentur ora.

Nec verò Deus admonere pronam
Contentis precibus moratus Aurem,
Promiſit dare tuberumue gibbos,
Aut frontis maculas, cutiſue næuos.
Aut quoſuis cuperet Brigitta morbos.
Mox cœpit macies patrona totos
Et mœſtus color occupare vultus.
Contactum quoque lumen impetrato
Virgo comperit emori veneno.
Et tunc credidit eſſe ſe venuſtam,
Poſtquàm deſijt eſſe tam venuſta.

VIRGINVM.

CHORVS QVARTVS.

XXXV.

Virginitas cæde aut cædis periculo ſeruata.

IAm ſtupet eneruem Venus eſſe Cupidinis arcũ;
  Iam Veneris gelidas eſſe Cupido faces.
Tot iaculo Iuuenes petit ille? tot illa puellas,
  Fixa tamen nullo pectore tela videt.
Quippe pudor viſo pueri fugit auius arcu,
  An fugere arte nequit cùm Pudor, arte perit.
Hinc iubet è tectis in præces ire pudicas
  Et prope deprenſas amne perire Nurus.
Hinc itidem ſtringit rediuiua Lucretia ferrum,
  Patronaque fodit pectus inerme manu,
Antiochus rurſum ſi balnea ſordidus intret,
  Inueniet Virgo, Democlis arte, fugam.
Scilicet ingenium eſt aliis producere vitam;
  Virgo ſit in proprias ingenioſa neces.

XXXVI.

Pelagia, mater duaque Comites in vndas.

Mater vt hoſtiles timida cum plebe caueret
  Inſidias, ſumpta quæſijt antra fuga.
Reſcijt hoſtis iter, profugiſque celerrimus inſtat
  Siue parans dono cogere, ſiue metu.
Ergo, licet fugerent cautè per deuia, ſemper
  Preſſa puellares pinxit arena pedes.
Ventū erat ad vaſtas pēdente crepidine lymphas
  Per quas nullius copia pontis erat.
Hic hæſere pares;genitrix,quid malumus? inquit,
  Ponè ruunt hoſtes; ante morantur aquæ.
Stamus? adeſt laſciua cohors, tergoq; minatur:
  Pergimus? inſanas obijcit vnda minas.
Mitior vnda tamen: ſi neſcit parcere, mergat,
  Sat mihi dum caſtas merſerit, vna dabit.
Et citias dicto, ruit alti in gurgitis vndas:
  Debuit hàc etiam turba ſceleſta ſequi.

XXXVII.

Apollonia vltro in ignes.

Pellæa ſibi quondam vt in palæſtra
Structos innuba Virgo vidit ignes,
Quos lictor ferus, & minax ſatelles,
Ni promitteret, vſque & vſque alebant:
Vanè creditis, inquit, vllam ab iſto
Vinci poſſe Viraginem camino.
Lentum imò eſt mihi, iuſſa vinque veſtram
Expectare; locum date, occupabo.
Et ruptis ſimul hinc & hinc catenis
Stridentes ſubit ipſa ſub procellas.
I nunc, & minitare Cæſar ignes.
Iam continuò nouos in ipſis
Dices cernere Mutios puellis.

XXXVIII.

Pelagia Virgo Antiochena, præcipitio defenſa.

Quæ Pelagi gaudet ſocio cognomine Virgo,
Et Syrij patriam littus Orontis habet:
Illa verecundæ quondam ſibi conſcia formæ,
Inſidiaturi fugerat ex oculis:
Fugerat illa quidem: ſed mox videt illa, reuulſis
In patefacta procos tendere tecta feris.
Quid faceret? Stabat munito Regia ſaxo,
Regia ſublimes turribus æqua minas:
Occupat hoc pauidi feſtina pudoris Aſylum,
Vitet vbi hoſtiles tam prope capta manus.
Reperit intentus tamen illa cubilia prædo;
Ergo cubile aliud celſius illa petit.
Repperit illud item. Toties modo prodita Virgo
Effugiam per quod deniq; dixit, iter:
Nec mora: abit præceps ſūmis è turribus: Vnā hāc
Hoſtibus ignotam viderat eſſe viam.

XXXIX.

Sophronia cultro ſuam caſtitatem à ludibrio vindicat.

Matronæ placitas iubebat ædes
Cingi milite Cæſar, & proteruo
Acciri ſibi fœminam à miniſtro.
Quæ cum reſcijt impetrata; paullum
Mutato ſtetit impedita vultu:
Mox ficto Mulier pudica riſu,
An ſordes, ait, has laciniarum
Abſtergi prius, induiq; mundum
In noſtro ſinis alterum cubili?
Id verò licet, inquit: i proinde
Totam corporis enoua, iuuentam
Faxo, inquit mulier; rubere totum
Pectus purpureo videbis oſtro.
Mox cultrum rapuit ferox, & alto

Pectus

Pectus nobile verberauit ictu.
Et iam ſanguine plurimo cruenta,
Quæ nulli cupitis placere, dixit,
Hanc circundate purpuram puellæ.

XL.

Euphraſia ingenio Virginitatem tuetur.

Ibat ad inſcriptæ famoſa cubilia cellæ
  Flebilis è patria tracta puella domo.
Ecce furens animi, ſtimulante Cupidine currit
  Infelix eadem Miles ad antra gradu.
Incautamq; procus molitur ludere Nympham;
  Nympha ſed incautum luſit acuta procum.
Nam; violente meo parce, inquit, prædo pudori
  Et veniæ precium grande repono tuæ.
Tĕta, & inerme meo line quoduis ũguine pectus.
  Illæſum à quouis vulnere pectus erit:
Vnge pedem, pes tutus erit: latus vnge, valebit:
  Vnge femur, ſpernet vulnera quæq; femur.
Ipſa Machaonij documentum ero prima liquoris,
  Fraudis erit iugulo pœna luenda meo.
Inde ſuum clauſa de pyxide promit oliuum,
  Et ſua mendaci colla madore linit.
Huc, ait, infeſtum vibra valido impete telum.
  Eluſuras tuas ſunt mea colla minas.
Iuſſit. At ille graui iugulum ferit arduus ictu,
  Deceptòque caput te irritus enſe ſecat.
Quæris adhuc, vires habeant quas vnguina miles?
  Seruandæ vires virginitatis habent.

XLI.

Michael Verinus, caſtiſſimus Iuuenis, ne virginitatem amittat, vitam amittit.

Verinus, puer innocens, Iberæ.
Nuper gloria nobilis Iuuentæ.
Cum letho propior videret omnes

Deſperaſſe Machaonum cateruas:
Aut porro ſupereſſe tam malignis
Vnam à Cypride febribus medelam:
Vnam ſe Podalyrij modeſta
Victuram negat indoles per horam,
Abſcedant Veneres, Cupidinumque
Infames, ait, exulent cohortes:
Quæ cum tot noceant bonis, mihi vni
Si prodeſſe velint, malus videbor.

XLII.

Iacelina Virgo Appula, per mare effugit.

Cogeret inuitam ne quis ſibi nubere, fugit
 Appula, nequicquam fratre ſequente, ſoror,
Sed fugiens prærupta ſubit iuga; magnus vbi altã
 In mare de celſa margine ſaltus erat.
Hic ſtetit; & longè deſpectans æquora; fratrem
 Hac, ait, iratum rupe cauere potes.
Longius ire vetat fugientem ripa puellam?
 Longius at certè ripa volare ſinet.
Mox volat immenſo delapſa per aera ſaltu,
 Quà via vix oculis antè data vlla fuit.
Hec delapſa ferum ſicco pede permeat æquor.
 Et Maris attonitas libera calcat aquas.
Poſtquàm, Chriſte, tuis, preſſiſti Nerea plantis,
 Virgineos nouit iam Mare ferre pedes.

XLIII.

Virgo inter Eburones è Reno euadit; procidiuo merguntur.

Iuſſa pudicitiam didicit defendere lympha,
 Et Venerem peragunt ipſa elementa ream.
Cernis vt è Rheni metuendo littore præceps,
 Altera patronas Clælia tranet aquas?
Ne fallente puta pede ſic cecidiſſe: ruinam
Ipſa-

Ipſamet optauit ſpontè puella ſuam.
Nulla ope cùm poſſet turbam euitare ſalacem,
Præbuit hanc illi denique Rhenus opem,
Sed qua turba procax ereptos ſenſit amores,
Arte ſuos; illa perſtitit arte ſequi.
Nam duo conſcenſos auſi propellere lintres,
Exceptam medijs eripuere vadis
Illa memor, ſi caſtam, inquit, permittis adſum:
Sin prohibetis, aquas, ecce, reuiſo meas.
Et ſimul inſiliens repetitas Virgo ſub vndas,
Subruit obſcænam vindice calcē ratem,
Demerſiſq; procis, natat omnē impune per amnē,
Quis ſenſum has lymphas non habuiſſe putet?

XLIV.

Virgo Mantuana in Mintium Amnem.

Mincius Andinis vbi iam conterminus aruis
Auſonia curuo ponte coronat aquas,
Illic riuali iactatam turbine Nympham,
Firmiùs illo ipſos ponte ſtetiſſe ferunt.
Nam ferus inſtabat furijſque vrgebat adulter,
Inde viam claudens enſibus, inde fugam,
Illa tamen, ſi, inquit, non eſt quò viua recedam,
Certè erit hic aliquid, quò moritura cadam.
Continuò de ponte, minas riſura procaces,
In patrios fluctus libera Virgo ruit.
Territus ille fuga; cur te ipſa miſerrima mergis?
Mincius eſt, inquit, quò peritura cadis.
Vorticibus magnis trahit ille rapitque natantes:
Mincius eſt: Amnem, ſtulta puella, time.
Illa, nihil metuo merſuri gurgitis iram.
Ira pudicitiam dum tueatur, ait.
Nulla locum ſperent in tali incendia Nympha,
Quæ minimas toto ſubruit amne faces.

VIRGINVM.

CHORVS QVINTVS.

XLV.

Virginitas in fornice illeſa.

PRoſtat vbi patulo Siren inhoneſta theatro,
Et titulum cælle figit amica ſuæ.
Sæpe Nurus illuc & honeſto corpore Nymphas
Impia raptari Iudicis ira iubet.
At pudor in cella manet inuiolabilis; & ſe
Non expectata ſæpe tuetur ope.
Nam quæ viſa ſibi eſt nullos habitura patronos,
Sæpe Viros habuit, ſæpe puellas feras.
Altera nunc Vrſo, nunc altera tuta Leone,
Tertia, (quis credat?) Milite tuta fuit.
Hæc alia defenſa via: quem pura ſubiuit,
Purior ex illo fornice rurſus ijt:
Obſtupuit noua monſtra Venus. Mea luſtra, quis
Facta pudicitiæ crederet eſſe ſcolam? (inquit,

XLVI.

Virginis Antiochenæ, & Chriſtiani militis mirabilis pugna.

Flebat in Idalio captiua puella cubili,
Innumeris vbi erat ianua ſepta procis;
Quæ pius vt ſenſit diſcrimina miles: eidem,
Quam non ſperauit virgo, parauit opem.
Limen enim pacto vænale præoccupat auro;
Et prior infames hac ſubit arte fores.
A procul ingreſſo perterrita millite Virgo,
Fugit; ab aſpecto ceu fugit Agna lupo. (cedis?
Quem malè cauta fugis? quoque inſcia Virgo re-
Non ego, ait, capti prædo pudoris ero:

Con-

Conſilio fugitura meo; prius ab ijce veſtes
Cauta tuas; veſtes indue Virgo meas,
Illa dolos,caſtæque timens ludibria formæ,
Sueta ſuæ differt ponere lina ſtolæ.
Vix demum thoraca ſuis inuita papillis
Iungit; & inuita ponderat arma manu.
Induitur contra,muliebri cyclade miles,
Prolixoque Syram ſyrmate verrit humum.
Hic ego miles ait mentita puella manebo;
Tu fuge mentito vera puella Viro.
His fugit illa dolis. Iuuenem ſed barbara viſum;
Amiſſæ pœnas pendere turba iubet.
Aduolat hic Virgo,iam Virgine fortior Adſum:
Sola fugam cepi: ſola piabo fugam.
Ille ſecus,nihil iſta,Viri,nihil auſa Patraui.
Crimen ego: ſolus puniar,inquit,ego.
Illa rogare magis;magis ille refellere. Crimen
Credat vterque ſuum, ni probetur eſſe ſuum.
Villanetam pulcram meminerunt ſecula litem?
Poſtulat abſolui neuter;vterque timet.

XLVII.

Daria per Leonem à Lenone defenditur.

Iam Daria trahi impijs Tyranni
Cæptabat violenter à Miniſtris:
Iam Lenonibus vndeaque ſeptum
Spectabat lacrimabilis theatrum.
Et quo imbellis,ait,puella tendis?
Quo infelix raperis?potes penates
Olim viua ſubire tam profanos?
Quid differs,miſera, interire dixit
Plorans talia: cum repente liber
Erumpens cauea Leo ferina
In turbam ruit vltor impudicam.
Fit latè fuga. Nemo iam miniſter,
Iam nemo manet in ſtatu ſatelles.

Dilapſis igitur timore turbis
Perſtat vindice præda cum patrono ;
Et caſtam fera fæminam : feramque
Noſcit fæmina caſta : ſeque clamat ,
Lenones timuiſſe,non Leones .

XLVIII.

Lucia nec ab igne , nec in fornice violatur .

Illa Syracuſiæ virgo pars maxima famæ .
Lis vbi de forma, deque pudore foret,
Iam Lenæ raptata manu, cùm proxima fæde
Inſcriptas Veneris cerneret eſſe fores .
Horruit infamem ſceleris locũ; &, Ergone caſtus
Ingredietur,ait,tale cubile Pudor ?
Fige puella ſolo veſtigia,fige ; profanas
Rectiùs ante fores emorieris, ait
Mox immota ſtetit : Mox tracta potentiùs illa ;
Fortior in fixo reſtitit illa gradu .
Inijcit ergo furens violentos turba rudentes ,
Sed nullo impelli Virgo rudente poteſt .
Inde boues,inde addit equos,Sed Virgo ligatos
Inde ſtupere boues, inde coegit equos .
Turba igitur flamma circundat edace puellam ;
Sed nihil illa ſui flamma caloris habet .
Mox pice,reſtinctum mox ignem ſulfure paſcit .
Sed neque pix ignem , ſed neque ſulfur alit .
Quas ardere voles, remoue hac à Virgine tædas :
Quas cupit extinctas, huic, Venus,adde faces .

XLIX.

Columba Virgo ab Vrſo cuſtoditur .

Ferrato licet Vrſus ocupatum
Seſe Murice cernat , & grauanti
Colli robora præpedita millo :
Lenones tamen inter atque Lenas

Vim

Vim caſtæ fieri videns Columbæ,
Effracta volat Vrſus è cauerna,
Et millum ſimul, & ſimul morantem
Abrumpens violentior catenam,
In turbas ruit; horriduſque cœpta
Diſturbat Iuuenum impudentiorum:
Et pro Virgine dimicans, petulcos
Cogit cedere Iudicis miniſtros.
Nullos Virgo procos timebit vlla,
Quam talis comitabitur catella.

L.

Martianam Virginem repentinus paries tuetur.

Lenonem fugeret cum Virgo modeſta ſequētem,
  Et traheret laſſos iam ſuperanda pedes;
Quid miseræ reſtaret adhuc? iam penè premebat
  Vltima Virgineæ ſyrmata leno togæ.
Tenderet expaſſas prædonibus obuia palmas:
  Capta foret palmis præda trahenda ſuis.
Præcipitem ſaltu peteret generoſa ruinam?
  Nulla, in quam rueret, tam propè vallis erat.
Ardua ſe in rapidos vndarum ſpargeret amnes?
  Nuſquam erat in plano ripa nec vnda ſolo.
Ergo precata Deum, timido petit arma pudori,
  Nec Deus auerſa reppulit aure precem.
Incipit enato tellus increſcere vallo,
  Et partes fæta ſurgere grandis humo.
Diſcluſitq; repentè duos. Iamquæ illa timere
  Deſijt; incepit leno timere ſibi.
Mæniaque vt ſubitò creſcentia circumſpexit,
  Quæ ſobolem hanc peperit tam citò Mater? ait
Feſtino fuge leno gradu: locus iſte minatur:
  Pene erat, & factus tu quoque murus eras.

LI.

Catharina Sueca per ceruum liberatur.

Tranquillo nemorũ Catharina per æquora paſſis
Fortè tuos ibat viſere, Roma lares:
Cùm conſpecta viris(quãquã fugiſſet) amantum
Inſidiaturos cępit habere greges.
Iamq; ad eò comitante globo iuuenumq;canũq;
Acer in ignaræ terga ruebat eques.
Huius vt inſidias poſtico è puluere vidit,
Nec ſibi conceſſam per ſola plana fugam:
Sidera,clamat,opem;date opẽ cita ſidera,clamat:
Lenta ſuam tellus ferre moratur opem.
Finierat,cùm bina leuans ſublimia ceruus
Cornua,vicino tramite carpſit iter.
Ille canes,dominoſque canum per deuia traxit,
Cornigeram peteret cum ſibi quiſque feram.
Sic elapſa manu,in tutum Catharina profugit,
Vſa patrocinio,cerue puella tuo.
Sidera cur Tauros ſeruatis,& Aſtra Leones?
Dignior hic veſtro Ceruus honore foret.

LII.

Agnæ pudor ab Angelo vindicatur.

Romæ infamia dedecuſque Veſta,
Et tu Maxima,quæ vigil fouebas
Æternas Capitolij fauillas;
Agnam cernitæ virginem,aut decennem,
Aut ſi grandior illa,tredecennem:
Quam cum cernere Veſta,voſq; Veſtę.
Vnam cęperitis procul miniſtræ;
Veſter,(ſi pudor vllus eſt in vlla)
Aſpecta pudor erubeſcet Agna.
Hanc cùm barbarus ad pudenda Iudex
Proſtantis raperet theatra turbæ;
Vna omnes Iuueneſque, Iudiceſque

Et turbæ probra, conſciaſque celſæ
Cælo vindice terruit puellas.
Nam ſtabat comes Aliger, latuſque
Stricta Virginis ambijt machæra.
Ingreſſus tamen alter eſt, & alter,
Etſi quis ſuper alterum alterumque
Aut audax nimis, aut nimis protervus
Caſtæ irruperat in cubile Nymphæ,
Illum terruit Aliger, rotato
Iuſſum protinus euolare, telo:
Sed vicit Iuuenis procaciori
Omnes nequior vnicus cachinno:
Sexcentis ait, ambiatur haſtis,
Quod Cadmo neque fabuloſa ſulcis
Tellus parturientibus profudit;
Irrumpam tamen, inquit, & meo omne
Cogam cedere milites amori.
Vix hæc dixerat impudens, ruitque
Pulſis obuius hinc, & inde turbis.
Iam Cellæ prope limen, & propinquæ
Iam veſtigia Virginis tenebat,
Cùm viſo attonitus repente cœpit
Oppalleſcere, & obrigeſcere artus,
Et vertigine agi, & labare genua.
Et prono ex animis iacere vultu.
I ride miſer, atque fabuloſos
Cadmi ſpernere milites labora:
Caſtæ cum Pudor eſt tuendus Agnæ,
Non Cadmi tibi milites, ſed ipſos
Cęli occurrere milites videbis.

LII.

Andragiſyna ſponte deformatur, ne contaminetur.

In thalamos genitos Natam iubet ire iugales,
Serus vti Nuptæ munere fiat Auus,
Patritios poterat bona dos ſpondere maritos.

Et

Et formoſa illis, vel ſine dote foret.
Abnuit illa tamen. Pater imperat; abnuit illa
Forma iubet: formam negligit illa tamen.
Ergone vultus, ait, caſtam vetat eſſe decorus?
Efficiam, tutus poſſit vt eſſe Pudor,
Cornua mox Superos vda prece flagitat omnes,
Mutet vt infelix ora decora color.
Nec mora; tota ſubit ſanies ſquallorque per ora,
Et faciem reddit ruga ſenilis anum.
Vndique pallor ineſt: flaui periere capilli
Nullaque iam in tota Virgine Virgo fuit.
Tũ neq; forma Viros, neq; dos dedit illa Maritos;
Et prope ſe Patrem noluit eſſe Pater.
At ſimul, ac vidit tutum ſibi Virgo Pudorem,
In ſecura prior tranſijt ora color.
Repperit hanc artem, qua Patrem cogeret. Illam
Vis iterum turpem cernere? Quære virum.

LIV.

Theophilæ pudorem Angelus defendit.

Magni flammeus Aliger Tonantis
Furto viderat improbo Clientem
In ludos Veneris rapi puellam,
Quam riualibus hinc, & hinc Amantum
Cum cingi ſtudijs, & impudentes
Iam iam cerneret inuolare turmas,
Occurrit citus: ædiumque telo
Vindex obſidet oſtium triſulco.
Nec ceſſit tamen omnis improborum
Conatus Iuuenum; ſed vnus ipſos.
Audax aligeri ſubit per enſes.
Extemplo iubet Ales incitato
Infandum caput interire telo.
Nec poſthac alius ſubiuit. Vnus
Dum ferro cecidit, cecidit omnes.

Vuil-

LV.

Vuilgefortis Virgo barba miraculo caſtitatem tuetur.

Bello nobilis ore Vvilgefortis
Laudatæ metuens virago formæ,
Vt matura viros iuberet omnes
Speratis procul abſtinere tædis.
Conſtans poſcit opem beatiores,
Quotquot nouerat incolas Olympi,
Formam cedere, Cœlites, iubete,
O formam, Superi, periculoſam.
Non Mauræ cutis abnuo colorem:
Non qualem patrio calore toſtas.
Cognata gerit Æthiops in vmbra:
Non ſiquid magis atrum, & inuenuſtum.
Tetrumque illepidumque ſordidumque
Tellus abdidit vſpiam Nouerca;
Nullum reſpuo Monſtrum: abire ſolam,
Hanc ſolam, ò Superi, iubete formam.
Audit vota pium pudica Numen,
Et monſtri ſimilem repente cogit
Mento creſcere neſcientem barbam.
Hic horror fuit inſolens? Sodalis
Notam agnoſcere noluit Sodalem;
Et Mater ſobolem, & Soror ſororem,
Et vultu voluit ſeueriori
Ignotam Pater abdicare prolem.
Domum ſe quoque Virginem vel ipſa
Barbatam potuit timere Virgo.
Sic quanto hæc proprior Viro eſt puélla,
Tanto tutior à Viro eſt puella.

VIR-

VIRGINVM.

CHORVS SEXTVS.

LVI.

Virginitas per ſe ipſa clara.

Externis etſi titulis ornata triumphat
  Virginitas,& opum grandius agmen habet:
Non eget ipſa tamen titulo,neque diuite fuco,
  Sed Superis etiam Sola placere poteſt.
Non ita Narciſſi felicia felicia germina candent,
  Non ita Sidonio Murice lana rubet:
Et minor eſt Violis odor, & minor eſt Hyacin- (this.
  Et minor Heſperijs indita forma Roſis.
Illa fuit quondam Terris incognita: Noſci
  Nunc eadẽ, & Terris nũc quoq; cępta coli eſt.
Sed quoniam eſt oris cœleſtibus ædita; ſeruat
  Ingenium, & patrios pergit amare lares.
Quid mirum eſt igitur ſtygios ſi repperit hoſtes
  Virginitas? ſtyx à Virgine victa fuit.

LVIII.

Bernardus ab hoſpita inuaſus,ingenioſè defenditur.

Viſus adhuc puer eſse quidem Bernardus;at vnus
  Pulchrior è pueris omnibus eſse puer
Cùm ſtygijs afflauit eum Venus improba tædis.
  Qualibus afflatus non fuit ille prius.
Nam ſibi neſcio quam,ſurrepere Thaida ſenſit,
  Virgineumque dolo ſollicitare latus.
Fallere ſed cautum nequijt deprenſa pudorem,
  Thais; ab intacto fæmina pulſa toro,
Fæmina pulſa ſemel,ſemel indignata receſſit.
  Vſque repulſa dein,vſque reuerſa fuit.
Vſq; tamen reducẽ vt puer vſq; repelleret hoſtẽ.
Vlti-

Vltima ſollicitus quæſijt arma pudor.
Ecce, repentinis horrere latronibus ædes
Clamat, & armatas in caput ire manus,
Illa, Latro non ſum, ſubmiſſo murmure dixit,
Non ſolet in noſtras Latro ſubire domos.
Ter clamata Latro; negat ipſa ter, eſſe Latronē.
Ipſe iterum ſociam ter ſibi poſcit opem.
Hoc vbi ter ſociam rupit clamore quietem,
Præſtitit oratam turba vocata fidem.
Accurrenſque, torum vigili face circumit omnem.
Sed fugit admotam fæmina latro facem.
Tolle tuam tibi, turba, facem: Puer iſte videri
Clarius à nobis iam ſine luce poteſt.

LVIII.

Catharina Senenſis, coronam ſpineam gemmeæ præfert.

Stellifera Catharina duas è ſede coronas
Viderat, à Chriſti penſilem vtramque manu.
Sed ſpinis fuerat grauis hæc, grauis altera gēmis,
Non illis precium, non decor vnus erat.
Oblatam cape, Chriſtus ait, Catharina, coronam
Seu placet iſta tibi, ſeu placet iſta cape.
Munera quis dubium gerat inter talia votum,
Grandibus vt gemmis malit habere vepres?
Aude aliquid, Catharina manus protende: quid (hæres?
Inijce ſerta tuis gemmea temporibus.
Suſtulit ambiguum Catherinæ dextera votum,
Da mihi, ait, tactu ſerta probanda meo.
Ac ſimul iniectis ruit in vepreta lacertis.
Impoſitaque premit nobile ſente caput.
Plurimus inde cruor per tempora, & ora cucurrit:
Nec tamen optauit gemmea ſerta ſibi.
Non hæc ſerta dolent, ſint quamuis ſpinea, dixit,
Sunt facta attactu mollia, Chriſte tuo.

VIRGINVM.

CHORVS QVINTVS.

XLV.

Virginitas in fornice illeſa.

PRoſtat vbi patulo Siren inhoneſta theatro,
Et titulum cælle figit amica ſuæ.
Sæpe Nurus illuc & honeſto corpore Nymphas
Impia raptari Iudicis ira iubet.
At pudor in cella manet inuiolabilis; & ſe
Non expectata ſæpe tuetur ope.
Nam quæ viſa ſibi eſt nullos habitura patronos,
Sæpe Viros habuit, ſæpe puellas feras.
Altera nunc Vrſo, nunc altera tuta Leone,
Tertia, (quis credat?) Milite tuta fuit.
Hæc alia defenſa via: quem pura ſubiuit,
Purior ex illo fornice rurſus ijt:
Obſtupuit noua monſtra Venus. Mea luſtra, quis
Facta pudicitiæ crederet eſſe ſcolam? (inquit,

XLVI.

Virginis Antiochenæ, & Chriſtiani militis mirabilis pugna.

Flebat in Idalio captiua puella cubili,
Innumeris vbi erat ianua ſepta procis;
Quæ pius vt ſenſit diſcrimina miles: eidem,
Quam non ſperauit virgo, parauit opem.
Limen enim pacto vænale præoccupat auro;
Et prior infames hac ſubit arte fores.
A procul ingreſſo perterrita millite Virgo,
Fugit; ab aſpecto ceu fugit Agna lupo. (cedis?
Quem malè cauta fugis? quoque inſcia Virgo re-
Non ego, ait, capti prædo pudoris ero.

Con-

Conſilio fugitura meo; prius ab ijce veſtes
Cauta tuas; veſtes indue Virgo meas,
Illa dolos,caſtæque timens ludibria formæ,
Sueta ſuæ differt ponere lina ſtolæ.
Vix demum thoraca ſuis inuita papillis
Iungit; & inuita ponderat arma manu.
Induitur contra,muliebri cyclade miles,
Prolixoque Syram ſyrmate verrit humum.
Hic ego miles ait mentita puella manebo;
Tu fuge mentito vera puella Viro.
His fugit illa dolis. Iuuenem ſed barbara viſum;
Amiſſæ pœnas pendere turba iubet.
Aduolat hic Virgo,iam Virgine fortior Adſum:
Sola fugam cepi: ſola piabo fugam.
Ille ſecus,nihil iſta,Viri, nihil auſa Patraui.
Crimen ego: ſolus puniar,inquit,ego.
Illa rogare magis;magis ille refellere. Crimen
Credat vterque ſuum, ni probetur eſſe ſuum.
Villanetam pulcram meminerunt ſecula litem?
Poſtulat abſolui neuter;vterque timet.

XLVII.

Daria per Leonem à Lenone defenditur.

Iam Daria trahi impijs Tyranni
Cæptabat violenter à Miniſtris:
Iam Lenonibus vndeaque ſeptum
Spectabat lacrimabilis theatrum.
Et quo imbellis,ait,puella tendis?
Quo infelix raperis?potes penates
Olim viua ſubire tam profanos?
Quid differs,miſera, interire dixit
Plorans talia: cum repente liber
Erumpens cauea Leo ferina
In turbam ruit vltor impudicam.
Fit latè fuga. Nemo iam miniſter,
Iam nemo manet in ſtatu ſatelles.

Dilapſis igitur timore turbis
Perſtat vindice præda cum patrono;
Et caſtam fera fæminam: feramque
Noſcit fæmina caſta: ſeque clamat,
Lenones timuiſſe, non Leones.

XLVIII.

Lucia nec ab igne, nec in fornice violatur.

Illa Syracuſiæ virgo pars maxima famæ.
Lis vbi de forma, deque pudore foret,
Iam Lenæ raptata manu, cùm proxima fæde
Inſcriptas Veneris cerneret eſſe fores.
Horruit infamem ſceleris locũ; &, Ergone caſtus
Ingredietur, ait, tale cubile Pudor?
Fige puella ſolo veſtigia, fige; profanas
Rectiùs ante fores emorieris, ait
Mox immota ſtetit: Mox tracta potentiùs illa;
Fortior in fixo reſtitit illa gradu.
Inijcit ergo furens violentos turba rudentes,
Sed nullo impelli Virgo rudente poteſt.
Inde boues, inde addit equos. Sed Virgo ligatos
Inde ſtupere boues, inde coegit equos.
Turba igitur flamma circundat edace puellam;
Sed nihil illa ſui flamma caloris habet.
Mox pice, reſtinctum mox ignem ſulfure paſcit,
Sed neque pix ignem, ſed neque ſulfur alit.
Quas ardere voles, remoue hac à Virgine tædas:
Quas cupit extinctas, huic, Venus, adde faces.

XLIX.

Columba Virgo ab Vrſo cuſtoditur.

Ferrato licet Vrſus ocupatum
Seſe Murice cernat, & grauanti
Colli robora præpedita millo:
Lenones tamen inter atque Lenas

Vim

Vim caſtæ fieri videns Columbæ,
Effracta volat Vrſus è cauerna,
Et millum ſimul, & ſimul morantem
Abrumpens violentior catenam,
In turbas ruit; horriduſque cœpta
Diſturbat Iuuenum impudentiorum:
Et pro Virgine dimicans, petulcos
Cogit cedere Iud cis miniſtros.
Nullos Virgo procos timebit vlla,
Quam talis comitabitur catella.

L.

Martianam Virginem repentinus paries tuetur.

Lenonem fugeret cum Virgo modeſta ſequētem,
Et traheret laſſos iam ſuperanda pedes;
Quid miſeræ reſtaret adhuc? iam penè premebat
Vltima Virgineæ ſyrmata leno togæ.
Tenderet expaſſas prædonibus obuia palmas:
Capta foret palmis præda trahenda ſuis.
Præcipitem ſaltu peteret generoſa ruinam?
Nulla, in quam rueret, tam propè vallis erat.
Ardua ſe in rapidos vndarum ſpargeret amnes?
Nuſquam erat in plano ripa nec vnda ſolo.
Ergo precata Deum, timido petit arma pudori,
Nec Deus auerſa reppulit aure precem.
Incipit enato tellus increſcere vallo,
Et partes fæta ſurgere grandis humo.
Diſcluſitq; repentè duos. Iamquæ illa timere
Deſijt; incepit leno timere ſibi.
Mæniaque vt ſubitò creſcentia circumſpexit,
Quæ ſobolem hanc peperit tam citò Mater? ait
Feſtino fuge leno gradu: locus iſte minatur:
Pene erat, & factus tu quoque murus eras.

LI.

Catharina Sueca per ceruum liberatur.

Tranquillo nemorũ Catharina per æquora paſſis
Fortè tuos ibat viſere, Roma lares:
Cùm conſpecta viris(quãquã fugiſſet) amantum
Inſidiaturos cępit habere greges.
Iamq; ad eò comitante globo iuuenumq;canũq;
Acer in ignaræ terga ruebat eques.
Huius vt inſidias poſtico è puluere vidit,
Nec ſibi conceſsam per ſola plana fugam:
Sidera,clamat,opem;date opẽ cita ſidera,clamat:
Lenta ſuam tellus ferre moratur opem.
Finierat,cùm bina leuans ſublimia ceruus
Cornua,vicino tramite carpſit iter.
Ille canes,dominoſque canum per deuia traxit,
Cornigeram peteret cum ſibi quiſque feram.
Sic elapſa manu,in tutum Catharina profugit,
Vſa patrocinio,cerue puella tuo.
Sidera cur Tauros ſeruatis,& Aſtra Leones?
Dignior hic veſtro Ceruus honore foret.

LII.

Agnæ pudor ab Angelo vindicatur.

Romæ infamia dedecuſque Veſta,
Et tu Maxima,quæ vigil fouebas
Æternas Capitolij fauillas;
Agnam cernitæ virginem,aut decennem,
Aut ſi grandior illa,tredecennem:
Quam cum cernere Veſta,voſq;Veſtę,
Vnam cęperitis procul miniſtræ;
Veſter,(ſi pudor vllus eſt in vlla)
Aſpecta pudor erubeſcet Agna.
Hanc cùm barbarus ad pudenda Iudex
Proſtantis raperet theatra turbæ;
Vna omnes Iuueneſque, Iudiceſque

Et

Et turbæ probra, conſciaſque cellæ
Cælo vindice terruit puellas.
Nam ſtabat comes Aliger, latuſque
Stricta Virginis ambijt machæra.
Ingreſſus tamen alter eſt, & alter,
Et ſi quis ſuper alterum alterumque
Aut audax nimis, aut nimis proteruus
Caſtæ irruperat in cubile Nymphæ,
Illum terruit Aliger, rotato
Iuſsum protinus euolare, telo.
Sed vicit Iuuenis procaciori
Omnes nequior vnicus cachinno:
Sexcentis ait, ambiatur haſtis,
Quod Cadmo neque fabuloſa ſulcis
Tellus parturientibus profudit;
Irrumpam tamen, inquit, & meo omne
Cogam cedere milites amori.
Vix hæc dixerat impudens, ruitque
Pulſis obuius hinc, & inde turbis.
Iam Cellæ prope limen, & propinquæ
Iam veſtigia Virginis tenebat,
Cùm viſo attonitus repente cœpit
Oppalleſcere, & obrigeſcere artus,
Et vertigine agi, & labare genua.
Et prono ex animis iacere vultu.
I ride miſer, atque fabuloſos
Cadmi ſpernere milites labora:
Caſtæ cum Pudor eſt tuendus Agnæ,
Non Cadmi tibi milites, ſed ipſos
Cęli occurrere milites videbis.

LII.

Andragiſyna ſponte deformatur, ne contaminetur.

In thalamos genitos Natam iubet ire iugales,
Serus vti Nuptæ munere fiat Auus,
Patritios poterat bona dos ſpondere maritos.

Et formoſa illis, vel ſine dote foret.
Abnuit illa tamen. Pater imperat; abnuit illa
Forma iubet: formam negligit illa tamen.
Ergone vultus, ait, caſtam vetat eſſe decorus?
Efficiam, tutus poſſit vt eſſe Pudor,
Cornua mox Superos vda prece flagitat omnes,
Mutet vt infelix ora decora color.
Nec mora; tota ſubit ſanies ſquallorque per ora,
Et faciem reddit ruga ſenilis anum.
Vndique pallor ineſt: flaui periere capilli
Nullaque iam in tota Virgine Virgo fuit.
Tũ neq; forma Viros, neq; dos dedit illa Maritos;
Et prope ſe Patrem noluit eſſe Pater.
At ſimul, ac vidit tutum ſibi Virgo Pudorem,
In ſecura prior tranſijt ora color.
Repperit hanc artem, qua Patrem cogeret. Illam
Vis iterum turpem cernere? Quære virum.

LIV.

Theophila pudorem Angelus defendit.

Magni flammeus Aliger Tonantis
Furto viderat improbo Clientem
In ludos Veneris rapi puellam,
Quam riualibus hinc, & hinc Amantum
Cũm cingi ſtudijs, & impudentes
Iam iam cerneret inuolare turmas,
Occurrit citus: ædiumque telo
Vindex obſidet oſtium triſulco.
Nec ceſſit tamen omnis improborum
Conatus Iuuenum; ſed vnus ipſos.
Audax aligeri ſubit per enſes.
Extemplo iubet Ales incitato
Infandum caput interire telo.
Nec poſthac alius ſubiuit. Vnus
Dum ferro cecidit, cecidit omnes.

Vuil-

LV.

Vvilgefortis Virgo barba miraculo caſtitatem tuetur.

Bello nobilis ore Vvilgefortis
Laudatæ metuens virago formæ,
Vt matura viros iuberet omnes
Speratis procul abſtinere tædis.
Conſtans poſcit opem beatiores,
Quotquot nouerat incolas Olympi,
Formam cedere, Cœlites, iubete,
O formam, Superi, periculoſam.
Non Mauræ cutis abnuo colorem:
Non qualem patrio calore toſtas.
Cognata gerit Æthiops in vmbra:
Non ſiquid magis atrum, & inuenuſtum.
Tetrumque illepidumque ſordidumque
Tellus abdidit vſpiam Nouerca;
Nullum reſpuo Monſtrum: abire ſolam,
Hanc ſolam, ò Superi, iubete formam.
Audit vota pium pudica Numen,
Et monſtri ſimilem repente cogit
Mento creſcere neſcientem barbam.
Hic horror fuit inſolens? Sodalis
Notam agnoſcere noluit Sodalem;
Et Mater ſobolem, & Soror ſororem,
Et vulta voluit ſeueriori
Ignotam Pater abdicare prolem.
Domum ſe quoque Virginem vel ipſa
Barbatam potuit timere Virgo.
Sic quanto hæc proprior Viro eſt puella,
Tanto tutior à Viro eſt puella.

VIR-

Vltima ſollicitus quæſijt arma pudor.
Ecce, repentinis horrere latronibus ædes
Clamat,& armatas in caput ire manus,
Illa, Latro non ſum,ſubmiſſo murmure dixit,
Non ſolet in noſtras Latro ſubire domos.
Ter clamata Latro; negat ipſa ter, eſſe Latronē.
Ipſe iterum ſociam ter ſibi poſcit opem.
Hoc vbi ter ſociam rupit clamore quietem,
Præſtitit oratam turba vocata fidem:
Accurrenſque,torum vigili face circuit omnem,
Sed fugit admotam fæmina latro facem.
Tolle tuam tibi,turba,facem: Puer iſte videri
Clarius à nobis iam ſine luce poteſt.

LVIII.

Catharina Senenſis, coronam ſpineam gemmæ præfert.

Stellifera Catharina duas è ſede coronas
Viderat, à Chriſti penſilem vtramque manu.
Sed ſpinis fuerat grauis hæc,grauis altera gēmis,
Non illis precium,non decor vnus erat.
Oblatam cape,Chriſtus ait,Catharina,coronam
Seu placet iſta tibi,ſeu placet iſta cape.
Munera quis dubium gerat inter talia votum,
Grandibus vt gemmis malit habere vepres?
Aude aliquid, Catharina manus protende: quid hæres?
Inijce ſerta tuis gemmea temporibus.
Suſtulit ambiguum Catherinæ dextera votum,
Da mihi,ait,tactu ſerta probanda meo.
Ac ſimul iniectis ruit in vepreta lacertis.
Impoſitaque premit nobile ſente caput.
Plurimus inde cruor per tempora,& ora cucurrit:
Nec tamen optauit gemmea ſerta ſibi.
Non hæc ſerta dolent,ſint quamuis ſpinea, dixit,
Sunt facta attactu mollia, Chriſte tuo.

LIX.

Muſa Virgo infantula B. Virginem ſpectat.

Iam Cunis, puto, commodum relictis
Caſtis Muſa iocata cum puellis,
Inter ſidereos videbat orbes,
Primam Numinis eminere Matrem.
Illi Sidera, Luna, Sol, & omnes
Erronum ſocij orbium, ſubimis
Nutabant pedibus; ſuum exerentes
Magnis ambitionibus Nitorem.
Mille illam aligeri, gregeſque mille
Stipabant Iuuenum elegantiorum.
Quos illa & Iuuenes, & orbium orbes
Et lucem Iuuenum, orbiumq; lucem,
Oris ſidere, luminumque binis
Extinxit radiantium pyropis.
Talem paruula Virginem puella
Cùm iuxtà attonito videret ore;
Laudauit niueam modeſta formam.
Contempſitque ſuam puella formam.
Et tales, ait; ò beata, tales
O ſemper liceat videre vultus,
Inflexit bona Virginem puella;
Et mox (ò noua res,) puella cœpit,
Poſtquàm viuere deſijt, videre.

LX.

Othilia Cæca naſcitur; à Chriſto oculis donatur.

Edita cum primam ſperaret Othilia lucem.
Iuſſa ſtatim prima luce carere fuit.
Nam geminos caligo recens turbabat ocellos,
Velabatque duos Noctis imago ſinus.

Ta-

Tacta ſalutifero ſed poſt quam eſt Virgo fluento,
   Auctorata ſuo paruula Virgo Deo,
Diffugere cauæ fuſcati luminis vmbræ
   Et ſubijt pulſo plurima nuoe dies.
Non ſine cauſſa oculos illi Natura negarat,
   Debebant Medico à nobiliore dari.
Nec ſine cauſſa oculos dedit illi Numen; vt eſſent,
   Quos lacrimis poſſet perdere Virgo ſuis.

LXI.

Thereſa Angeli ſpectatrix.

Gentis gloria Beticæ Thereſa.
Quamuis gaudia Cælitum frequenter
Non parco biberis meraca voto,
Vt præ delicijs tuis, profanæ
Poſſes gaudia nauſeare vitæ:
Quis ſenſus tamen ille? quis? (fatere.)
Quis tunc? quis fuit, ò Thereſa ſenſus?
Cum nulla nebulæ iocantis vmbra
Illum è Cœlicolis beatum Ephebum.
Quouis ſidere pulchriorem Ephebum
Iuxtà incedere, iuxtà adambulare,
Iuxtà alludere cerneres? & illam
Lanæ Cæſariem aureæ videres?
Aut illos oculorum vtrinque ſoles?
Aut illud decus oris? aut fluentis
Illos ſyrmatis extimi tumores?
Aut illos manuum tenerrimarum
Bellos articuloſque, dactyloſque?
Aut quicquid fuit elegans in illo
Quouis ſidere pulchriore Ephebo.
Quis tunc, quis fuit, ò Thereſa, ſenſus
Certo certius eſt, Thereſa, nullum
In ſenſu tibi nunc fuiſſe ſenſum.

LXII.

Stanislaus Euchariſtiam ab Angelo, & B. Barbara Virgine impetrat.

Optabat Iuuenis diuinum Sarmata Myſtam,
 Porgeret Ambroſiam qui ſibi Myſta dapem:
Nullus erat, Rurſuſque oculos animumq; retorſit,
 Sed Sacra qui feret pabula, nullus erat,
Vertitur ad Superos; Neque Barbara defuit illi.
 O nunquam ad noſtras Barbara Virgo preces?
Hanc circum Aligeros videt; & cœleſtia circum,
 Aligeras ad ſe fercula ferre manus.
Hæſit in ambiguo, magis huc ſpectaret, an illuc?
 Digna oculis Virgo, dignus is ales erat.
Sed dubiam litem Munus, cæleſte diremit;
 Dignum oculis illud munus vtriſque fuit.
Cum tamen inde Ales, cùmq; inde recedere Virgo
 Ille procul noſtris vellet, & illa, Plagis.
His Oculis iterum Cupientibus Æthera cernent.
 Se nimium eſt tardos queſtus habere pedes.
Nam ſi pondus iners Iuuenem tenuiſſet, ad Aſtra
 Vſque receſſuros ille ſecutus erat.
Ite tamen, dixit, ſine me: dum Munera detis,
 Tanta mihi; dabitis ſemper & Aſtra mihi.
Tu quoque, ne noceas, iſtam mihi ſæpe negato,
 Ambroſiam tellus; Barbara ſæpe feret.

LXIII.

Martha hoſpita Chriſti, Virgo; hoſpite Virgine felix.

Ieiuno quoties dapes Magiſtro
Condit ſedula Martha lautiores;
Nullis ſumptibus abſtinet, nec vllos
In Cœnæ precium fugit labores.
Sed largam licet inſtruat Culinam,
Et de diuite comparare cenſu

Exquiſi

Exquiſita laboret eſculenta:
Affectu tamen illa largiori
Impenſas ſuperat dapum, & Culinæ
Fumantis precium vnico triumphat.
At nec fercula delicatiora,
Nec cultum huic placet hoſpiti cubile;
Sed quæ Virgine degit in cubili,
Hunc Virgo trahit hoſpitem. Nec eſſe
Vllo maluit hoſpes in cubili:
Vllum aut maluit hoſpitem cubile.

LXIV.

Tharſilla & Aemiliana Virgines in cœlum inuitantur.

Lumina ad Eoos languentia verterat ortus
  Tharſilla, in caſto mox moritura toro.
Ecce tibi? videt omne loco diſcedere Cœlum,
  Et Superum innumeros inde venire greges.
Mille tibi Cœlituum, variata per agmina turmæ,
  Mille ibi Virginei viſa theatra chori.
Mille itidem voces, itidem diſcrimina vocum;
  Vox tamen ex illis gratior vna fuit.
Vox erat illa, Veni. Veniam, illa cellerima dixit:
  O vtinam nulla eſt, eſt mora nulla, ſequar.
Sic abitura, videt memorem reſtare ſororem;
  Et, ſinite hanc, inquit. Vox ait illa; ſinam.
Mox Tharſilla: Soror, ſororio comitare ſororem:
  Neſcio quid pulchri viſus Olimpus habet.
Illa itidem, veniam, dixitque, obijtque vocante
  Promptior ipſa etiam viſa ſorore ſoror.
Scilicet, aſpexit cum ſidera peruia Virgo,
  Aegri etiam diſcunt accelerare pedes:

LXV.

Scholaſtica Virginis Anima ad cœlum euolat, in modum Columba.

Stellatos Benedictus vt polorum,
(Queſtus multa gemenſq;)vidit orbes;
Longas exilij peroſus horas,
Viſæ mænia patriæ ſalutat,
Et votis cupit euolare ab illa,
In qua manſerat exulum lacuna.
Portentum? videt illico migratam
Attolli, niueæ in modum Columbæ,
Charam ad mænia patriæ ſororem.
Tunc fletu gemituque duplicatu
Illi ſupplicuas tetendit vlnas:
Cùm non inuideam,inquit, hoc ſorori
Tam felix iter; hoc iter quid audes.
Deſerto, ſoror, inuidere fratri?
I felix tamen,inſcioque fratre
Dilectos pete patriæ penates:
Celaſti, fatior, fugam; euolaſti:
Sed te, qua ſequerer via, indicaſti.

LXVI.

Catharina Virgo Mart. lac pro ſanguine fudit.

Vncorum rabies iam fracta,furorque rotarum,
Et reliquum eluſum fulmine pegma fuit:
Cùm Catharina caput tibi denique ſuſtulit enſis,
Cœpitque attonitum lacte madere ſolum.
Quippe videns pugnas in Virgine Terra viriles,
Lac niſi vidiſſet,crederet eſſe Virum.

VIRGINVM.

CHORVS SEPTIMVS.

LXVII.

Virginitas inter coniuges clara.

AMbiguam Salamādra fidem iā certa probaſti
Omnia victa tuo credimus eſse gelu:
Pòſt quàm nulla vident tædarum incendia; tuti
Inter contiguos fæmina virque toros.
Hinc Siculas ridere potes, me teſte, fauillas;
Hinc domitas inter repere ſalua pyras;
Cernimus vt refugæ timeant ſua fœdera flammæ,
Dum quatit innocuas pronuba turba faces,
Hic neque Virgo Viri vicino conflagrat igne,
Vir neque vicino Virginis igne flagrat.
Frigidiora Pudor videt eſse cubilia nuptus.
Quam videt hibernas Thracia ſilua Niues,
Mutarunt Elementa fidem. Prius Igne calebant
Omnia; nunc ipſo frigus ab Igne venit.

LXVIII.

S. Ioſephus in Coniugio Beatiſſimæ Virginis Virgo.

Virginis hic nuptæ, & Pueri maturus Alumni
In patria Cuſtos, Exilioque comes
Ieſseia de ſtirpe licet, Regeſque, Duceſque
Cognati numeret ſanguinis inter Auos,
Ipſe tamen tantæ tam clarus Imagine gentis
Viuere Plebeij maluit arte fabri.
Sed Ieſsea pari cùm Virgo locanda Marito
Nuſquam vllum poſset Virgo videre parem:
Monſtratus faber iſte fuit demum iudice Virga,
Con-

Coniugij ò quanti pronuba Virga fuit ?
Arida iam fuerat, iamque omnibus orba medullis,
Parſque ſuper verni nulla viroris erat :
Viuere tota tamen, rurſumque vireſcere cœpit.
Cùm fuit illa fabri Virga reſumpta manu.
Quomodo enim potuit floreſcere talis in illa
Virga manu ? dices. Virgo erat illa manus.

LXIX.

Pulcheria Imperatrix Virgo Coniux; fulcrum Imperij labantis.

Hæc eſt illa Virago, quæ labantes
Orbis fulcijt anxij ruinas;
Cùm nemo diadema, deſitoſque
Auderat popullo leuare faſces:
Cum deeſſet venientium cruentos
Qui compeſceret hoſtium furores;
Hac Regnum fuit auſa patrioſque
Nullo ſumere cum timore faſces,
Hæc in legitimis puella tædis
Nunquam vllas fuit vſtulata flammis:
Sed Virgo in domina fouebat aula
Nupti perpetuum decus Pudoris.
Didones procul hinc, Amazonumque
Abſcedant temerariæ Phalanges;
Quiſquis venerit hoſtis, hic in vna
Magnum Virginem Cæſarem videbit,
Magnam in Cæſare Virginem timebit.

LXX.

Chunegundis Imperatrix Virgo; per ignitos vomeres illæſa tranſit.

Cæſar vt exploret violati ſigna Pudoris.
Seruatamque probet Virgo marita fidem:
Impetrat vltrices ante ora profundere prunas
Ferreàque ignifero ſtrata locare ſolo,

Hic,

Hic, ait, obiectam calca pede Virgine flammam
Flamma poteſt læſo dicere iura toro.
Virgo nihil cunctata; metu diſcedere iuſſo,
Inſtruit inſontes ad noua bella pedes.
Ingrediturque auidas illæſo calce fauillas,
Vſta minus, patrio quàm Salamandra foco;
Abſoluitque reum calcata fauilla Pudorem;
Doctior in cauſſis nulla fauilla fuit.

LXXI.

Zaccharias Cerdo, Coniux, Virgo, calites miniſtros habet.

Nuptæ Coniugis immemor, marito
Cùm Cerdo ſenuiſſet in cubili;
Seu vicos per & auios receſſus
Seu cœcas vagus iret inter vmbras,
Daduchos fugiens faceſque, nunquam
Ancillantibus vſus eſt lucernis.
Sed de noctibus ille nil videret,
Solem luxit ei ſereniorem
Cæleſtum globus ante ambulonum:
Hæc præcedere turba prodeuntem;
Hi ſtirpare ſatellites morantem;
Hi, quacunque opus eſſet, hanc togati
Præſtabant operam Viro miniſtri.
Reges cernite Cæſareſque, quales
Sint Cerdonibus ante ambulones?

LXXII.

Henricus Virgo Imperator, Virginis coniux.

Qui dominos potuit ſine faſtu cernere faſces,
Cernuaque ante ſuos Regna iacere pedes;
Qui digitos gemmis ardere; ſuumque modeſtus
Vidit adoratum gentibus eſſe caput:
Idem etiam ſocios ſine ſenſu pertulit ignes,

Inque toro nullum credidit eſſe torum:
Res licet ingentis ſi pectoris vtraque maior
Res fuit, in facibus non timuiſſe faces.
Hic plãtis, Chunegunda, tuis, puto, flãma pepercit:
Parcere namque tuo ſueuerat ante Viro.

LXXIII.

Baſiliſſa & Iulianus Antiocheni Martyres, Coniuges, Virgines.

Quà plenis Syrus alueis Orontes
Feſtinas rotat inquietus vndas;
Hac caſtum ſimul in cubile venit
Deſponſi Baſiliſſa Iuliani:
Spirant gratuiti repente venti
Gratos naribus obuijs odores,
Non quos aut pluuiæ ſolent Ciliſſæ
Aut meſſes Arabum, Aut Eous imber:
Sed quos Elyſium ſolet beatis
Cœli mittere ciuibus Roſetum.
Hanc huius Zephyri Virago poſt quàm
Afflatam Baſiliſſa ſenſit auram;
Quæ tu cinnama, frater, aut amoma
Arcano ſeris, inquit, in cubili?
Ille, in Virgine, dixit, iſta lecto
Creſcunt cinnama. Nil moror: perennem
Seruet lectulus, inquit illa, odorem,
Seruet cinnama, ſeruet hæc amoma.
Senſum nulla habuit peritiorem,
Quam quæ Virginei decus Pudoris
Seruandum ſibi ſenſit ex amomo.

LXXIV.

Cæcilia & Valerianus Martyres, Coniuges, Virgines.

Deſponſi dum limen adit Geniale Mariti.
Iam Feſceninos Virgo peroſa iocos;
Arcuit

Arcuit à pacto Iuuenilia brachia collo,
Sponſatiſque peti noluit ora labris.
Cœlite noſter, ait, Pudor eſt defenſus Ephebo;
Ille meos thalamos plecteret; ille tuos.
Dignior ille vnus riualibus omnibus: vnus
Ille tua forma pulchrior; ille mea:
Hanc, Valeri, ſi tu ipſe cupis quoq; cernere formã,
Cernere ſolo illam Virginis ore potes.
Annuit ille ſimul: ſimul æthere venit ab alto
Cæciliæ felix in penetrale Puer:
Aurea velabant generoſum vellera pectus;
Fluxerat in niueos ſerica Palla pedes:
Cæſaries radijs, vertex erat æmulus Aſtris,
Inque Oculis Lunæ flamma duobus erat,
Obſtupuit Sponſus, thalamoſque peroſus, inhæſit:
Eſſeque conſpecto Cælite Virgo cupit.
Cœlicolæ poſſunt ſi viſi reddere caſtos.
Noſtra vident paucos ſecula Cælicolas.

LXXV.

Romani Anonymi, Coniuges Virgines loquente produntur.

Par ò nobile Coniugum Maritos
Quos Tarpeia putabat vrbs Amantes.
Cœli Regia Virgines ſciebat.
Nam caſti thalamum Pudoris vna
Norant, ciuibus inſcijs, tenebræ.
At dum Virgine cogitat ſepulta
Sancti fœdera vir pudica lecti
Circumſtantibus indicare turbis;
Et Nuptæ ſibi, mortuæque cœpit
Seras Virginis explicare laudes;
Cæpit Virgo Virum ſepulta, ab ima
Neu ſe proderet, admonere tumba.
Fruſtra diſſimulas, vetaſque Caſtos.
Virgo, Virginis indicare mores.

Nam tali imperio tuo Maritus
Dum te prodere Virginem vetatur,
Te orbis credere Virginem iubetur.

LXXVI.

Dalſina, & Elzearius Coniuges Virgines, à Chriſto puerulo interuiſuntur.

Ad pacti Dalſina tori cùm pergeret vmbram,
  Certa vel in nupto Virgo manere toro:
Iamque oculos caſto cœpiſſent claudere ſomno
  Hinc deſponſa ſuos Virgo, Vir inde ſuos:
Arcanum ſubijt proles pulcherrima lectum,
  Virgineo proles quæ fuit orta ſinu:
Et placidè ſponſamque inter ſponſumque reſedit.
  Cum geminis Virgo tertia Virginibus.
Inſcius obſtupuit ſua gaudia lectus; & ipſum
  Delicias nequijt ferre cubile ſuas.
Viſa nec eſt ſponſis vlla altera gratior vmbra,
  Horula nec breuior ducta ſoporis erat.
Optent formoſam laſciua cubilia prolem,
  Pulchrior in thalamo Virgine viſa fuit.
Cur fugit ergo meum proles, ais, iſta grabatum?
  Sterne torum ſimilem, qui cupis hanc ſobolem.

LXXVII.

Malchus à Nuptijs profugus, Leone defenditur.

Ne Malchus domino iubente tædas
Inuitus traheretur ad iugales,
Clam funeſta cucurrit ad ferarum
Seruato profugus pudore luſtra.
Sed veſtigia perfugæ ſecutus,
Stricto barbarus vndiquaque ferro
Inuentas herus obſidet cauernas.
Hic captus trepidare, deque fidis
Patronum vocitare Malchus aſtris.

Patro-

Nec Malcho Deus abſuit: ſed illam
Quà vindex herus ibat in cauernam,
Patronos iubet indidem iubatos
Hoſti occurrere barbaro Leones,
Tum verò cupiebat ipſe ſeruum
Nec quæſitum hærus eſſe, nec repertum

LXXVIII.

S. Ioannes, Virgo, in Virgine Chriſti ſinu.

Iam iuuenis patria Galilæus lege parabat
Fædera perpetui pacta ferire tori;
Cùm placido aſpexit Iuuenem Deus ore maritũ;
Iniectaque trahens ad ſua caſtra manu,
O quicunque es, ait melioribus vtere votis,
Reſtant Virginibus grandia dona meis.
Audijt ille ſimul, ſimul annuit. Inde profanos
Deſeruitque toros deſeruitque domos.
Vtq; patrem, & patriã, ſponſamq; torumq; reliquit
In Domino meruit Virgo cubare ſinu.
Non piguit molles; ait, ergo relinquere plumas,
Quando cubare iſto iam licet in thalamo.

LXXIX.

Anonymus Iuuenis Virgo Coniux orcum terret.

Iunctam fædere Virginem iugali
Multis incolumem Maritus annis
Ipſa Virgine caſtior fouebat.
Hunc cùm Tartareæ Tyrannus Aulæ
Humana malus hoſpes in cauerna
Senſit cominus aduenire, ceſſim
In notas redijt Stygis latebras.
Hæc ſunt Virginis, hæc Pudoris arma:
Vno cum omnia terreantur Orco;
Vna à Virgine territatur Orcus.

F 2 VIR-

VIRGINVM
CHORVS OCTAVVS.

LXXX.

Virginitas fuga aut veſtis præſidio tuta.

IN proprio quondam cũ Virgo niteret amictu,
Aſſiduas patuit ſemper ad inſidias
Sæpe quidem inſtantem fugitiuæ feſellerat hoſtẽ,
Facta tamen ſæpe eſt indice Veſte palam.
Sæpe etiam inuento venientem eluſerat aſtu,
Sed redijt ſumptis integer ille dolis.
Quid moror, ergo? inquit, ſi nec fuga proficit vlla,
Nec ſecura manet Virgine Virgo toga?
Dixit; & abiectis mulieribus ornamentis,
Pro ſolita ſumit maſcula tela colo:
Pro mitrà galeam; chlamidem pro cyclade ſumit:
Vtq; Virum fugiat, ſe facit ipſa Virum.

LXXXI.

Alexius ab ſponſa in exilium: ab exilio ad ſponſam, incognitus reuertitur.

Læta Maritales dum Pronuba ventilat ignes,
Patritioſque iubet iungere Luna toros:
Sponſus ab illuſa, ſponſæ fugit immemor, aula
Et vagus extorres quæritat erro lares.
Patria ſed profugum ſimul Aula notauit Alexin,
Omnibus in lacrimis. Vnus Alexis erat,
Iamque parens natũ, iam ſponſum ſponſa requirit.
At nequit illa ſuum ſcire, nec illa ſuum.
Ah quoties genitrix reducem per ſomnia credit.
Exclamatque, Redit. Dum vigil inſtat, Abit,
Ah quoties ſponſæ fallacibus imminet vmbris?
Vana-

Vanaque dum reddit gandia, vera rapit?
Ah quoties eadem dixit præſaga, redibit:
Iamq; rediſſe videt, nec redijſſe putat.
Nam veteres fallente redux ſubitore penates,
Et forium notos decubat ante gradus.
Decubat; heu, luſus pueris. riſuſque miniſtris?
Creber vbi veterem vernula cædit herum.
Proximus hic ſponſam videt, agnoſcitq;vocãtem.
Agnoſci ſponſæ non tamen ipſe poteſt.
Hic audit querulæ, neq; curat, murmura turbæ,
Et toties fleri ſe, neque flere videt.
Tota domus memor eſt,& tota reſpoſcit Alexin.
Se tamen immemorem ſolus Alexis habet.
Iam nihil eſt patriã potuiſſe relinquere: plus eſt.
Quàm fugiſſe domo, ſic redijſſe domum.

LXXXII.

Anaſtaſia à ſponſo profuga, Virum induitur.

Quò magè Anaſtaſiam thalami petiere viriles,
Hoc ſtuduit thalamos illa cauere magis:
Spemq; pudica Viris incidat vt omnibus omnem,
Mutatis ſimulat veſtibus ipſa Virum.
Indę capæ ſpelæa fugit ſub inoſpita ſiluæ
Soliuagas inter dura colona feras.
His habitans per luſtra locis compluria; nũquam
Sponte pedem clauſas extulit ante fores.
Sed vigiles intus lacrimas de nocte profundens,
Aſſidua Veneris repullit arma fame.
Nil opus eſt veſtris, Vir vt eſſe putere, virilis;
Te ſatis illa probat Silua fuiſſe Virum.

LXXXIII.

Athanaſia à Viro profuga, ad eundem ignota regreditur, & intacta moritur.

Hæc exuta ſuam deſerto Coniuge veſtem;
Fæmina merito deſijt eſſe Viro.

Inde diu peregrina, Mari Terraque vagatur.
Aſſiduas Cœlo fundere ſueta preces.
Nec diuerſa dabat Viduus documenta Maritus,
Ipſe ſuæ oblitus Coniugis, ipſa ſui,
Ecce autem: dum forte innuptæ Marita laborat
Ad loca ſecuro tendere ſacra gradu:
Perque cauas valles, nemorumque per inuia currit
Obuia deſerti Coniugis ora videt,
Vnam ambo tenuere viam; ſimul ambo reuerſi
Incoluere vnam, plus duo luſtra, caſam,
Atq; inibi cumulare preces, curaque per enni
Conſuerunt puras tollere ad aſtra manus.
Cognitus interea Coniux à Compare ſemper,
Inſcius at Coniux Comparis alter erat.
Prodita res morte eſt: Quando ſe fæmina tutò
Prodere vult, ſola prodere Morte poteſt.

LXXXIV.

Ioannes Calybita parentum incognitus hoſpes.

Ipſe licet Patris Calybita palatia damnet,
Incola quæſito pauper in exilio,
Sæpe tamen Matrem noctuque diuque tuetur,
Abſentemque audit ſæpe videtque Patrem.
Proderit aſpectum patriæ fugiſſe quid, inquit,
Si patriæ occurrunt tot ſimulacra mihi?
Præſtat vt oſtendam manifeſta parentibus ora,
Hac oculos plectam ſcilicet Arte meos.
Sarcinulas legit ergo breues, exulque relictam
In patriam tectus paupere veſte redit
Hic toto videt ore Patrem, Matrique videtur,
Nec tamen alterna noſcitur ille fide.
Præſentem quin ipſa parens auerſa tuetur,
Eque ſuo pellit neſcia veſtibulo.
Sæpe ſuis aliæ Natis nocuere parentes;
Tutus apud Matrem hanc tu Calybita manes.

Ela-

LXXXV.

Glaphyra Virgo, ne Cæſari placeat, in Virum abit.

Cùm ludibria barbarus minari
Nymphæ pergeret obuiæ Tyrannus.
Et formam violentus in pudicam
Impuros oculi rotaret orbes:
Effugit Glaphyra; & modeſta, noto
Ne ſe proderet ipſa Virgo cultu;
Fiam Proteus, inquit, & ſalubri
Cæcum faſcino Amaſium occupabo,
Mox mendacibus enouata laruis
Sexum vellere condidit Virili.
Iam quærat, licet, inquit, & requirat
Vnaq: in Glaphyra laboret hoſtis.
Cum vel reppererit, Virum videbit.

LXXXVI.

Syncletica, vel Appollinaris, veſte mutata fugit, redit; ſemper incognita.

Natiuos exoſa lares Syncletica Romæ,
Viſere Bethleæ cœperat antra caſa.
At loca ſemotis vbi nacta eſt deuia vernis,
Maſcula ſe ſumpto vertit in ora Sago.
Hic implere ſinum lacrimis, hic plangere pectus,
Hic olim pictas imbre lauare genas.
Flebilis hic itidem ſua pignora quærere Mater,
Pignoraque orbatus quærere rapta Pareus.
Multi illam videre Viri, videre Puellæ,
Sed nulli in viſa cognita Virgo toga eſt.
Ipſa Patrē demum, peregrinum in veſte reuiſit,
Deſeruitq; iterum ceu peregrina Patrem.
Ne mirare, alijs noſci non poſſe: parentes.
Quando reperta ſuos fallere Virgo poteſt.

LXXXVII.

Eugenia Virgo, veſte morteque Virum oſtendit.

Æmula cognatas mutaturam fæmina veſtes,
Totumq; indueram Maſcula Virgo Virum,
Spes erat ignoto traducere tempora Sexu,
Meq; ſacros inter diſſimulare choros.
Sed deprenſa, meum ſum fundere iuſſa cruorem,
Mox mea ſunt ſæua colla reſecta manu.
Sic fugiens cautos tunica fallente parentes,
Eſſe Vir optabam: cum reperirer, eram.

LXXXVIII.

Marina Virginitas veſte Virili tuta, in morte retecta.

Inter Siluicolas ſeueriores
Olim conſilio Marina caſto
Sexum fæmina debilem tegebat.
Nam flauos ſimul exulare iuſſit
Raſa verticis area capillos,
Et peplum ſimul, & ſuperba notæ
A ſe ſyrmata purpuræ remouit.
Sed de vellere barbaro cucullum,
Et craſſæ tegetem induens Abollæ
Sexus emula maſculi, Tonantem
Longis fletibus anxiè rogabat.
Auſa eſt hanc tamen, hanc Suum Marinam
Effrons dicere Adulterium puella.
Quid palles rea? nullo eges patrono
Veſtes indue proprias; eaſque
Vix ſumes, & Adulterum puellæ
(Quamuis deieret illa peieretque)
Omnes Grammatici eſſe te negabunt.

En-

LXXXIX.

Euphroſina in Virum, & Smaragdum verſa, pudorem ſeruauit.

Euphroſynam matura toris Genialibus ætas,
Ipſaq; cogebat nubere Forma Viro.
Iam clamatus erat plaudente Thalaſſio cætu,
Iam de Materno filia rapta ſinu:
Iam permiſſa viro tædis lucentibus ibat
Per Feſcenninos ducta puella iocos,
Ah fugerē, ſi qua vmbra fugā permitteret, inquit.
Ah fugerem, ſi quam mi daret hora moram,
Audijt Euphroſynæ votum Deus; atq; puellæ
Obtulit hora moram; præbuit vmbra fugam.
Quippe rapit chlamydem male cuſtodita virilē,
Abiectaq; Vir eſt facta puella ſtola.
Hinc ſecura toros, patriſque ignota penates
Fugit; in inuento ditior exilio.
At ſibi ne qua ſui reſtaret Imago, Smaragdi
In lacera cœpit nomen habere toga,
Arſeris ante licet radiantibus ora pyropis,
Gemmaque purpurea fulſerit in tunica.
Pectora Chryſolithus, crineſque grauarit Iaſpis,
Ante tamen nunquam tota Smaragdus eras.

XC.

Hildegungis inſons Virgo, pro fure ſuſpenſa, diuinitus liberatur.

Ne Sexu pereat Pudor retecto,
Tectam condere maſcula laborat
Virgo prouida Virginem lacerna,
Impoſtor tamen hanc vt indicauit.
Furti viuere conſciam viator;
Virgo crimina non patrata, fœda
Inſons cogitur expiare furca.

Sed defenſa Deo puella, mortem
Cœlo vindice depulit: gulamque
Iuſſus ſtringere funis innocentem,
Iuſsis reſtitit improbis, & inſons
Collum ſtringere ni abnuiſſet, ipſe
Funis crederet eſſe ſe nocentem.
Sic in lite ſua, puella funem
Ipſo eſt Iudice nacta iuſtiorem.

VIRGINVM.

CHORVS NONVS.

XCI.

Virginitas amiſſa, & per pœnitentiam deplorata.

Fœmina quæ vanis flagrabat Amoribus olim,
Certa lues Iuuenum, pernicieſque Virum;
Nunc melior læſi ſarcire Pudoris honorem,
Incipit aſsiduis fœmina ſupplicijs,
Altera proſcribit ſolitas à corpore rallas,
Aemula Virginei fama futura chori.
Altera quo Cyprios in pectore foueat æſtus,
Id modo ploratis pectus inundat aquis.
Deniq; quas nuper res quæq; cupiuerat odit,
Et quas damnarat ſeria, ſera cupit.
Ipſe Pudor nondum amiſſus, cùm ſæpe timeret,
Amiſſus cœpit tutior eſſe Pudor.

XCII.

Maria Magdalena felicibus lacrimis crimen eluit.

Illa Paleſtinis Mulier famoſa theatris,
Quæ viuo dominos abluit imbre pedes;
Quæq; pedum ſparſis exterſerat ima capillis;
Et ſuper Aſſyrias euacuarat opes:

Illa

Illa ſuos iterat tumulo per territa fletus,
Et poſito corpus quærit herile genu.
Quid miſeras fruſtaris, ait, mea vita, querelas?
Iam tolerare moras Magdala neſcit: vbi es?
Inſonuere cauæ repetito murmure valles,
Siluaque decepta voce reclamat; Vbi es?
Magdalis audito repetitæ murmure vocis,
Hic, ait, hic ego ſum. Vox redit, hic ego ſum
Suſtulit hic oculos, aliquem viſura loquentem;
Huc, ait, ergo veni Vox: redit, Ergo veni.
Neſcio, quo veniam: lamentis turbida, clamat:
Vltima reclamat Vox: Scio quo veniam.
Continuo rediuus adeſt ante ora Magiſter,
Quæſitosq; cadit Magdalis ante pedes.
Queris, inaſpecto quid ſenſerit illa Magiſtro?
Tota tibi ſenſus ſenſit abeſſe ſuos.

XCIII.

Maria Aegiptiaca inter feras fleuit, quod inter homines peccarat.

Silua inter, & inter horridorum
Iordanis nemorum vltimos receſſus,
Nullo fæmina peruagata teſte,
Noctes aſſiduo dieſque fletu,
Et menſes gemitu exigens, & annos,
Et plures trieteridas, ſolutis,
Lamentabilis hæſit in quærelis.
Iam non fæmina fæminæ ſed vmbra,
Aut germana fera, aut feræ figura.
Canis hiſpida ſorduit capillis;
Et rugis ſtetit horrida; extimiſq;
Informes digitis reflexit vngues.
Quæris quis gemituſque lacrimaſque,
Tantaſque excierit dolor querelas?
Actam, eheu; meminit licentiorem
Quondam inter Pharij incolas Canopi
In luxu Sybaritico Iuuentam.

Hunc

Hunc luxum gemitùque lacrimaq;,
Et iugi ſtudet expiare luctu.
Nondum fæmina quæ ſit illa,noſti?
Specta crimina lacrimaſque;dices ;
Morum fæmina talium,vel ipſam
Olim Magdalin audit,vel ipſam
Certè Magdalis audijt Magiſtram .

XCIV.

Afra ignibus amorem expiauit.

Orta Cypro,Cypriæ vt faceret ſacra impia Matri,
Arſit Vindelicis Afra Cupidinibus .
Sed melior,cùm,Chriſte,tuos præferret Amores,
Iuſſit abire tuas,fæde Cupido, faces.
Non abiere faces. Iterum illa recedere iuſſit,
Atque iterum iuſſæ,non abiere tamen.
Artem,ait,ergo ſciã,qua pellere Cyprida poſſim,
Eſt aliquid,Ciuis quod mea ferre nequit.
Illa timet lacrimas;aderit mihi lacrima.Flammas.
Illa timet deerit iam neque flamma mihi.
Dixit, & in lacrimas ſimul iuit,& iuit in ignes,
Et ſimul in pænas,iuit vtraſque Venus.
Exilij eſt perteſa quidem Venus ; hic tamen omni
Interdictum vnda vellet & igne ſibi.

XCV.

Thais Alexandrina in foro exurit muliebrem mundum.

Pelleæ pudor Vrbis, & decora
Thais fabula dedecuſque formæ ;
Olim infamibus expedita Caſtris,
Quem fædæ in veneris ter exſecrando
Quæſtum fecerat impudens theatro,
Abiecit ſapientior; peroſa
Hinc mundum muliebrem,& improborum
Om-

Omnes illecebras Amaſiorum;&
Vento vndique textiles ſtolarum;&
Coarum Nebulas laciniarum ; &
Lemniſcos miſerabiles comarum , &
Compti verticis aream .. Et profanis
Appendicibus aurium; & ſuperbis
Armillis manuum valere iuſſis;
Fucati ſimul oris & coloris
Curam omnium;redolentiumq; tempſit
Per ſex iugera veſtium liquorem.
Quicquid deniq; peſſimis habebat
Quæſitum artibus,omne concitatas .
Ad mirante foro , egit in fauillas.
Arſiſſet ſuper ipſa,ni cadentes
Ignem extingueret ipſamet per imbres
Hic quæſtum ſibi maximum parauit,
Quæſtum Thais vbi ſuum cremauit.

XCVI.

Macharius Romanus , deceptus Orci ludibrio lacrimis corigitur.

Sponſus ad ignotæ memora ibat in hoſpita ſiluæ,
Tactus adhuc nullis Coniugis illecebris:
Quippe toros exoſus erat,quos nobilis illi
Patritias inter Sponſa pararet opes.
Sed potuit Sponsā,(ponſæq; relinquere Romam
Sponſa tamen Iuuenem Romaque non potuit,
Nam Stygius furtim veſtigia Prædo ſecutus .
Blandaque deſertæ Coniungis ora gerens,
Viciuo lacrimas Simulare in vertice cœpit .
Et viduam ætatem ſponſō abeunte queri,
Proijcit inde procul Niueæ ſudaria telæ.
Proijcit exuti ſerica ſuta pedis;.
Ille doli incautus,dum paupere prodit ab antro ,
Arte laboratas incidit in crepidas :
Velaque de Niueo reperit ſubtilia texto:

Monſtra, ait, in ſiluis qualia cerno meis?
Poſt videt arrecta lacrimantem in rupe puellam;
Et male conſpectam, deniq; peius amat,
Iamque ibat, cum vana oculos eluſit imago,
Quam Stygiam ſenſit ſero fuiſſe Stygem.
Tũc gemini properare perẽnibus imbribus amnes
Et ſceleris teſtes vnda lauare genas.
Tunc crebri ſæuire in conſcia pectora pugni,
Iratæq: caput tundere, & ora manus.
Quas vbi conſpexit lacrimas, mutata viciſſim
Ceſſauit lacrimas Styx ſimulare ſuas.

XCVII.

Pelagia Antiochena, ex ſcelerum pelago, pelagus lacrimarum; in veſte Virili.

Hic qui vertice plorat in ſupremo
Arcti incognitus inquilinus Antri;
Is nomen Pelago gerit profectum,
Atque olim Antiochi ſuperba ciues
Omnes vnica vicerat Puella:
Seu Litem faceret pecunioſa
Aurĩ pondere blandientis Arca:
Seu formæ nitor, & vigor iuuentæ
Pugnam inter Syrias daret Puellas;
Illa, inquam, Antiochi ſuperba cunctos
Rebus vicerat omnibus Puella.
Sed tam prodiga formæ, & auri: & arcæ,
Quam caſtæ fuerat profuſa famæ.
Nunc facti pudet: atque copioſis
Laſciuos Oculos lauat fluentis.
Et luxus veteris peroſa gemmas,
Quos dant lumina quærint Vniones:
Et iam crimina Vir piare pergit
Quæ ſe fæmina perpetraſſe nouit.

Iaca-

XCVIII.

Iacobus Anachoreta è proco latro; è latrone lacrimator.

Iam placitus Superis, cæliq; ſimilimus hoſpes,
Et nulla tactus labe Iacobus erat;
Cùm malè ſecurus Vicinum aſſedit ad ignem,
Vicinoq; Senex vſtus ab igne fuit.
Virgo aderat; miſere lethæo obſeſſa colubro,
Virgo per illius Soſpes itura preces?
Ille orcum hoſpitio diſcedere iuſſit: & orcus
Humano iuſsus ceſſit ab hoſpitio.
Vix dum conualuit, Sene ſuppetiante, puella,
Et malè continuo cœpit habere Senex. (amare
Cœpit enim (ah, quid cœpit enim,) malè cœpit
Vixq; procus fuerat, cùm quoq; latro fuit.
Flagitij ſed ſerò memor, ſubit abditus antrum,
Obruit effoſa ſeque ſuperſtes humo.
Inde ſui vindex, iterum plorare laborat
In tumulo, quicquid riſerat in thalamo.
Maius an eſſe malū queat, atq; eſt fœmina? parcit
Orco inſeſſa: Orco libera facta, nocet.

XCIX.

Maria Neptis Abrami; è fuga ad lacrimas reuertit.

Extremos licet exularet inter
Nili ſiluicolas, ſeniſque noſset
Inſomnes patrui puella curas:
Effugit tamen; inſcioque crimen
Effrons fœmina patruo patrauit.
Eheu fæmina? iam per ima præceps
Spretis ibat, & interibat Aſtris:
Et Cœli, Patruique, Tartarique;
Et Vitæ immemor, immemor Pudoris;

Et

Et famæ immemor, immemor Salutis,
In quoſuis Veneris ruebat ignes.
Reſciuit Senior fugam; & ſecutus
Retraxit profugam è fuga puellam.
O quantis lacrimis, & ille & illa
Hanc vnam luere inſtitere culpam?
Profecit tamen his & illa, & ille.
Vt porro Patruo nec illa egeret.
Nec porro Patruus fugam timeret.

C.

Theodora à ſcelere in exilium; in exilio ad ſe rediјt.

Vt thalami malè fida fidem Theodora fefellit,
Territaque eſt Orco vindice, teſte Deo:
Erubuit feciſſe ſcelus; puduitque videri,
Et ſerus toto vixit in ore rubor.
Impatiens igitur; memores ſpectare penates.
Horruit, admiſſi conſcia tecta probri.
Ipſa ſuos oculos, animique peroſa latebras,
Quà ſeſe effugeret, quæſijt arte viam.
Abdita terrarum petijt loca: ibique perennes,
Ex oculis nulli cognita fudit aquas.
Semper ibi infeſto planxit præcordia pugno.
Semper ibi in dura pectora voluit humo.
Nec manibus vultum, nec deſtitit vngue capillum.
Carpere; prima ſuæ damna pudicitiæ,
Quin ſcutica tergum, & ſetis latera vtraque plexit.
Sicca fame torſit viſcera, labra ſiti.
Supplicium, quæris, quantum hoc durauerit? Vt ne
Fortè perenne foret, penè perenne fuit.

CI.

Timotheus luit in Antro, quod peccauit in lecto.

Nec ſua Timotheum potuit defendere ſilua,
Quin Veneri (ô animal!) peruia ſilua foret.
Illa.

Illa caſæ limen lacrimis obſederat; illa
Vicerat obſtructam flebilis Arte caſam.
Nec contenta Venus cellamque,foreſq; caſamq;
Fallere; cellæ etiam blanda feſellit herum.
Senſit herus,modici cùm panderet oſtia tecti,
Immodicas venis omnibus eſſe faces.
Et ſcrutatus aquas, quibus illos mergeret ignes,
Quæſitas nuſquam cernere quibat Aquas.
Vritur ergo miſer;iamque vſq; crematus,& vſq;
Elicuit ſeras ex Oculis lacrimas.
Talibus extinxit lymphis incendia. Nunquam
Arſerat,vſus ijs ſi prius eſſet Aquis.

CII.

Magdalena, & Afra in eadem tabula cum inſignibus picta.

Magdalis inſedit mediam, mediam Afra tabellã.
Illa ſuis lacrimis, ignibus illa ſuis.
Cur tabula, Pictor, contraria ponis in Vna?
Et iuxta flammas vda fluenta locas?
Scilicet Afra ſuo ne picta crémetur ab Igni,
Picta ſuas illi Magdala iungit Aquas.

CIII.

Adoleſcenti nobili de vouenda Caſtitate deliberanti.

Non eſt,falleris, hæc beata, non eſt:
Credatur, licet; eſse vita, non eſt:
Cæli ſpernere Numen;& paternos
Immortalibus anteferre nutus.
Seu farta tibi Patris è crumena
Indi pondera blandiantur Auri:
Seu vena tibi diues è ſecunda

Ac-

Argenti cumulum flagellet Area.
Seu de Perſide nobiles rapina
Promittat tibi res Auita gemmas:
Seu demum Libycas auara Meſſes
Vno Prædia congerant aceruo:
Non eſt, falleris, hæc beata, non eſt,
Quæ promittitur eſſe, Vita non eſt,
Aurem ſeu patriæ tibi querelæ.
Alterno feriant vtramque luctu;
Aut Cani tibi verticem capilli;
Aut barbæ ſenium, pedumque pronas,
Oſtendat miſerabilis ruinas:
Et natos ſimul, & ſimul futuros
Tecum dictitet emori Nepotes:
Tu ſicco tamen aude & illa, & illa,
Et rurſum illa videre vultu, & illa.
Quod ſi ſollicito volaret Vngue
Sparſos turbida Mater in capillos;
Aut fuſo faciem rigaret imbre,
Aut Nato emeriti ſenile lactis.
Infelix Anus exprobraret Vber;
Aut ſi quem vehementior Parenti
Maiorem exprimeret dolor furorem:
Tu per tam querulos ſerenus imbres,
Quo te Sidera traxerint, labora
Maternos ſuper euolare Nimbos.
Non eſt altera vita, vita non eſt,
Quam dicunt tibi & ille& illa, non eſt.
Si ploret Soror, & tener ſub ipſo
Inſtet limine frater, ac precantes
Collo tendere perſeueret vlnas
Et fratrem ſemel, alterumq; fratrem,
Nexis ingeminent vterque palmis,
Tu palmas ſuper, & ſuper morantes
Exi, quà potes, abſolutus vlnas.
Obſiſtat ſimul, & retenta fidus
Inter brachia pendeat Sodalis,

Et quò tu ſine me Sodalis? & quò?
Et me deſeris? vſque & vſque clamet:
Et me deſeris? vſque & vſque ploret.
Tu per brachia penduli Sodalis,
Obſiſtant, licet,& morentur, exi.
Sirenes tibi ſi liquata blandæ
Porrecto Mera poculo propinent,
Et iam gaudia mille blandiantur
Dein mille altera; dein ſecunda centum
Dein vſque altera mille; deinde centum
Deinde cum millia multa blandientur,
Eheu? copia tanta gaudiorum
Vna,qua minimè putabis, hora
Vanæ tota peribit inſtat vmbræ.
Quod ſi delicijs Puer ſalacem
Maternis moueat Cupido luſum;
Aut Vitam: temerariam Iuuenta
Promiſſo male ſuada fallat Æuo.
Tu ne credulus immorare; (Noto
Mendax ſecula decipit Cachinno:)
Sed pectus tibi vel feris,vel ipſis
Durum præ ſcopulis habe Marinis.
Quod ſi Gloria pectori Superbos
Demum immiſerit arrogans tumores,
Et vel Murice barbaro nitentem
Vel Coo dederit labore Rallam,
Vel Sellas tibi lætior Curules,
Vel promiſerit Aureas honorum
Quorumuis tibi liberalis Vmbras:
Hic tu quiſquis eris repentè Terras
Et Vitæ dubias valere Curas;
Hic Sirenas, & improbos, Amoris
Fucos cedere,Gloriæque fumos.
Abſcedat Pater,anxioſque ceſſet
Mater perdere cum Sorore fletus;
Et Frater gemat,& gemat Sodalis,
Vnus tu gemitus habeto nullos.

Tum

Tum quaſsus licet Orbis ingruentes.
Extemplo ſit iturus in ruinas
Tu perſta tamen, atque ſempiternis
Nullas Legibus antepone Leges.
Nam quæ Vita animum ſolet trophęis
Immortalibus auocare, non eſt,
Non eſt, falleris; illa Vita; Mors eſt.

PRO-

PROGRAMMA

AD S. P. IGNATIVM.

Coelitibus Loiola nouum decus addite;
Noſtriſque
Eoum terris Occiduumq; iubar;
Hac mea Signa tui, quantumuis par-
ua Clientis.
Non tamen Ingrati Signa Clientis habe.
Nam tua, cùm patrios fugerẽ, hoſte ſequente, pena-
Ad qua confugerem tu mihi Caſtra dabas. (tes
Auſpicijs ibi tela tuis verſare; pioque
Infernas didici fundere Marte manus.
Ignotaſque diu, iam tandem tramite noto
Quas tibi monſtrarunt Sidera, calco Vias
Hic quemcumque bibo laticem Permeſſidos vnda,
De Loiolao non niſi fonte bibo.
Quare vt prima Deo, vt Magna altera Carmina
Tertia ſic meritis danda fuere tuis. (Matri,
His mea Patronis tribus omnem Muſa dat Aſſem;
Muſa, quos heredes pauperis Aſſis habes?

EPIGRAMMATVM

Liber Tertius.

S. IGNATIO SOCIETATIS IESV CONDITORI SACER.

I.

Inuerſum Hominis ſtudium.

DVceret vt certos Deus in ſtata Regna Colonos,
Quadrupedes Terram iuſſit habere feras.
Piſcibus, & vaſtis Pelagi dedit æquora Phocis,
Et Stygis inferno tradidit antra Ioui.
Aligeram iuſſit regnare per aera gentem,
Cœleſtes hominem quærere iuſſit opes,
Pars rata cuique ſua eſt: Piſcis natat euolat ales;
Includuntque Iouem Tartara: Terra feram
Solus homo ſedes,quas quærere debuit,odit:
Et quæ debuerat ſpernere regna,petit.
Nam vagus,& Terram ſcrutatur,& occupat vndã;
Et quicqnid Terram eſt inter,& inter Aquam.
Turritiſque leues infeſtat molibus Auras,
Nec timet in nigros Ditis abire ſpecus.
Nitimur in vetitum: vt nobis perſuadeat Aſtra,
Nulla Deus nobis ſuadeat Aſtra, Vetet.

Alea-

II.

Aleator impius in ſtygem abreptus.

Forte pares Calicum furtim coire trahones,
Cura quibus, præter vina; fritillus erat:
Ludit vterq; ſed huic malè tacta Canicula nũmos
Tollit; & huic implet teſſera Coaſinus.
Ego furens animi, iam deſperante Crumena
Surgit, & vltrices vertit in Aſtra minas.
Nõ erat Ara procul, veteri Ara ſed inclyta cultu,
Feliçemq: ſuper pendula imago trabem:
Hic ſacra funeſta contaminat Ora ſaliua;
Pęnam, ait, amiſſi tu dabis Ara lucri.
Dixit, & inferno ſimul adfuit Vltor ab antro,
Qui labra Tartareis impia merſit aquis.
Pergit ibi notare miſer, ſed ludere ceſſat:
Nam pòſt quàm ſubijt Tartara, Serius eſt.

III.

Aurea, & verſatilis domus Neronis.

Ebria potantem quæ viderat Aula Neronem,
Trinacrij retulit vitrea Monſtra Senis.
Aurea nam volucri decurrit Machina tecto,
Et tereti poſita circumit orbe dapes.
Sub pede gẽma volat; laquearq; trabeſq; rotantur
Aſſiduoq: fugit mobilis Aula gradu.
Hic noua vicinas traſcurrunt Sidera menſas;
Hic madidos ridet Luna iocoſa toros.
Murrhinaq; armatus modò procula terret Orion
Gorgoniaſq; timent Sigmata pota comas.
Scorpio quæſitis domo proximus imminet eſcis,
Et ſuper intactos præterit Hydra cibos.
Mentituſque fugit per gemmea fercula Phebus,
Et vocat alternam præcipitatque diem.
Nemo ſed aurata diſcumbere geſtijt Aula.
Aureo enim in tecto ferreus hoſpes erat.

IV.

Diogenes Herculis ſtatuam ligneam coquendis lentibus admouet.

Nota ſibi Cynicus dum luſtrat tecta Chachinno
Paſcat vbi ſuetam paupere lente famem;
Arida per vacuam circumfert ora Culinam
Si qua ſit in Cynicam viua fauilla dapem.
Hic gelidos horrere videt ſine torre penates,
Et nuſquam emerito ligna parata foco.
Auxilium rogat ergo Deos Fortè Herculis illic
Stabat in excelſo lignea Forma tholo.
O bone, biſſenis (ait) olim exercite monſtris,
Lens decimus debet tertius eſſe labor.
Diceris olim Apros olim viciſse Leones,
Nunc etiam Lentes vincere diſce meas.
Et ſimul Alcidem frigentibus admouet Ollis,
Subiectoq; pedes Herculis igne cremat.
Illa Focū flamma, illa Cocum calefecit, & Ollas,
Et Cynicas eadem denique flamma Famas.
Lerna quid Alcidæ, quid cetera Mōſtra dediſtis?
Clarior à victis Lentibus ille fuit.

V.

De Eodem aliud.

Iam Nemæus erat ſublatus ab Hercule terror,
Et ferus Arcadia valle peremptus Aper,
Iam ſtabulis exhauſta ſuis infamia: & hoſpes
A Diomedeis nemo timebat equis.
Nuſquā Cęcus erat:Nuſquam Stymphalides vllæ,
Eſt ſtigijs nuſquam Cerberus in foribus.
Nullus Lerneæ reſtabat ſibilus Hydræ.
Heſperijs nullus iam Draco in excubijs:
Cùm ſua Diogenes, miſerando in prandia voto,
Mollire ad motas quæreret igne fabas.
Ligna

Ligna tamē deerāt; quæ dū vſq; requirit, & vſq;
Herculis emeriti lignea ſigna videt.
Præcipitaſq; foco, noua ſubdit pabula flammis;
Hercule ſic lentes ſuppetiante coquit.
Omnibus in monſtris ſudaueris, inquit; in iſta
Te ſudare tamen plus ego lente puto.

VI.

Carlo Cæſari Auguſta ſpectandam ſe prabet.

Vindelici Cæſar famoſa palatia Campi
Heſperio viſum venerat vſque ſinu:
Exhibuit ſpectanda oculis Vrbs omnia tantis:
Et monſtrauit opes ambitioſa ſuas:
Hic Cœlo aerias æquata cacumina turres,
Hic inter pictas aurea templa domos:
Septaque Caſtrenſi ſublimia mænia vallo,
Plenaque non vano bellica tela metu.
Hic Corcyrei miracla recentia prati,
Hic inter patullas inuia tecta fores.
Nunc liquidos fontes, ſparſumque per aera rorē,
Ludicra nunc priſco munera mixta ioco.
Rurſus opes, ſeu Lyda quibus Cimelia Crœſi,
Sine quibus Craſſi nobilis arca fuit.
Quæ licet ingentes, tamen erubuere videri.
Cùm, quas ſpectabat, vinceret hoſpes opes,
Fruſtra Auguſta cupis magna hic oſtendere: ſolo
In ſpeculo Cæſar Magna videre poteſt.

VII.

Amico intimo, Romam euocato.

Mutuus inter nos tanti viget vſus Amoris,
Iuret vt hoc Oculos te caput eſſe ſuos.
Nunc te Roma iubet, ſine me contendere Romā,
Meq; meis oculis ſæua carere iubet.

Mitius ò magnæ mihi gens iraſcere Romæ,
Et me non ſine me, Roma, venire ſine.
Abnuis? Hic potero tamen abſens dicere Romam
Cerno: Data eſt oculis Roma videnda meis.

VIII.

De Eodem aliud.

Cùm doleam, nequeo fugientem flere Sodalem;
Cauſſa ſubeſt; Oculos abſtulit ille mihi.

IX.

Luſitanus in obſidione Dienſi dentem pro telo habet.

Arx vbi Memnonias acerbat Ibera Phalangas,
Alternoſq; frequens ibat ab hoſte cruor;
Ferrea confertum ſpargebat Iberus in Indum
Fulmina; grandifero fulmina parta tubo.
Nec caſſo tonuere metu: ſed ſparſa cadebant
Certius ac Getica torta ſagitta manu.
Nā quot tela tubis, tot habebat funera campus,
Sæpe ſimul ſtrages glans dabat vna duas.
Lethiferi demum defecit copia teli,
Quæſitiq; manum deſtituere globi.
Inſultare magis tamen ac magis inſtitit Indus,
Nudaque contempto valla ſubire metu.
Non tulit exermis ludibria barbara miles;
Tela mihi deſinit; telum Ego, dixit, ero.
Extrahit inde Oris genuinum è carcere dentem,
Fartaque dentatis, glandibus æra grauat.
Continuo clypeos, & ahena repagula rumpunt,
Et penitos lacerant oſſea fruſta ſinus.
Quæ nouus iratis manibus furor arma miniſtrat?
Ore, ſibi vt poſſit tela parare, parit.
Prælia quis noſtris præfert Samſonia? Samſon
Maxilla; noſtri prçlia dente gerunt.

Ad

X.

Ad Paullum iucundiſſimum Senem, inuitatio iocularis.

O noſtri decus aureum Lycei,
Canæ gloria nobilis Senectæ,
Ad nos Paule reuiſe: cænuiæque
Vel Rex eſto vel Arbiter modeſtæ,
Plena ſtridulus Anſer in culina
Inſuetos hodie fatigat ignes,
Et dudum à Verubuſque flammuliſque
In ſtratas parat inuolare menſas.
Porcelli quoque grunnientis exta,
Et Lucanica ventre de ſuillo,
Et fartæ piperata fruſta pernæ,
Iam feſtas onerant ſuperba lances:
Iam ſtructor iubet, imperatque carptor;
Iam totas Coquus explicat culinas,
Et nullos queritur venire dentes:
Non ſentis, reor, eſuritionem:
Pranſus denique ſenties: mouere
Sueuit noſtra famem ſitimque Menſa.

XI.

Paſtor ludibundus picturæ primus Inuentor.

Lanigeras ductarat Oues in pabula Paſtor,
Suerat vbi riguæ ludere murmur aquæ,
Fortè Pedo nitens, illiſq; intentus, & illis.
Quas paſcebat Oues, pingere cœpit Oues.
Sparſit enim tenuẽ: pecus albi Velleris vmbram,
Inq; parem pecudis deſijt Vmbra modum.
Hanc temere Paſtor baculo dũ circumit Vmbrã,
Extima perducto pingitur ora pedo,
Inde quod Aprico formarat puluere Paſtor,
Sedula nunc minio pingere penna ſolet.

Græcia Parrhaſijs inhies licet vſque tabellis,
Cùmq; tuo placeat Græcus Apelle color?
Quos tua miratur celebres pictura Magiſtros,
Diſcipulos habuit Paſtor, & Vmbra ſuos.

XII.

Manſuetus Leo Magni Principis Verna.

Rex nemorum Libycæq; Leo populator arenæ,
Cornigeros auſus ſæpe ferire greges.
Mitior admotæ iam præbet tergora dextræ,
Nec fugit humanos ira ferina iocos.
Iam licet exermes digitis percurrere rictus.
Iam faciles ſecto comere dente iubas.
Iam formidatę contemnere robora caudæ,
Iam domitos vngues ludere præda poteſt.
Ipſe ſolet domini minimos agnoſcere nutus,
Ego vigil herroos ante cubare pedes.
Quod nullos hodie cernis ſæuire Leones,
Culpa tua eſt; Mores iam didicere tuos.

XIII.

Antonij, & Cleopatræ Conuiuium in roſis.

Ebria quo ſteterint Nilotica ſigmata luxu,
Prodigeret Pharias cùm Cleopatra dapes.
Heſperię ſenſere roſæ, ſenſere Sicanæ,
Per madidos ſparſæ quę iacuere toros,
Purpureis ſtragem Menſa attulit illa roſetis,
Cœnaq; Phęacum perdidit vna nemus,
Non Campus, non Hybla ſuos ſeruauit odores,
Deſeruitq; ſuus florea prata color.
Hic totum conuiua latus mergebat acantho,
Inq; roſis alter totus, & alter erat.
Neſcio quàm credam ſapuiſſe ea prandia lautè?
Certè ea conuiuis lautè oluiſſe ſcio.

Abſa-

XIV.

Abſalonis Crines in laqueos verſi.

Cũ querceta vagus ruerẽ per agreſtia ; & hoſtis
 Plurimus admiſſis inſequeretur equis.
Aurea Cæſaries, flauæque ſimillima lanæ,
 Viſa meum eſt nimia mole grauare caput.
Lactea nam ceruix quas in ſtatione tenebat,
 Has leuior Zephyri ſparſerat aura comas:
Tum phaethontiades captæ formaq; comaque,
 Ne fugerem, laqueis impediere viam.
Nam pandere ſuos, ingentia brachia, ramos;
 Et placitas ramis implicuere comas.
Hic ſenſere meos ſibi dum placuiſſe capillos,
 Solus eos ſenſi diſplicuiſſe mihi.

XV.

De Auctore Peccati.

Toxica nondum vllas implerant Colchica valles
 Vulgarantq; ſuam nulla venena luem:
Tractus ab irato cùm deniq; Cerberus orco,
 Virus in humanas intulit omne plagas,
Quippe venenato vomitu ſimul imbuit orbem,
 Infectum genuit mille venena ſolum,
Inde luem Pecorum primi ſenſere Coloni,
 Et feſtinata Ruſtica turba Neces.
Hæc mihi Fabula erat: ſed pòſt quã proditor alto
 Excidit è Cœlo Lucifer, hiſtoria eſt.
Ille vbi lethifero maculauit Sidera faſtu,
 Imbuit, ah, Noſtros hac quoq; Peſte ſinus,
Serpere mox cępit, Menteſq: repentè per omnes
 Graſſari miſeris plurima Noxa modis.
Hinç inimica furunt alternis iurgia Rixis,
 Lingua venenatas hinc mala torquet Acus.
Ebria Bacchęo ſaturantur guttura Succo,
 Et Stygio turgent Secula noſtra Notho.

Inde Cupidineis feriuntur pectora telis,
Et Piceæ tendunt in mala furta manus.
Traxerit ex imo mala peſſima Cerberus Orco:
Traxit hic ex alto deteriora polo.

XVI.

Societas Ieſu, aſſiduis Caluiniſtarum Calumnijs petita.

Regia ſacrilego ſcrutari viſcera ferro,
Et madidas domino ſanguine ferre manus.
Et quæ nec Tragici finxerunt Monſtra cothurni,
Intra Labdaciam viſa fuiſſe domum:
Omnia Caluorum plebes turpiſſima iurat
Vel docuiſſe meum vel didiciſſe gregem.
Quid facitis Leges? iurata Calumnia fallit.
Remnia legitimas litera quære minas.
Iam frontem effrontē potes Ara notare Libonis;
Nec potes hic vllam ducere Kappa moram.
Ite citi, lamnas medijs date ab ignibus, ite:
Iam docuit Prolem ſtigmata ferre Parens.
Aequetur Caluo ſoboles famoſa Parenti;
Quod Pater in tergo, Natus in Ore ferat.

XVII.

B. Ignatius in monte Serrano ſponte ſe exarmat.

Qui nuper Patrijs coruſcus armis
Miles fulmineos rotarat Enſes,
Et Turmas procul, & procul Cohortes
Miſſo iuſſerat interire telo;
Idem Virgineis propinquus aris
Nec telo latus aſperat: nec haſta
In magnas ruit arduus Phalangas:

Sed

Sed Vultu querulis pluente Nimbis,
Et crebros gemitu mouente luctus
Cœlo ſupplicat, & fatigat Aſtra.
Armatus tamen antè quos nequibat
Hoſtes vincere, inermis hic triumphat.

XVIII.

Italus Cordubam ingeniorum Parentem inuiſit; & in puero omnium ingenia agnoſcit.

Auſonias magno rumore vagata per aures.
Cœperat Heſperios tollere fama lares:
Atque ea diuitijs eſſe inclyta mænia dixit,
Atque ea Pæſtano mænia clara Situ.
Rurſum ea Regũ aulis, aut arcibus ardua magnis,
Rurſum ea nobilibus peruia fluminibus.
His gemina habuit non vltima Corduba laudes,
Corduba Pierij diues alumna chori.
Tres eadem Senecas; eadem peperiſſe Nepotes
Quoſque Stagireis æmula fertur Auis.
Audijt hæc Tuſcus famæ miracula Ciuis;
Hæc, ait, eſt oculis fama videnda meis.
Iuit: & aſpecta poſt quam ſtetit hoſpes in vrbe,
Laudatamq; recens aduena preſſit humum;
Ecce: dehiſcentes valuis bipatentibus ædes
Ambroſio pandit nobilis ore puer;
Quem poterat vel Hylã, vel Hyle cẽſere gemellũ,
Vel ſua quem viſis forma peremit aquis.
Hic tenui tectum geſtabat ſindone corbem,
Sindone, quam Phrygia cinxerat orbis acu,
Subſtitit ingenua ſuſpenſus ab indole Thuſcus,
Et patrio petijt mutua verba ſono.
Belle puer, Charitum ſoboles pulcherrima, pande
Munera clauſa tuo ſi qua latent calatho.

Et ſimul affectans adoperti vela quaſilli,
Abſtruſas ibat Corbis in illecebras.
Sed refugo ceſſit ſoboles Hiſpana caniſtro,
Et procul eluſam iuſſit abeſſe manum.
Nam mea ſi genitrix mihi vellet vt arbiter eſſes,
Corbi nulla forent obdita vela meo.
Nec mora: feſtiuo ſuperatus acumine Thuſcus,
Viſa, ait, in puero eſt Corduba tota mihi.

XIX.

Ad diuitem, effusè in pauperes liberalem.

Aurea cui toties largiris munera Plebi,
Aſſiduamque graui diuidis ære ſtipem,
Sidera Plebs eadem tibi feſtinata precatur;
Sidera tam larga ſæpius empta manu.
Nos aliud iuſto Populi in clamore precamur;
Vt, quamuis citò emas ſidera, ſerò petas.

XX.

In Calamitoſos Lini verſiculos.

Et limam, Line, perdis & lituram,
Et limæ omnem operam, Line, & lituræ,
Qui pergis calamoſque ſæpiaſque,
Et ruptos pede claudicante verſus
Effætis, miſer, imperare Muſis.
Rugoſæ modò ſunt Anus, & aptæ
Ad Socrum Niobæ, nurumque Pyrrhæ:
Tu cogis tamen, & laceſſis, ægros
Vt pergant tibi parturire verſus.
Ah ceſſa: Pudor eſt videre, quantum
Nutent poplite languido, ſuaſque
Conducto pede fulciant ruinas.
Illinc ſtridula triga ſordidatos
Luxato rotat axe barbariſmos.
Illinc per ſalebras ineruditi

De-

Decurrunt Numeri, Atticaſque terrent
Abſurdo ſtrepitu Maronis aures.
Quare ſi ſapis, abdica Poeſin;
Prætorem pete: cùm tuo repente
In ius quodlibet ambula Magiſtro,
Coge illum, tibi reddat vt didactrum;
Danda eſt actio: Nil meretur ille.
Quis teſtabimur? inquies: neganti
Verſum ſcribe, Line, Vnicum; & probaſti.

X X I.

De Marci Verſeri eruditiſſimis Epiſtolis.

Pyrrhus Erythreo quoties digitum induit auro,
Vidit in aſpecta totum Helicona manu.
Paruus enim Palæ in gremio lucebat Achates,
Phidiacus poterat quem ſtupuiſſe labor.
Non eguit Sectore lapis: Natura ſed illo
In lapide, eſt Cœlo doctius vſa ſuo.
Namq; ibi gemmatas Heliconia turba ſub vmbras
Propria cognatis abdidit ora notis.
Muſicus in bacca Phæbus requieuit eadem,
Facundoque ſuum pectine mulſit ebur.
Hæc Pyrrhi non palla mihi, ſed fabula viſa eſt;
Fabula iam tandem deſijt eſſe mihi.
Nam tu Marce doces hodieq; hãc viuere gẽmam;
Signat enim Chartas Annulus ille tuas.

XXII.

In Cinnam minutiſſima diligentia Grammaticum.

Dulichium quoties Erronem Muſa vocabat,
Dulichij ſemper nomen Vlyſſis erat.
Sic Maro, ſic illum Pelignus ſueuerat exul,
Sic illum veteri quiſque vocare ſono,

Cinna tamen veteri reiecto Nomine; Nomen
Dulichio poſthac, inquit, Vlyxis erit.
Continuò ſcriptum vidit locus omnis Vlyxen,
Et placuit nullus iam ſine Vlyxe liber.
Iamq; vel ipſa ſuum quãuis bene noſſet, Vlyſſen,
Territa mutato. Circe in Vlyxe fuit.
Et ſocijs verſis, ecce, omnibus, inquit: Vlyſſen
Hunc ſolum nequij vertere; Cinna poteſt.

XXIII.

Mater, vt filium, bello captum, recuperet, B. Virgini ſuum ex vlnis filium ſurripit.

Captiuos traherent cum Vincula barbara ciues,
Et Nexos premeret ſerua Catasta pedes:
Appendix ibat miſeræ Puer vltima prædæ,
Indocilis rapta Matre carere Puer.
Irruit ergo Parens in Magnæ templa Parentis,
Orbaque cœleſtem Virginis orat opem.
Da bona Mater, ait, Soboles vt capta Parentem
Et Sobolem captam poſſit habere Parens,
Has vbi Virgo diu neglexit ſurda querelas,
Fæmina Victrices repperit orba preces.
Fortè videns poſitam Cœlatæ Virginis aram,
Et Puerum in charo Virginis eſſe ſinu:
Hunc, ait, inuitæ Puerum rape fæmina Matri,
Hic meus erepti pignoris obſes erit;
Mox rapitur, raptuſque cana Puer abditur arca,
Et locuples cauta clauditur Arca ſera.
Hic vbi Virgo orbos vidit ſpoliata lacertos,
Et vacuas chara Prole manere manus:
Denique iam Matri parere coacta, repente
Carceris occluſas iuſſit hiare fores.
Et, Puer, inquit abi; quærulamque reuiſe Parentẽ,
Diſcat vti gremio reddere furta meo.
Nulla tuæ poſthac genitrici vota negabo;
Artem qua cogat me tua Mater habet.

De

XXIV.

De miſerijs Honorum Aulicorum.

Qui faſces petit æmulus ſuperbos,
Aut Regni dominam potentis Aulam,
Si pœnas dare, quas meretur, optat,
Regnum continuò impetret, quòd optat.
  Tum farto licet incubet grabato,
Et texto latus ambiatur oſtro,
Prolixas tamen exſecratus horas
Inſomnes vigilabit inter Vmbras.
  Quamuis Aſſyrio Culina luxu
Lautas inſtruat expedita Menſas;
Quamuis Cæcuba ponat, & Falerna
Feſtis vina Miniſter in culullis,
Impaſto tamen ore, delicatas
Inter pocula nauſeabit eſcas.
  Illi pectine ſi cohors eburno
Laudat Threijcium ſonora carmen;
Orpheam ſibimet ſuus profundo
Turbauit gemitu Tragœdus artem.
  Si fulgentibus hinc & hinc Sariſſis
Stipent mille Satellites euntem,
Et cingant totidem enſibus clientes;
Et ſtrictis totidem Aulici verutis;
Pallebit tamen, & ſuas in ipſis
Anceps Ciuibus expaueſcet haſtas;
Nulli fidere certus: atque ſumma
Inter gaudia mœſtus: Inde Regum
Dum faſces quatit, & ſuperbit Auro,
Toto cogitur exulare Regno.
  Durum eſt Exilium timere, durum eſt:
Multo durius eſt Timere Regnum:

XXV.

Bembina tabula, ſymbolis Hieroglyphicis ad vſum Nauticum facta; & ab Heruuardo explicata.

Cærula poſſet vti ratis ire per æquora tuto,
Saluaque Naufrago vela volare freto,
Has Pharij pinxere Senes Perſæque figuras,
Et Mare cælatis explicuere notis.
Sed nihil in viſa Nautæ videre tabella,
Et magis obſcuras Ars ea fecit Aquas.
Qualia creduntur Thebano ænigmata monſtro,
Aut in Cimmerijs vmbra fuiſſe plagis:
Talibus Iſis erat quoque Nautica ſepta tenebris,
Poſſet vti Noctes ipſa timere ſuas.
Hanc Heruuarde vides, cogiſque recedere noctē,
Depulſaque iubes nocte ſubire diem.
Iam tabula iſta poteſt alijs dare Nautica lucem,
Sed lucem tabulæ tu prior ipſe dabas.

XXVI.

In Cinnam Virgilij infelicem Simium.

Æmulus Andinos imitari Cinna cothurnos
Dum cupit, & ſimili bella ciere tuba;
Iam repetit, Patulæ quid agas ſub tegmine fagi
Tityre; iam lætas quid faciat Segetes;
Iam Phrygis arma Viri, rauco citat altera verſu,
Iam Culicis totum funere claudit opus.
Talia Cinna canit, quoniam Maro talia. Quod ſi
Plura Maro caneret, pluria Cinna canat.
Denique tanta ſubeſt imitandi Cura Maronis,
Vt, ſi ſperet, eum vincere Cinna velit.
Cinna, quid vnius tantùm obliuiſceris, amens?
Eſt ea præcipuè res imitanda tibi.
Ille ſuam flammis aboleri Aeneida iuſſit,

Al-

Alteraque Auſonio Pergama obire rogo,
Tu quoque Cinna iube tradi tua Carmina flāmis;
Eſſe tuo maior Cinna Marone potes.
Sæpe rogata ſuos illi ignes Roma negabat:
Tu vix incipies Cinna rogare, Dabit.

XXVII.

Ad Amicum Phlebotomumenum.

Cūm plueret facies Hyacinthi ſanguine, fuſus
Fertur in agnatas ſanguis ijſſe roſas.
Iam quoque ſecta tibi pluit vbere vena cruore,
Sidoniuſque linit ſubdita vaſa rubor.
In ſimiles cur ille Roſas non vertitur? aut cur
Hanc Metamorphoſin neſcit habere cruor?
Scilicet ingenuæ vis impedit indolis illum:
Non didicit Magnus viuere ſanguis humi.

XXVIII.

In Calumniatorem flagrorum ſponte inflictorum.

Taurea cum miſerè Graios laniaret Ephebos,
Adſtabant ſiccis turba Lacæna genis:
Lætaque conſtabant Veſtalibus ora Puellis,
Frangere cūm Victam iuſſit Arena gulam.
Et Tunicas poterant pueri ſpectare Moleſtas
Cūm erus Oeteos luſit Agyrta Rogos.
At tu fæmineas ordiris, Pſylle, querelas,
Dum Caro noſtra ſua vapulat icta manu.
Iam iuuat impensè pertundere tergora; quando
Noſtra minùs nobis, quàm tibi, flagra dolent.

XXIX.

Infans ludibus ſuamet imagine decipitur, Vndiſque mergitur.

Trimulus illimem cùm fortè ſederet ad amnem;
Et Vitrei pronus cerneret amnis aquam;
Induit, ecce, amnis puerilia Vitreus ora,
Et mendax Puerum rettulit vnda parem.
Ille ſibi inter aquas vbi credidit eſſe gemellum,
Dat ſocio vnanimes ſæpe, petitque manus.
Extulit hic medijs itidē æmula brachia lymphis,
Et quas ille manus præbuit; iſte petit.
Sed neque dum ex alta coiere crepidine dextræ,
Vtraque cùm cuperet palma coire tamen.
Amplius ergo ſuam vt palmam protendetet alter
Pendulus in vitreas amplius hæſit aquas.
Extenditque manus iterum, extenditq; caditque;
Præcipitemque nocens gurgitis vnda rapit.
Deceptus Puer eſt. Sperabat tangere dextram
Dextra parem: ah, longè fortior vna fuit.

XXX.

Iuuenis vt B. Virginem rideat, libens oculum amittit: paratus & alterum amittere.

Partheniam Iuuenis ſic olim oraſſe Parentem
Dicitur, effuſis ſæpe rigatus Aquis:
O liceat, Regina, tuos mihi cernere vultus:
Oraque Cęlitibus viſa, videre mihi:
Audijt hæc: Oculo ſed quo mea videris Ora,
Ora dein hominum nulla videbis, ait.
Ille ſimul partemque volens excludere Noctis,
Aſpectæque ſimul Virginis ore frui.
Læua prematur, ait; pateat fax dextra; videnti
Vnica ſi ſupereſt, vna perire poteſt.
Mox, vbi partitos oculos in Virgine fixit,

Om.

Omnia ſunt vno ſidera viſa loco.
Sol ibi ſe, Solem, Lunam ſe Luna negauit;
Virginis os oculo Lunaque Solque fuit.
At nequijt Cęleſtem oculus perferre nitorem,
Dumque diem vidit, perdidit ipſe diem.
Se tamen in tali gauiſus obiſſe Theatro,
Funere, ait, nequij nobiliore mori.
Tunc oculum piguit, dextro moriente, ſiniſtrum;
Se quoque cum ſocio non perijſſe ſuo.

XXXI.

Ad Bambergam, tribus ſideribus illuſtrem.

O inter fluuios amæniores
Fæcundis Aqua marginata Ripis,
Quam torto rotat Alueo beatus
Magnis Arcibus Vrbibuſque Riuus.
Hic ſublimibus inuidenda tectis
Fulſit Cæſaris Aula; quà potentis
Henrici bona Virgo coniugales
Intrauit Chunegundis in penates.
Hic miracula Cæſarum duorum,
Henrici, & Chunegundis & duorum
Hic miracula Coniugum: & duorum
Hic miracula Virginum: & duorum
Hic miracula Cęlitum, ò in vna
Quis miracula plura vidit Aula?
Hos Bamberga colis beata Ciues.
Abſcondant licet Vrbibus propinquis
Seſe Cornua Lunæ; & ipſe condat
Se Solis nitor: illicò exhibebit
Henricus tibi ſemet ipſe Solem;
Et ſemet Chunegundis ipſa Lunam.
Quod ſi pluribus indigebis Aſtris
Præſtabit tibi Godefridus Aſtrum:
Aſtrum ò nobile: quale vel micanti
Fixum in pectore cernitur Leonis;

Vel

Vel quale exhibet in Sereniore
Virgo verticis ignei Corona;
Vel quale Aetherias ſubinde monſtrat;
Stellarum accola Cygnus inter Alas.
Seu quoduis erit ille Sidus, illud
Aeternum tibi Sidus opta, & opta;
Tunc nullas tibi patriæque nullas
Illunes Populus timebit Vmbras.

XXXII.

Ruſtica duorum pugna.

Seruijt Heluetico procerus Verna colono,
Grandis ab Aetnea poſteritate Nepos;
Hos inter Lis orta duos, hortante Lyæo,
In ſua ſylueſtres impulit arma manus.
Sæpe genas alter pugno mulctauit & alter;
Omne tamen pugni pondus inane fuit.
Nam tactas quoties feriebat dextera malas,
Viſa ferire merum dextera marmor erat.
Ergo genus teli placuit mutare: Bipennis,
Siqua; vel informis pertica, ſi qua foret.
Neutra fuit. Suberāt Lapitharū è ſtrage molares;
Tàm Silicū innumerus quàm lapidū numerus
Hinc ſibi tollit onus Silicis prægrande Colonus,
In vernile caput vis quod herilis agat.
Sed iactum vt Silicem ſerui frons dura recepit,
In ſua diſſilijt fruſta minuta Silex.
Nec ſenſere tamen ſeruilia tempora vulnus,
Sed magis eſt viſus fronte dolere lapis
Mirum aliud: Dū fruſta cadunt diuerſa volantq;
Pars etiam in domini eſt parua reuerſa caput,
Parua, ſed ingenti ſignauit vulnere frontem:
Et dubitans ſeruum lædere, læſit herum.
Quid ſcutum timidi galeamq; obtendimus hoſti?
Pro Galea propriam Verna habet iſte cutem.

XXXIII.

Cædes Theſſalonicenſis, peregrino etiam Mercatori luctuoſa.

Iam meritas dederat gladio plebs Theſſala pęnas,
Ciuilique ſatur ſanguine Cæſar erat:
Irato deerant ſed adhuc duo funera bello,
Quo ſeptem fuerant millia iuſſa peti.
Hic Pater, ecce, ſua comitatus Prole, petebat
Proſcripta ſocios hoſpes in Vrbe lares.
Illa tamen gemini vt ſubierunt mænia Nati,
Mænia ſenſerunt facta ſepulcra ſibi.
Sæuus enim hic vnam ſobolē rapit hoſtis, hic vnā;
Et Numeros, inquit, iam meus Enſis habet.
Inde trahens Natos, retrahens Pater inde: Quid (erras?
Me pete Miles, ait; me trahe, parce meis:
Largior an debet bullire è pectore ſanguis?
Largior in patrio pectore ſanguis erit.
Grādius an facta eſt addendū ad vulnera vulnus?
Vulnus in hoc iugulo grandius eſſe poteſt.
Dixit; & obiectis ferro ſimul obſtitit vlnis,
Et ſimul in cædem ſegnior hoſtis ijt.
Flectar, ait: ſobolem tu voce perire paterna
Alterutram; alterutram viuere voce iube.
Ille oculis vtramque legens, vtramque probauit;
Neutra minore Patris digna fauore fuit.
Parcite nunc illi; nunc, illi parcite clamat:
Illa poteſt meritò viuere: & illa poteſt. (quet;
Rurſus in hāc oculos, & in hāc, & vtramq; retor-
Rurſū oculi, quod ament prole in vtraq; vident.
Quid moror hāc, inquit, defendere? quid moror il-
Aequus in incerto pectore certat amor, (lam?
Et ſimul hāc tollo, ſimul hāc Pater abdico prolē:
Qua ſeruabo meam voce, necabo meam.
Hæc inter patrio defeſſus amore ſatelles,
Aequali ſobolem plectit vtramque manu.

Sic

Sic dum quæris, vtram tibi ſerues, perdis vtramq;
Vtque vtrique fores æquus, iniquus eras.

XXXIV.

De eadem, aliud.

Proſcriptam faciebat iter Mercator ad vrbem,
Hærebatq; pio turba gemella Patri:
Turba gemella pium ſed eò comitata parentem,
Venit in hoſtiles interitura manus.
Hic veniam natis genitor vitamque precatus,
In ſua mucrones ſtringere colla iubet.
Vertite tela Viri; ſceleris ſi quæritur Auctor,
Auctor ergo: Pueri nil nocuere mei.
Sperno preces partim, miles, partim audio, dixit
Dimidium voti, quo potiare, dabo:
Et geminis vnum, pater, elige fratribus. Vnus
E geminis nuſquam, qui legeretur, erat.
Hũc mihi legero, ait; perit ille: hunc legero; & ille;
O ſcelus: eſſe pium dum iube, eſſe vetat.

XXXV.

Iacobus Gretſerus S.I. ſacræ Antiquitatis ſolertiſſimus Vindex.

Tandem, Vincula, Carceremque paſſi
In ſerum redeunt diem libelli:
Digni Solibus Atticis libelli,
Squallebant laceri, manumque mutis
Poſcebant miſerabiles querelis.
Iam iam Blatta ruebat, & terendas
Audebat ſibi deſtinare chartas:
Iam iam ſordida noxijs parabat
Sacras rodere dentibus Camænas,
Patratumque foret ſcelus; nec vllo
Id quondam Lua diluiſſet æuo;
Ni magnus radio potente Phœbus

Gre-

Gretſerus properaſſet, à propinquo
Flentes funere liberare Muſas.
Quare libera rideat Vetuſtas,
Hoc ſub ſole meo eruditionis,
Blatti, pulueribuſque, vermibuſque
Nocti denique carcerique,doctos
Nil audere licebit in libellos.

XXXVI.

Didonis effigies; ex Græco.

Archetypum Tyriæ ſimulacrum cernis Elyſæ;
 Candida cæleſtis cui dedit ora nitor.
Talis & ipſa fui: ſed Mens non illa fuit, quàm
 Affinxit titulis fama pudenda meis.
Nunquàm viſa mihi Phrygij ſunt ora mariti,
 Nec meminere meam Troica bella fugam.
Sed Pudor, vt thalamis violentum arceret Iarbam
 Perculit ingenua pectora noſtra manu.
Cur placidum egiſtis mea Muſæ in dãna Maronē?
 Ille meos veſtra polluit Arte toros.

XXXVII.

De ſuis Epigrammatis, in niuea membrana deſcriptis; ad Lectorem.

Candida quod Niueis amicitur Muſa pruinis,
 Et nihil externi carta coloris habet;
Nec mea Parrhaſia laſciuit imagine pompa,
 Nec Timanthea ducitur Vmbra manu:
Nec Minio teg tur; Tyrio nec pingitur Oſtro
 Sed metus in toto carmine candor ineſt:
Da veniam, lector; chartæ dabis ipſe colorem;
 Cœperit aſpectu quando rubere tuo.

XXXVIII.

De ioco Timæi, quo incendium Epheſiæ Dianæ excuſauit.

In celebres ruerent Triuiæ cum fana fauillas,
Regia Nocturno fana cremata dolo:
Græcus Adulator, Quid cauſſam quæritis? inquit?
Cauſſa Diana ſuis ignibus ipſa fuit.
Magnus enim Macedũt ſatus illa nocte Tyrannus
Obſtetricantem iuſſi, adeſſe Deam.
Inde ſuis nequijt Diana a ſedibus abſens,
Sedibus admotas examinare faces,
Dixit; & applauſit dicenti Græcia. Tantus
Ingenuo calor eſt viſus ineſſe ioco.
Ne turgeſce tamen tam effuſo Græcule plauſu,
Nam ioca, crede mihi, ſera fuere nimis.
Quæ ſi dicta forent flammis durantibus; ipſas
Extinctura ſuo credo fuiſſe gelu.

XXXIX.

De Carmine Matthæi Raderi S.I. Præceptoris mei, abſentis.

Carmen nobile, cedria perunctum,
Raſum pumice carmen & politum;
Quod doctas Calamo Raderiano,
Cyrrhæis Aganippidas ſub Vmbris
Auſim dicere dictitaſſe Muſas:
Tali Threijcius Poeta quondam
Pantheras traheret tigreſque cantu,
Hoc rictus Libyce domaret Vrſæ,
Hoc Lynces prohiberet in repertam
Sæuis Vnguibus inuolare prædam,
Hoc pronas raperet ſonorus Ornos,
Et toto Nemus auocaret Hæmo.

Iam

Iam ſi quæreret ille grandiores
Vno Carmine commouere moles,
Iſto ſtrimonias ligaret Vndas,
Aut verti refugum iuberet Hebrum;
Iſto marmora, Caucaſique duras
Secum cogeret ambulare rupes:
Iſto mænia fabuloſa poſſet
Septenis iterum admonere portis.
Rem Monſtri ſimilem: Quid erubeſco
Verum dicere? Iam Radere ſontem,
Iam iam didicere me potes profanum:
Pantheras quia, ſæuientiumque
Vinco barbarus ora belluarum;
Vinco Memonias rigore tigres,
Vinco flumina; cæduoſque montes,
Vinco marmora, Caucaſique rupes,
Vinco mænia fabuloſa, vinco:
Cantus audio qui Raderianos
Ad nullos tamen ambulo Raderos,

XL.

Huſſius comburendos, ſe ſe Auſerem eſſe; & ex ſuo Cinere Cygnum naſciturum, affirmat.

Aſſyrias memorant Phœnicem animare fauillas,
Claudit odoratis cùm ſua fata Rogis.
Nã pretioſa Senem ſimul hauſit flãma Volucrẽ,
Mox nouus è flamma parturiente redit.
Pſittacus hanc mortẽ, Iouis hãc ſibi quæſijt ales;
Nec tamen hac felix ille, nec ille fuit.
Talia nunc Anſer ſibi funera deſtinat; ire
Dum Reus vltores cogitur in Cineres.
Me rediuiuus, ait, naſcetur ab Anſere Cygnus:
Fæcunduſque meo funere puluis, erit.
Vritur inde Senex flammis ſtridentibus Anſer;
Et ſatus ex illo funere Coruus ijt;

De-

Deterior Soboles ipſo Patre. Falleris ignis,
Quid dũ Monſtra cupis tollere, Monſtra paris?

XLI.

De Morte Matthæi diuitis Heretici.

Matthæus fatente Nepos è fece Lutheri,
Cui prope Cræſea ditior arca fuit:
Fatali cùm membra toro moribunda rotaret,
Frigeretq; ſuas iam ſitis ante fores:
Atra domũ Nebula,& Nox in tempeſta tegebat,
Nec via, qua fugiens ſpiritus iret, erat;
Emerſere proin vicino è limine flammæ,
Hauſeruntque tribus proxima tecta rogis.
Admirata nouos vicinia flebilis ignes;
Hæc, ait, è nullo fulmine flamma venit:
Nec per Nocturnam creuere incendia fraudem;
Quænam igitur cauſa his ignibus eſſe poteſt?
Vna poteſt: Matthæus ea reperire lucerna,
Ad Lethea ſuam debuit antra Viam.

XLII.

In malum poema, picturis vulgaribus incluſum.

Defuit ingenium Vati: Sucurrere Pictor
Debuit, & chartas Arte iuuare Color.
Si neque ſic Vates poterit, Pictorque placere;
Quærendus Chartis denique Tinctor erit.

XLIII.

In Lubinum, ſpurcæ Poeſios Propugnatorem.

Roma vetus Calamos Chartaſq;Cupidinis õnes,
Vſque Tomitanos iuſſerat ire ſinuus;
Nunc iterum Spurcæ rediuiua volumina Muſæ.
Sanctior in Cineres Roma migrare iubet.
Audit,

Audit,&,ò fontes,Lubinus clamat,& imbres,
Plectite Romanos vindice rore focos:
Cum Nudo Vates Naſone crematur Aquinas;
Igne perit, quicquid Nomen Amoris habet.
Ferte citi Lymphas; date libris flumina: toto
Tibris inhumanos obruat Amne rogos.
Sed Tiberina ſuos Oranti denegat imbres;
Et negat Vnda ſuos Martia; Virgo ſuos.
Quid Lubinus agat? Iam fumus pergit, & ignis,
Dum miſer vſq; pigram clamat & vrget Aquã.
Serum,ait,his flammis alienas poſcere lymphas;
Dixit; & ex oculis proprius imber ijt.

XLIV.

Ad Chriſtophorum,inſignem Amicum.

Magnus Robore miles & lacerto,
Cùm vaſtum pedes (vt ferunt) frequenter
Sicco poplite permeaſſet æquor,
Et Chriſtum (licet inſcius) per altas
Subiectis humeris tuliſſet Vndas,
Cœpit Chriſtophorus dein vocari.
Tu, qui fers humeris tuis Iacobum,
Illum,illum,inquio, peſſimum Iacobum;
Qui tot tædia,ponderumque tanta
Ceruices iacit in tuas talenta,
Et maiora tibi,& moleſtiora
Semper congerit,ingeritque ſemper
Illum, illum, quia ſuſtines Iacobum,
Et fers tam patienter, & libenter,
An Iacobophorus cupis vocari?

XLV.

In Hermem, mendaciſſimum Scriptorem.

Lingua ter antiquos cùm mendax falleret Indos
Tertiaque infami ſolueret ora dolo;

Iuſſa fuit Samio taciturna ſeneſcere ritu,
Et clauſis vitam ducere multa labris,
Non eadẽ eſt Calamis nunc lex mendacib Herma;
Hinc etiam Quatuor ſcribere Verba potes.

XLVI.

Turpitudo Hareſiôs Caluini.

Tænario viden'vt facies emergat ab antro:
Vt nocuo attonitum nubilet ore diem?
Multa per euulſos laſciuit Vipera crines,
Perque manus errat vipera, per que ſinus.
Lerneoque acies ſua tela triſculcat hiatu,
Fœtaq; liuentes efferat Hydra iubas.
Cantaber vltorem ſpargit tamen obuius ignem,
Et Caluam Heſperio fulmine terret Anum.
Quid Vetulam terres oſtenſo fulmine? Viſo
Terreri ſpeculo rectius illa poteſt.

XLVII.

B. Agatha feſtus dies, Henrico Illuſtriſſimo Principi Natalis.

Lactea crudelis cur amputat vbera forceps?
Virgineoque cadit lecta papilla ſinu?
Iudicis ira iubet; ſed iniqui Iudicis ira,
Vbera cui nunquam præbuit vlla Parens;
Cui ſua Nutrices admorunt vbere tigres.
Sæuior aut vicit bellua ſiqua tigres.
Non tamen inſonti ſons obfuit ira: ſed illi
Reddita cœleſti ſorte papilla fuit.
Miratus ſum ſæpe foret quæ cauſſa; quod iſto,
Vbera erant Agathæ tota repenſa die?
At genitum poſt quàm tali te luce videbam,
Henrice, ò Patriæ fama futura tua.
Mirari porro nequij: Modò cognita cauſſa eſt;
Debita erat Cunis illa Mamilla tuis.

XLVIII.

In Calumniatorem Anonymum.

Qui fanum Triuiæ funeſta nobile flamma,
Laudatuſque Aſiæ ſcurra cremauit opes,
Non iræ ſtudio,ſed famæ captus amore
A magno voluit Nomen habere rogo.
At ſtolidum vindex vt Grecia plecteret, illud
Immemori iuſſit Nomen ab Ore premi.
Tu paribus diuina cremas humanaque flammis,
Qui ſacrà Tartareo iura furore trahis,
Flammiuomos pandit tibi ſueta Kalumnia rictus,
Infeſtoque omnes rodere dente iubet.
Fallor,an è tali quæris tibi crimine Nomen?
Non faciam tibi, quod Græcia fecit: Habe.

XLIX.

Cades miſerabilis inter amiciſſimos fratres per ſomnum facta.

Vna duobus erat ſopitis fratribus Vmbra,
Atq; inter fratres Mens erat vna duos.
Hic illum Pyladen,hunc ille vocabat Oreſten
Ille ſuum meritus Nomen,& ille ſuum.
Clauſerat Vnanimi hic atq; hic ſua lumina ſõno,
Sperare Vnanimem iuſſus vterque diem.
At cœpere ſtatim temeraria ludere mentem
Somnia; Nocturnis ingenioſa dolis.
Nam proprior Morpheus,adſiſtere viſus Oreſti,
Credula mentito terruit Ora metu.
Sæpe ferox illi minitatus Vulnera;ſæpe
Tela cruentatam per repetita Necem.
Non tulit hanc Iuuenis(placidæ licet indolis)iram
Sed rapit ignara ſeria tela manu.
Inde minas,& tela minis alterna reponit,
Verſaque ludicro vulnera terga notat.
Victa proin' capit Vmbra fugam.Sed victa ferocẽ
Infami Iuuenem decipit Vmbra fuga.

Inſtat enim ,ſequiturq; ferox: dum deniq: pulſa
Inter contiguos abditur Vmbra toros.
His Pylades inerat, gemini pars altera fratris;
Quem malè ſecurum iuſſerat eſſe ſopor.
Viſus hic hoſtis erat, teloq: errante petitus,
Quaq: petitus erat parte, peremptus erat,
Suerunt ipſi hoſtes iram deponere ſomno:
Iraſci fratres cur male ſomne doces?

L.

Votum Pauperum pro Gulielmo liberaliſſimo Sene.

Cana licet placidi ſe prodat Verticis ætas,
Et Pyla monſtrent tempora picta niues.
Sola tamen lentæ Manus eſt ignara Senectæ;
Laſſarique dato munere dextra nequit.
Viue tibi Gulielme, (precor Plebs indiga) viue:
Aut tibi ſi renuis viuere, viue mihi.

LI.

In Hæreticum mendacem, Societatis criminatorem.

Auſonia ſcripſit, Batauaque volumina lingua,
Cùm mores cupijt ſcurra notare meos.
Ac ne quem fugeret,linguæ eſſe vtriuſq: peritum,
Auctori Lector quiſq. monendus erat.
Quare in fronte libri docet ipſe Librū eſſe bilin-
Dicere quod Lector debuit,Auctor ait. (guē.

LII.

Ad optimum Amicum.

Offendam licet vſq: & vſq: & vſque,
Et pœnas Tityique, Siſyphique
Et plauſtrum merear piaculorum:
Pœnas nec tamen indis has nec illas,
Pœnas heu meritas & has & illas:

Sed

Sed pacatior ipſe leniori]
Pergis crimina vindicare mulcta,
Et parcis mihi plura ſæpiuſque,
Et donas bona plura crebriuſque,
Quàm ſi nunquam ego puniendus eſſem,
O qualis modus iſte vindicandi eſt:
Non punit modus iſte vindicandi
Multo ſanguine, ſed rubore multo.

LIII.

In Fauſtinum ſpurciſſimum interpretem.

Quicquid labdacidæ peccant Conubia: quicquid
Nouit Agenoreo rapta puella ſinu.
Quicquid Aquinates formidant carpere morſus,
Quicquid Pelignis dicere Naſo timet:
Prodit, & infami Fauſtinus margine vulgat,
Et quos Fauſtino non pudet eſſe pares.
Orgia ſola probant, & Operta; & ſacra Cotyttùs,
Et quæcumq: vetus luſtra December habet,
Dedoceas Veteres ſi laſciuire Poetas,
Eſt Rhadamanteo pœna luenda foro.
Præteſtata loqui niſi fuerit charta latinè,
Charta Ixionijs eſt laceranda rotis.
Iulia quæ prohibet, quæ lex Scatinia plectit,
Sola putant calamis non aliena ſuis.
Parce verecundo tandem Fauſtine rubori,
Et noli nobis ſcribere quicquid agis.

LIV.

De Apiculis ab Aranea interceptis.

Melllegas felix onerarat præda Volucres
Trinacrio paſſim præda petita thymo;
Iamq: fatigatas redolente pondere, nota
Ad ſolitos iuſſit lex reuolare lares:

Pendula telarum cùm rete tenderat ingens,
  Quod de viſceribus nerat Arachna ſuis.
Inſidiaſq; locans Apibus: euolantibus, illas
  Cepit, & hærentes exanimauit Apes,
Quas gula delicias affectat? Aranea Muſcas
  Nauſeat; Hybleas iam quoq; poſcit Aues.

LV.

Anaſtaſius Synaita, è Græco in Latinum verſus.

Argolico quondam vulgatam ſcripta Cothurno,
  Hæreſis Argolicos cùm violaſſet Auos:
Hunc Voces etiam didici formare Latinas.
  Impietas Latio dum rotat Ora ſono.
Si noua Lingua meo toties diſcenda Libello eſt,
  Crimina cùm Linguas addidicere nouas.
Deſinite ò plures mala Sæcula diſcere Linguas,
  Plus ſatis eſt Linguas iam didiciſſe Duas.

LVI.

Epitaphium carmen, in funere Rabi ſeu Corui, deſertoris Monachi.

Occidit infelix Caperatæ Rabula gentis
  Corbus, ab effoſa non bene tectus humo:
Qui ſacra ferali temerare ſilentia Cantu
  Auſus in infernas præcipitauit aquas.
Ite nigræ volucres, meritos intendite luctus,
  Cum Coruo veſtri pars quoq; magna perit.
Inferias Coruo da Corue, rotaq; relicta
  Ad Cognata tuus funera queſtus eat,
Et quoniam ſtygijs animum reuocare cauernis
  Non potes; hoc facias quos potes, Oſſa legas.

In

LVII.

In Lerneum publicum Calumniatorem.

Mõſtrũ horrẽdũ, informe, ingẽs, puto dixerat olĩ
Laudabat formam qui, Polypheme, tuam
Vatibus hæc Priſcis licuit ſibi fingere Monſtra,
Noſtris nulla licet fingere; Vera vident.
Aſpice Lerneum: Monſtro ſpectabis in vno,
Lerneas quicquid ſibilat inter Aquas.
Mille per exſertam diſpergit Toxica linguam;
Et quo plura vomit Toxica, plura coquit.
Liuet & afflatu funeſto quæque venenat.
Et cùm feſſa nequit lingua, nocere, cupit,
Fallimur, enectam qui Lernæ credimus Hydram:
Tu Lernee vetas credere, viuis adhuc.

LVIII.

Iacobo Cognomini Poetæ, votum Natale.

O & Caſtaliæ Sitior Vndæ,
Et Largæ Bibo creber Hippocrenæ;
Natales age Iulios, diemque
Nunc & Menſibus antepone, & Annis,
Quo naſci tibi contigit, Iacobe;
Et Curas iube ab eſſe; tetricaſq;
Omnes ex Animo repelle Nubes:
Ludant Gaudia ſola, & Ambulanti
Occurrant ea ſemper, & Sedenti
Adſint Aonides, iuuentq; terſo
Carmen nobile parturire verſu:
Carmen, quale ſoles iocante nutus
Tunc effundere, non times ſuaui
Cùm contendere lætior Catullo;
Aut cum Bilbilin; aut Tagi ſonoros
Certas vincere grandior Cothurnos,
Tali Carmine lude nunc; & iſtum

Quo naſci tibi contigit, futuris
Menſem Menſibus antepone, & Annis;
Herodes licet impiam ſecurim
In magnum paret impius Iacobum
Et vecors odio laboret Vnum
Menſi tollere Iulio Iacobum;
Dum tu naſceris, alterum alterumque
Audit viuere Iulio Iacobum.

LIX.

De funere Philippi Catholici Regis.

Terrarum dominum lugebat Terra Philippum;
Cùm Patria exanimem fleret Ibera Patrem.
Quam ſimul aſſiduo tundentem pectora planctis,
Talia cum planctu dicta dediſſe ferunt;
Plurima cùm poſſes vtrumq; Philippe, per orbem
Plus tamen vt poſſes vouit vterque tibi.
Sed poſt quàm letho te poſſe occumbere vidit,
Orbis te cupijt poſſe, Philippe, minus.

LX.

Votum Pauperum pro Eliſabetha, liberaliſſima Principe.

Quicquid turba ſuæ ieiuna vouebat Eliſæ;
Prodiga cùm ſaturas ferret Eliſa dapes;
Aut inopum texta prohiberet frigora lana,
Aut vacuos largo paſceret ære ſinus:
Aut mendica mero perfunderet ora falerno,
Spargeret aut totum corpora in ægra penum;
Pauper idem tibi turba præcor. Nã quicquid Eliſa
Illa ſuis dederat; das & Eliſa mihi.

LXI.

Zvvinglius iurat, ſuam ſe doctrinam per ſomnium didiciſſe.

Dormijt Aſcræus Parnaſſi inculmine Paſtor,
Et ſubitum Vatem iuſſit abire Sopor.
Alter in Helueticis vbi cautibus obdormiuit,
Continuò Vatem fertilis Vmbra tulit.
Zvvinglius ille fuit. Qui dum Vigil angitur olim,
Vulgatum populo qua probet Arte ſcelus:
Deſperat Vigilans; Somnũ ergo conſulit: & mox
Doctorem ex voto ſomnus, & vmbra dedit.
Vellit enim auriculam ſopito Larua; ſed illa
Sciri quæ fuerit, Candida an Atra, nequit
Illa repentè Viros curas exhaurit inanes,
Omniaque vnum illum ſcire Magiſtra iubet.
Zvvinglius inde Vigil ſcijt omnia; qualia nemo
Nec Vigilans docuit, nec Vigilans didicit.
Lætior ergo ſuos inuiſit manè tribules.
Quæque illa potuit diſcere nocte, docet.
Vtque probet certa eſſe, eſſe omnia ſomnia iurat;
Somnia ne iura; credimus; eſse nega.

LXII.

S. Sophia, Fidei, Spei, Charitatis Mater.

Tres peperi obſtetrice parens Virtute puellas;
Vna puella fuit Spes; fuit vna Fides.
Tertia legitimi tulit æmula nomen Amoris,
Nec tria caſsa ſuis nomina rebus erant.
Denique Virtutes peperi, quot pignora. Solum
Debuerat partus crebrior eſse mihi.

LXIII.

In Medicum hæreſi Caluiniana furioſum.

Neſcio quis Medicum furor incurabilis armet?
Inque nouam rabiem triſtis Erinnys agat?

Viſcera ſi nocua tumuiſſent læſa Rubeta,
Te poſſet medicas Pſylle, rogare manus.
Nũc date, ſi qua liquãt meliores germina ſuccus,
Si qua peregrinas inſula ſudat opes;
Dicite, ſi quid habet Natura potentius: iſte
Sanari trita non ſolet Arte furor.
Non huic Veratri prodeſt vis vlla cerebro,
Euacuet totas iam licet Anticyras.
Et iuxtà ſerum eſt, mediam pertundere venam;
Nõ vna hunc morbum vena, ſed omnis habet.
Quid faciam? dices, furor eſt à ſanguine toto.
Cauſſa igitur morbo Tota adimenda tuo eſt.

LXIV.

In Chryſopoeum impoſtorem.

Sidera ſeptenis præſunt ſeptena fodinis,
Contentus venena quiſque Planeta ſua,
Nobile ſub terris generat Sol igneus Aurum,
Argentumq; recens frigida Luna parit;
Martius abſtruſis Ferrum erro meatibus infert;
Plumbea Saturnus creſcere dona iubet.
Progenerat Stannum Saturni maximus Hæres,
Succina Mercurius percoquit, Aera Venus,
Octaui nuper fornabula prodijt Aſtri,
Aurea quæ facili felle metalla liquat.
Sæpe fluunt ſimul inde Auri duo magna talenta,
Sæpe tria, interdum quattuor inde fluunt.
Vidiſtin' tu illis fluere, inquies, ab ignibus Aurũ?
Non: Quia cùm vellem cernere, Fumus erat.

LXV.

Ad Eyſtadium duobus Tutelaribus clarum.

Eyſtadi nemus, ò nemus; beatis
Cœli Ciuibus inclytum; & gemellis

Tute-

Tutelaribus olim amatum. In illo
Tu ſacra Vvilibalde eum tiara; &
Tu ſacrum Soror æmulata fratrem
Vvalpurga incolis. Alterum inquilini
Patrem agnoſcite Ciuium: alteramque,
Vos quotquot thalamoſq; nuptiaſq;
Chriſto cedere Virgini iubetis,
Matrem agnoſcite virginum, ò vtroque
Felices nimis incolas parente?
At qui nunc itidem iſtud inquilini
Tantorum colitis nemus parentum,
Et colles nemoris, cauaſq: valles,
Sic vos viuite, ſint ſuis vt ambo
Felices etiam incolis parentes.

LXVI.

Eques nobilis poſt orbem peragratum domi ſua mortuus.

Quid mihi, Nile, tuas tranſmittere profuit Vndas?
 Vltraq: extremos Perſidis ire ſinus?
Quid Syriam, & campos Solymæ vidiſſe ruinas?
 Omnia quæ vidi, me docuere mori.
Fracta ſua mõſtrãt Babylonia marmora clades,
 Et ſua contritus fata Coloſſus habet.
Pyramis aerias feriat licet ardua Nubes,
 Ipſa tamen tumulum ſe videt eſſe ſibi.
Ipſe redux, vitam patriæ inter limina perdo;
 Et quæſita foris Parca, reperta domi eſt.
Vanum erat hoc tantis terrarũ ambagibus vnum
 Diſcere: Momento patria me docuit.

LXVII.

De Bauij deſperata inſania.

Turbaſſent Bauium cùm tetrica ſomnia quæri
 Pæoniam ex templo iuſſit Anhelus opem.

Conuenere Viri, Podalyria turba; Galenus,
Clinicus Herodes, Symmacus, Hippocrates,
Solliciti frontemq; manu, venamq: retentant;
Sed neq: frons illis, ſed neq; vena placet.
Ite citi, vnanimes conclamant, ite: liquores
Si quid habent; herbæ, quærite, ſi quid habent.
Continuò properatur. Adeſt Aeſclepius humor,
Lectaq: in Heſperijs herba Cacuminibus:
Ignotæ veniunt peregrino à littore vires.
Intima ab Hyblæo flore medulla venit.
Quid memorē: Bauio dū mentē reddere quęrunt,
Nil reliquum Chiron, nil tibi Coſme facis,
Siccauit veteres ſananda inſania Baias,
Anxuris epoto vanuit Vnda lacu,
Anticyram exhauſit validi vis improba morbi,
Inſulaq; abſumpto languit Helleboro.
Falleris, & fruſtra toties Medicina laboras:
Vis mentem Bauio reddere; danda fuit.

LXVIII.

In Linum inſignem Veteratorem.

Commentis ſolitus Tarpeiam ducere Plebem,
Et vafra conſutis ora mouere dolis,
Iuſſus ab irato dependere Cæſare pœnam eſt,
Vanaq: vindicibus dicta piare rogis:
Et titulum præferre necis. Qui vendere fumos
Sueuit, eum in fumos Cæſar abire lubet.
Si tali ſibi ducta foret ſub Cæſare vita,
Quantus iampridem tu, Line, fumus eras?

LXIX.

Ad Pictorem, qui menſa muliebri vinum appinxit.

Depingis geminam duplici cū Sigmate menſam,
Inde tuæ menſam Coniugis, inde tuam,

Sed Cyathis tua menſa caret; Muliebris abūdat:
An tua te, pictor, pingere menſa docet?

LXX.

In Pictorem imperitum.

Iuſſus erat Vernæ gemmantia tempora Floræ,
Pictor, & æſtiuæ pingere rura plagæ.
Pinxit Anam medios, & flores inter & hortos
Ex æſtate mihi facta videtur Hiems.

LXXI.

Menſis October, cum inſignibus, pictus à paupere Pictore.

Vitiferā prædatur humum, Baccumq: triumphat,
Ebriaq: in prælo prælia Menſis habet.
Sed ſitit in madida Pictor ſicciſſimus arte:
Iam, puto, picturis inuidet ille ſuis.

LXXII.

Græcis Adramyttenis, Petrus Latinus Epiſcopus præficitur.

Quà quondam vberibus læta inter Gargara pratis
Ire Saginatas Græcia vidit Oues,
Illac arentes hodie ſterileſcere Campos,
Et fætam lolijs ſurgere cernit humum.
Non veteres ea Terra greges; non oſtia Caulæ
Tuta peregrinis cernit ab inſidijs.
At Romana gregem videt inter paſcua tutum
Eminus, & nullis peruium Ouile feris.
Ah? quantū eſt diſcrimen?ait: Raptoribus omnis
Ecce meus patuit grex perijtq: ludis.
Auſonius ſed nulla timet, grex damna rapinæ.
An qua Paſtorem grex habet ille Petrum?
Petrum habet, ò tali duce paſcua læta; iubeto,
Talem etiam gregibus, Chriſte præeſſe meis.

Audijt optantem Deus;& quo tutior eſſet
 Græcia, Iam Petrum tu quoque, dixit, habe.
Hic Paſtore prpin'quia gaudet Græcia Petro,
 Altera iam fieri tu quoque Roma potes.

LXXIII.

De Heliotropio, ſolari flore.

Flos ego, Pæſtani non vltima gloria prati,
 Et Corcyreo regulus in nemore,
Nomen ab Agnato Phębi traho ſidere; præ quo
 Narciſſi nollem nomen ineſſe mihi
Illud ego comitor, nullo tamen impete, ſidus,
 Cęlumque obtutu metior omne meo.
Nunquam Memnonio ſine me eluctatur ab Ortu
 Nec ſubit Occiduus me ſine Phębus aquas.
Dum tamen illius paſſus ſine paſſibus æquo,
 Nunquam è Natali pes mihi cedit humo.
Quod niſi Terra pedes pedicis includeret; olim
 Stellatos traheret totus ad vſque choros.
Sublimi Curſum quid Solis in æthere quærunt
 Aſtrologi ? hic humili in flore videre queunt.

LXXIV.

Ad Martinum ſacra Antiquitatis ſedulum Aſſertorem.

Si qua Prometheæ viuunt monimenta Senectæ,
 Si qua latent ſera ſcruta refoſſa manu:
Si quis adhuc Baculus, veterũue Cucurbita reſtat,
 Aut aliquod Senij littera Nomen habet,
Quæritur, & Libycis hodie contenditur aruis,
 Atque Corinthiaco iam magis ære placet.
Non ita captatur Phryxæi lana Draconis,
 Non ita de Perſis eruta præda iugis
Iſt a profanatas ſequitur ſi gloria Tricas,
 Et prodeſt Apinis vana ſenecta ſuis:

Cç

Cęlèſtes ſtudio meliore inquirere chartas:
Et ſacra maiorem poſtuma habere libet.
Tu Martine, locis illa omnibus omnia dudum
Siue iubes Orbi reddere, ſiue iuuas.
Nam veneranda tibi ſtudium eſt gentile vetuſtas
Viſque tuis ſimiles moribus eſſe libros.
Sic tu de Priſcis, &. de te Priſca merentur;
Et quia priſca legis facta, legenda facis.

LXXV.

De Caupone Lugdunenſi.

Vina Falerna dolo vitiarat Caupo, meracos
Lymphato ſolitus fonte rigare cados.
Hoc ſtudio corraſit opes; quibus omnibus illi
Penſilis è collo farta Crumena fuit.
Fortè ſui ſecurus iter carpebat hic, vndis
Gallus vbi patrijs littora lambit Arar:
Cum prædatori conſpecta Crumena volucri,
Maturæ viſa eſt eſca futura fami.
Miluius ergo ruens properati fulminis inſtar
Vnde graues loculos inſidianter apit.
Sublimiſque iterum rapta citus auolat eſca,
Oraque in erepta tentat adunca dape.
Reſtitit indomitum roſtris luctantibus aurum,
Vncatoſque tenax luſit aluta pedes.
Ergo iterum roſtro loculos, iterū vngue retentat;
Atque iterum roſtro nil agit, vngue nihil.
Quare onus omne fami dum ſentit inutile, roſtro
Impatiens totum vindice damnat onus.
Iratoque grauem dimittit ab vngue crumenam,
Et medijs pondus nobile mergit aquis.
Iuris amans Auis iſta fuit: Nam Iudice Miluo
Quas Vndæ dederant, Vnda recepit opes.

LXXVI.

De Voluptate profana.

Turba Meduſæi capitis ſpeculata Chelydros,
Pænas aſpecto Gorgonis ore dedit;
Nam ſimul ac formæ deformia viderat Ora,
Amiſit formæ quilibet Ora ſuæ.
Cernis, vt exangues ibi tollant Marmora vultus?
Tendat & exanimes muta figura manus?
Ante homines fuerant; nunc in mera ſaxa Meduſę
Aſpectis homines diriguere comis.
Terra, voluptatis mala quid mihi gaudia ſuades?
Creditur illa oculis eſſe Meduſa meis.
Si ſpectaro, Silex ſpectata reddar ab illa;
Ne Silicem me ergo reddat, ero ante Silex.

LXXVII.

In Iudam, malum Mercatorem.

Impius inſontem quo vendidit ære Magiſtrum
Hoc laqueum Iudas quæſijt ære ſibi.
Si ſperare lucrum Mercator ſtulte volebas.
Vendendus laqueus, Chriſtus emendus erat.

LXXVIII.

Ad Militem, Chriſto laqueum inijcientem.

Quid laqueum properas alieno imponere collo?
Seruandum neſcis eſſe monile tuo?

LXXIX.

Ad Academiam Herbipolenſem, Cum Dilingana concordem.

Muſarum domus, & Politorum
Sedes nobilis artium: Iuuentam.

Quæ

Quæ fræno regis; atque Apollinari
Ornas belligeros honore Francos:
Seu dici titulo latiniori
Artaunum cupis,& vetuſtiori;
Seu,(quod gratius eſſe ſuſpicamur)
Mauis Herbipolis recente vocis
Mutatæ titulo vocari: Adeſto,
Atque à Collibus vuidis amœni
Vultum auertere ne grauare Mœni
Grato lumine paullulum Sueui
Donec littora peruageris Iſtri.
Illic Aonidum ſimillimarum
Sedes altera viſitur Sororum:
Sedes altera, quæ pari Iuuentam
Hinc freno regit: hinc noua vetuſtos
Pergit cingere Laurea Sueuos.
Parnaſſi modò duplicem licebit
Montis dicere Verticem; nec illam
Partem cedere Libero, nec illam
Dum concordibus illa & illa votis,
Vni ſeruit Apollini, ſed illi
Vni ſeruit Apollini; impudicis
Qui pro moribus imperat pudicos:
Et per Pierios de hinc Canales
Inceſtas prohibet meare Lymphas.
Hæc Francos decet, hæc decet Sueuos
Muſarum domus vtraque; alterumque
Sedes altera diligit Lyceum:
Dum Phæbus meliorque ſanctiorque
Muſarum chorus, & Minerua, vtroque
Concordes dominantur in Lyceo,

LXXX.

Ad Andream, ſingularem Amicum.

Chriſtus vbi Andream Galilæo in littore vidit
Squammigeros inter pandere Lina greges;
Pro-

Protinus aſsuetis exſcendere juſſit ab Vndis,
Et noua Cęleſti ſub duce ſigna ſequi.
Audijt Andreas; piſceſque repente rateſque
Et faſtiditæ Lina reliquit Aquæ.
Tu contrà, neque lina prius, neq; flumina noras,
Ac nullas prius es ſuetus habere rates;
Sed ſimul in Chriſti veſtigia iuſſus es ire,
Totus amas piſces, flumina, lina, rates.
Ergo vel Andreas mihi deſine porro vocari;
Vel certè Andreæ lina relinque mihi.

LXXXI.

In funere liberaliſſimi Principis.

Sæua barbaries cruenta Parcæ
Nunquam Vulnere tot peremit vno:
Nam quo vulnere Principem petiuit,
Omnes barbara pauperes peremit.

LXXXII.

In Lithum Caluiniſtam, ſtomachantem, contra triplicem Hoſtiam, in Boica monſtrari ſolitam.

Dum ſacra Boiarij panduntur Lipſana montis,
Pandit ter geminos Hoſtia trina ſinus,
Tot mihi cùm piſtæ demonſtret liba farinę,
Cur non & Calices Boica monſtrat? ais
Ne Lithe quære; Timet. Nã quos mõſtrare parabat,
Dum Mercatorem te putat eſſe, tegit.

LXXXIII.

De Conradi Imperatoris expeditione pro Cruce recuperanda.

Conradus diadema, regioſque
Tantiſper iubet exulare faſces,
Et ſceptrum procul ire feriatum,

Dum.

Dum magno pietatis actus æſtu
Per terras ruit inuias, ferumque
Totis Nerea claſſibus fatigat.
Dixiſſes Libycas peti rapinas,
Aut è Memnonijs ſuperba piędis
In Noſtros redigi metalla cenſus
Aut dites Aſiæ erui fodinas:
Crux tantis petitur ſed vna curis.
Vt quam purpura Cæſarumque faſtus
Condemnauerat antè, nunc adoret.
Sæcli incommoda Commodi, Nerones
Et Flaui furor, & vltimi, & flagella
Periuri rediuiua Iuliani,
Inſanite; ſuum poteſt Tyrannis
Crux opponere Cæſarem; redite.

LXXXIV.

De Godefrido, primo Hieroſolimorum Rege.

Hic eſt ille Syri domitor Tullingus Orontis,
Primus Idumæas qui reparauit opes.
Seſtiacæ primus traiecit Boſphoron vndæ,
Ferret in Abdaridas victor vt arma duces,
Non illum Phariæ ſtimularunt iugera glebæ,
Non illum Tyrij barbara præda freti.
Sed Solymæ turbata quies, æuumque ſepulcri
Lugubræ, & amiſſæ trabs inhonora Crucis.
Mox reſerauit vbi iuſto ſacra limina bello,
Ah quoties fuſis limina lauit aquis?
Ah quoties inopem ditauit prodigus Aram:
Et trepido captam poplite preſſit humum?
Quod meruit primus, primus diadema refugit,
Nec tetigit iuſſa ſceptra recepta manu.
Grande putent alij diademata quærere Reges;
Grandius, in Regno ſpernere Regna fuit.

LXXXV.

De Manu liberali diuitis defuncti.

Expenſis redimi ſi poſſent funera numis,
Par erat hac redimi funera poſſe manu.
Argenti tam larga fuit manus; vnicè vt illas
Duceret eſſe ſuas, quas tribuiſſet, opes.
Et tamen hanc inflexa manum mors abſtulit orbi
Cęleſtęſque illam iuſſit habere plagas,
Hoc placet, ò Superi: fit mors inflexa, precamur:
Si flecti vellet, ſæuior illa foret.

LXXXVI.

Tumulus Cauſidici celebris.

Qui legum famoſus eram, Iuriſque peritus:
Cauſidico gnarus tollere bella foro:
In modica iubeor longùm requieſcere tumba.
Heu, lingue, heu famæ flebilis Vmbra meæ.
Nil prodeſt didiciſſe alias componere Lites:
Nil veteri Leges condere iure nouas.
Intendit Mors lege ſua mihi denique Litem,
Hei mihi: cur vnam hanc ſoluere non didici?

LXXXVII.

De Friderici Ænobarbi interitu.

Cum Sueuas traheret Fridericus ad æquora turmas,
Cui rubra cognomẽ nobile barba dabat;
Territa tota ſibi diffidere cęperat Eos,
Inque ſuis nuſquam credere Aſyla iugis.
Iam veterẽ Pharos, & Babylonia mænia faſtum
Ponere, & imbelles tendere Bactra manus,
Chriſtiadum contrà ſibi viſa reſurgere plebes,
Certa ſalutiferam vi reparare Crucem,
Nec decepta foret, niſi ahenam barbara barbam
Vidiſſet propera Turba perire Nece,

Vn-

Vnda fuit, gelido quæ Cydni fluxerat alueo,
Iam dudum in magnos vnda maligna duces;
Obfuit illa olim Pellæo (vt fertur) Alumno,
Membra ibi cui ſubito diriguere gelu.
Nunc idem peperit Friderico funera Cydnus,
Obruit incautis quem Violentus aquis.
Parcere debuerat Friderico Cydnus eunti,
Sat citò merſiſſet,cùm rediturus erat.

LXXXVIII.

Ad Richardum Regem Anglorum, Palaſtinam ducentem.

Bella paras Syrijs longinqua Richarde tyrannis
Vt captam plebes aſſerat Angla Crucem.
O ſecla ò mores ſobolesque parentibus impar:
Nunc plebs aſſertas diruit Angla Cruces.
Parcius illa Syrras irritant ſigna cohortes,
Hebræaſque mouent parcius illa manus.
Ira Britanna Crucem ferro rapit,& trahit vnco,
Infamique petit noſtra trophæa ioco.
Et ne qua exemplis inſania barbara deſit,
Sacrilego ſacram damnat in igne trabem.
Parce Richarde Crucem Syriæ ſubducere:ſalua,
Hic erat,in Regno nunc perit illa tuo.

LXXXIX.

Ad Pictorem; de Epigramatis in pura candidaque charta deſcriptis.

Miraris nullos in verſibus eſſe colores
Pictor: Et in niueo carmina nuda ſolo:
Cauſſa tua eſt.Siquidem Minio qui vellet Apelles
Carmina gratuito pingere nullus erat.
Zeuxida quærebam; fugiebat carmina Zeuxis,
Parrhaſium voluit; Noluit ille tamen.
Artificum quare cum Vatem nemo iuuaret,
Auxilium Vati denique fullo tulit.

De

XC.

De Epigrammatis meis in alba charta deſcriptis, iuxta aliena colorata.

Albet pagina, candideque velant
Noſtri Carminis aream pruinæ;
Nam Vicinia purpurata totas
Pictorum vacuauit vt tabernas;
Ex omni numero omnium colorum,
Duntaxat mihi Candidum reliquit.

XCI.

De iiſdem.

Dum crebri ſimul hinc,& hinc Poetæ
Depictis Epigrammatum trophæis
Alter vincat vt alterum,laborant;
Quæris,cur mea Muſa nolit vllos
Fronti figere ſimplici colores?
Sed ſola Niue, candidoque totum
Malit claudere carmen Vmbilico?
Dicam. In Pieriæ foro iuuentæ
Carmen debuit eſſe Candidatum.

XCII.

De Fulcone, Rege Hieroſolymorum, equi lapſu occiſo.

Tertius Eoi Fulco diadematis hæres,
Et, mea ſi numerem prælia,primus eram.
Arma rotare Viros docui, docui agmina magnos
Pro Cruce ſeruanda centuriare duces,
Ac niſi regna forent patrio mihi robore parta,
Regna forent eadem robore parta meo.
Sed dum lætus equo curiſque ſolutus oberro,
Ipſe meo victor denique vincor equo.
Veſtra quid ò Reges fore funera lenta putatis?
Vt properaret,Equo mors mea vecta fuit.

De

XCIII.

De S. Ludouico, Rege Gallorum.

Inter Idumeæ Ludouicus damna, potitas
Vt Cruce barbaricas audijt eſſe manus:
Liligeri abijciens inhonora cacumina ſerti,
Et trabeam, & Tyrio vellera pota cado,
Quid pæſtana iuuent mea me violaria? dixit,
Quid mea gemmato nobilis Aula tholo?
In miſeris ſquallet ſi Crux mea ſordibus; inter
Eoas vertex dum meus ardet opes?
I nitor; i Regum decus, i graue dedecus Aurum;
Nunc alio cultu Regia veſtis eget.
Ite Palatini laquearia gemmea tecti,
Tecta crucem captam Sardonychata decent.
Mutentur gemmæ vt vinclis, & vincula gemmis,
Detur Gemma cruci; ſed mihi Vincla crucis.

XCIV.

Balduinus Hieroſolymæ Rex, ad Germanos.

Lunatæ peterent cùm Mænia ſacra Phalanges,
Purpureæ oppoſui robur inerme trabis.
Mox omnes trepidare, pedēq; referre cohortes,
Et fugere obiectam barbara Luna Crucem,
Cur nunquam veſtris fugit à Legionibus illa,
Pannonios hodie cùm populatur agros?
Hæreſis offundit tales, Balduine, tenebras,
Vt nullam videat Thracia Luna crucem,

XCV.

Vrbano II. recuperata; Vrbano III. amiſſa Palæſtina.

Ieſſeiam Vrbano regnante recepimus Vrbem;
(Chriſtus vbi crebram ſanguine lauit hun ur:)

Na-

Natalemq; domum, (teneros vbi Numinis annos
Agnouit trepido bucula ſexa genu:)
Et Montem,& magni Lignum admirabile Mõtis:
Quæque ſacræ Cuſtos marmora Mortis erat:
Cepimus Vrbano ſimul,inquã hæc omnia rurſum
Vrbano ſimul hæc omnia perdidimus.
Quid fuerit cauſſæ,ne quærite: Tertius iſte
Inter Pontifices;ille Secundus erat.

XCVI.

De S. Ludouico Epiſcopo, Caſtitatis Exemplo.

Regina licet imperante,non vult,
Non vult crimine ſe notare,non vult:
Sed perſtat Ludouicus, & potentis
Spernit delicias, minaſque Lænæ.
Seu promittat opes;opes abeſſe,
Et Lydi iubet auri abire gazas.
Seu promittathonorem,abeſſe honorem
Et quemuis iubet exulare faſtum,
Seu quicquid minitetur illa; quicquid
Proponat,iubeatque,poſtuletque;
Duro marmore durior, recuſat
Illi vendere Corporis pudorem.
Hinc Vermes oculus ſepultus omnes
Annis arcuit amplius trecentis.
Hoc planè decet; hoc decebat vnum,
Vt Corrumpere quem nequibat vllus
Reginæ furor impotentis,illum
Nec Corrumpere vermibus liceret.

XCVII.

Tumulus Guidonis,vltimi Regis Hieroſolymorum, cum ſancta Cruce capti.

Ille ego Guido fui;Solymi pars vltima Regni,
Heu,magna imperij Guido ruina mei:

Hic

Hic vbi Ieſſeios cinxit diadema Nepotes;
  Sceptigeroſque diu nutrijt Aula duces.
Hic, vbi preſſerunt innoxia tempora dumi,
  Diuinaſque nocens riſit Arundo manus.
Hic itidem & gemma cinxi caput altus & auro;
  Hic regale mihi dextera geſſit ebur,
Victus in Abdario iam deniq: Marte triumphos
  Et ſenſit caſum Crux quoq: capta meum.
Parcite Balduini, Godefridi parcite manes,
  Hæc mihi res veſtro more cauenda fuit,
Atqui Europæi reges ne parcite: Vobis
  De culpis reſtat pœna petenda meis.

XCVIII.

De expeditionibus veterum in Terra ſanctam.

Longa Paleſtinas cùm iniuria carperet Vrbes,
  Seruaq: ſub Phario fleret Iduma iugo,
Capta peregrinos optabant Mænia cætus,
  Neglectaſq: diu ſquallida Templa preces.
Et limen, quod Aui tot quæſiuere Patreſque,
  Tunc Patris cœpit quærere, cœpit Auos.
Et toties genibus ſignata ſacraria flexis.
  Et toties vdis tacta ſepulcra genis.
Et toties calcata pio veſtigia fletu.
  Arida tunc longo conſenuere ſitu.
Romanus ſed ſera Pater pòſt quàm induit arma;
  Occiduas mittens ad pia bella manus,
Tullingi miſere viros, miſere Britanni,
  Miſit Iapygias Daunia turma rates.
Vidimus Auſonios: enſeſq; venire Sicanos;
  Et Germanorum vidimus arma ducum.
Tunc ſolitis iterum viguerunt cætibus vrbes.
  Tunc iterum Tyrio ſunt data iura mari.
Tunc iterum Solymi caluerunt marmora buſti,
  Tunc iterum notas audijt Ara preces.

Maiorum, dices, hæc facta fuere. Fuerunt:
Facta ſed hæc cuius poſteritatis erunt?

XCIX.

In funere Philippi Cardinalis purpurati.

Auſonij caperes cùm Iura, Philippe, Senatus,
In domino Veſtes erubuere ſuo.
Sed feſtina tibi cùm ſtamina parca ſecaret.
Emoriente repens pallor in ore fuit:
Et ſimul in triſtem Veſtes abiere nigrorem,
Purpureuſq: togæ cœpit abeſſe rubor.
Hinc ſuus ergo color iam deſijt eſſe Galero;
Nempe ſuis domino deſijt eſſe color.

C.

In funere Fernandi liberaliſsimi Principis.

Pauper ab effoſſo diteſcit turba metallo,
In terræ medios dum ſolet ire ſinus.
O vtinam has poſset tumuli penetrare fodinas,
Eruta Fernandi plus daret vna manus.

CI.

De Furnio, Prodigi parentis æmulo decoctore.

Furnius à patria non degener indole potor,
Ingenio patriam vicit, & Arte gulam.
Singula conuiuis precioſæ pondera gemmæ
Triuit, & affuſo diluit illa mero.
Ipſe prior cyathis inſtare capacibus; ipſe
Sardonychata ſibi fundere Vina prior.
Mox acies certare duci, vaſtare dyotas,
Menſaq: gemmato pota madere lacu.
Deniq: Vina ſuo quæ quiſq: ligurijt hauſtu,
Illa Senatoris ſingula Cenſus erant.

Fur-

Furnius hęc adeo fuit inter prandia potus,
Vt cœnaret vbi, veſpere neſcierit.

CII.

In Funus Amici, gelidiſſima hyeme celebratum.

Tinxerunt calidis veteres ſua Funera lymphis:
Debet & hæc aliquis ſpargere noſtra latex.
Quid facimus, glaciata gelu cũ lympha negetur?
Ex oculis hauſtas Funus habebit Aquas.

CIII.

In furaces Hæredi petas.

Furtiuo manus ardeat Pyropo,
Et rapto gemat, Arca ſub metallo,
Et res patria creſcat vſq; & vſque
Agris addere dum ſtudetis Agros,
Cenſus Cenſibus, atque inempta raptis,
Non ſunt (quid dubitatis?) iſta, non ſunt,
Etſi creditis eſſe Iura, non ſunt,
Vos Accreſcere tunc iubetis Aſſem,
Iusſit tollere Cera cum Trientem.
Expunctus queritur dolendus Hæres,
Quem pro diuite prædio obtinendo
Verſu Cera locauerat ſecundo.
Nam vos Dulcibus inuidi Caducis
Ceram vertitis omnem; & arte magna
Ex longis facitis breues tabellas.
Sed qui creſcere ſic iubetis Aurum,
Si rectè memini, iubebit olim,
Vos decreſcere, ne timete, Ferrum.

CIV.

Sarmata in foueam mellis prolapſus, & inſperato ab Vrſa extractus.

Lucus Hyperboreã quà proximus aſpicit Arcton,
Tardaque pinifero ſuſtinet Aſtra iugo;
Aerio plaudunt ibi fæta Cubilia partu,
Indigenaſque fouet plurima Quercus Apes.
Melitos inibi ſudant loca pinguia ſuccos,
Stillanteſq: tegit multa Cauerna fauos,
Nec deſunt Ouibus ſua, nec ſua mulſa Iuuencis,
Sed capit Hybleas Vrſus, & Vrſa dapes.
Forte per illa viam carpebat Teſqua colonus,
Ex aliquo cupiens tollere Mella ſpecu.
Qui nemora ambiguus poſtquã exijt omnia; vidit
Denique odorifero conſita prata thymo.
Vidit: & hæc, inquit redolentis copia floris
Omnia quæſiti proxima Mellis habet.
Indagare iuuat. Vetus haud procul Arbor hiabat;
Et vetulæ deerat tota Medulla trabi.
Sed Caua ne nullam retinerent Robora vitam,
Viuus in exanimi ſtipite Cætus erat:
Cætus Apum: magnis qui par Legionibus ibat,
Purpureos Floræ cum popularet Agros.
Dixiſſes Hyblæ nemus omne volare: trabique
Vnius in vacuos omne migrare ſinus.
His patrium faciebat opus gens innuba cellis;
Condita ſecuto ſic rata mella penu:
At nimio. Quercus demum ſaturata Falerno,
Ebria ſeruatas ferre nequibat opes.
Melleus ergo latex ſuper exundauit, & altum
In Scrobe fecerunt deflua Mulſa lacum.
Aequa ſolo iam Vallis erat, iam plurima cauo
Deſuper in Mellis creuerat Alga, vado:
Sarmata cùm trunci vidit caua robora; & amens
Non explorata cœpit adire via.

Iamq;

Iamq; propinquus erat, foueæ cùm captus hiatu
  Induit incautos Rore tenace pedes.
Vtq; pedes magis vtq: genu ſubſidere ſenſit,
  Vtq; deinde Femur cedere, deinde Latus.
Territus, ò Superi defendite, dixit: Et inter
  Dicta, repentinus fluxit in ora liquor:
Tunc trepidare miſer, lentique Coagula mellis
  Nil profectura diſſociare manu,
Tunc pedibus, totoq; diu contendere trunco,
  Aegrumq; ex alto tollere Melle caput.
Sarmata conatus tamen omnia, & omnia ſemper
  Hæſit in Hybleis Sarmata merſus Aquis.
Quare vbi fracta ſibi ſuccumbere robora vidit,
  Inſtitit externam poſcere merſus opem; (ganti
Arua rogat; Nuſquam vllus erat. Rogat Aſtra, ro-
  Tendere qui vellet brachia, nullus erat.
Interea bis Phœbus aqua ſe lauit Ibera,
  Cynthia nocturno bis Soror egit equos.
Nullus adhuc ſpōdebat opē. Tūc mēbra lababāt,
  Raucaque defectus fugerat Ora ſonus,
Nil, niſi de viuo reſtabat lacrima vultu,
  Cętera ſemianimum membra Cadauer erant,
Ipſe tamē cecinit priùs hunc ſibi præfica leſſum,
  Mortua quàm tumulo conderet oſſa ſuo.
Certè, ait, vt multi tumulo meliore quieſcant,
  Dulcior eſt nulli quàm mea tumba mihi.
Dixit, & extremo conuerſus ad æthera voto,
  Nunc, ait, ò oculis Aſtra valete meis.
Vos ſola ignaris mea pandite funera Gnatis,
  Nam vos ſola meum Conſcia funus habet.
Iamq; oculos clauſurus erat, cùm viſa repentè
  Intremuiſſe graui ſtridula ſilua metu.
Nam fera, neſcio quæ, Vicino erupit ab Antro,
  Et timuit viſam territa ſilua feram.
Tūc, licet in Mortē properaret Sarmata, rurſum
  Sarmata fatali mouit ab amne caput.
Monſtrū informe videt. Catulis comitata duobus

E med'js Siluæ proſilit Vrſa rubis.
Et celeri per tria Viç compendia curſu
Ambroſij viſit cognita luſtra meri.
Gratuitiſque gulam dapibus non parca ſaginat,
(Nobilis ò qualem paſcis Hymette gulam:)
Hic quid agat? dubius clamaret Sarmata? potæ
Opportuna ſtatim cederet eſca feræ.
Ceſſaret? lenti moreretur glutine viſci;
Mors habet exequias vtraq; penè pares.
Lenta tamen Mors eſt in Melle timenda: citatam
Ergo mineatur, ait, mitior Vrſa necem.
Sic parat appoſitò diſponere brachia flexu,
Paſta ſuum in ſiluas dum fera carpat iter.
Mox vbi daps brutum ſaturauit Hymettia vẽtrẽ;
Auerſumq; lacu cœpit abire pecus;
Ruſticus extendens è lento brachia viſco,
Inſidiante capit terga ferina manu.
Hic laqueo captam ſe credidit Vrſa; ſuoq:
Impoſitis tergo Vincla coire feris.
Aduocat ergo omni Vires è corpore, donec
Tergi appendices exuat inſidias,
Vſq: laboranti tamen imminet hamus, & hæret,
Et premit ille magis, quò trahit illa magis.
Viſa videre fuit Ceromate delibutos
Ridiculo Pugiles vna Palæſtra duos,
Vtque diu paribus certatum eſt Viribus; hoſtem
Traxit ab infauſto fortior Vrſa lacu.
Sic demum capis Vrſo fugam; ſic Sarmata vitam
Sarmata mellito penè peremptè vado.
I querere, & ſolis mortem puta ineſſe Venenis,
Quo gula plus Mellis, plus gula Mortis habet.

F I N I S.

INDEX EPIGRAMMATVM

Et rerum notatu dignarum.

A

Abſalonis crines. Pag. 151

Academia Herb. & Dil. concordia. 184

Ægidij cerua. 48

Afra ignes. 134

Agatha dolores. 37. 95

Agna mart. caſtitas. 108 170

Agna polit. tumulus. 80

Alexij fuga. 126

Aleatoris pœna. 141

Alphonſi Rodriq. lacrima. 64

Aloyſij Gonzagæ affectus. 25. 60

Amici funus. 195

Amati annona. 61

Ammonij flamma. 84

Amici profectio Rom. 147. 158

Anachoreta aquatio. 28. *Iracundia* 42. *Liberalitas.* 57. *Afflictatio.* 73. *Conſilium ridiculum.* 43

Andreæ natalitia. 185

Anaſtaſij lingua. 174

Anna lacrima. 63

Anaſtaſia tabula. 66. *fuga.* 127

Angeli in ſtabulo. 72. *Salutatio.* 29

Andragiſyna deformatio. 109.

Aniani oculus. 93

Antonij ſpectra. 19

Antonij, & Cleop. cœna. 150

Apellis fabri pugna. 80

Apollonia ignes. 99. *dentes.* 61. 96

Apollonij hoſpites. 36

Apes ab araneis captæ. 173

Athanaſia fuga. 128

Athanaſij innocētia. 46

Auctor peccati. 151

Auarus moribundus. 48

Aulici honoris miſeria. 157

Auxentij rupes. 60

B.

Benedicti tintinnabulum. 24. *Vepres.* 86

Balduini querela. 191

Bamberga ſidera. 161

Baſiliſſa, & Iul. virginitas. 122

Barbaræ nomen. 25

Bauij inſania. 177
Bembi tabula. 158
Bennonis claues, 63. *miracula.* 74
Bernardi lac. 85. *lacus.* 79 *pudor.* 112
Brigitte caſtitas. 81.97
Biuium homini. 60
C
Calua imago, 49
Calu. Hereſis. 170
Calumniator 152. 171. 159.172.175
Caroli Borro. tabula. 45
Caroli Princip funus, 66
Carol. Caſ. aduentus. 147
Carilephi ſolitudo. 96
Cath. Sen. corona. 38. 113
Cathar. Sueca cerua. 107
Catharina mart. lac. 118
Caſtitas Iuuenis. 90
Cauſidici tumulus. 180
Cauponis caſus. 183
CædesTheſſalonicẽſis. 163
Cæciliæ vulnera. 42. *Muſica* 142. *Coniugũ.* 122
Cedes frat. in ſomno 171
Chriſti varia. 18.19.22. 23.25. 27.30. 32.34. 38.39.40.42. 44. 47. 52.53.63.65. 66. 67. 69.71.
Chriſtus orbem fulminare paratus. 7
Chriſtophori ſtatura. 72
Chriſtophori amici beneficia. 169
Chriſopoei impoſt. 178
Cinnæ ridicula. 155. 158
Claræ ſymbolum. 32
Cœli terraq; fœdera. 37
Columba virg. vrſa. 107
Cõradi Imp. expedit. 186
Conradus Franciſcanus Virginis alumnus. 54
Cõuiuæ Euãg. repulſa, 57
Corui Apoſtatæ Epitaphium. 174
Cordubenſis Ephebuli ingenium. 153
Corpus Chriſti in matris brachijs. 42
D
Dalfina & Elzear virginitas. 124
Daria leo. 105
Didonis querela. 165
Diogenis Hercules. 146
Diſcipuli fuga. 71
Dorothea roſa. 79
Diuitis liberalitas. 154. 172.185,188. 194.
E
Epiphanij aqua. 44
Epigrãmatis pictura 165.169. 189.190.
Equitis tumulus. 179
Eugenia fuga. 130
Euphemia mutilatio. 97
Euphroſina metamorphoſis. 131
Eyſtadij tutelares. 178
Expeditionis paleſtinæ initia. 193

Fa-

F

Facies Christi in velo Veronicæ. 22
Faustini ſpurcitia. 101
Fabri caſtitas. 80
Felicis aranea. 20
Fräc.vrtica.78.Nix.86
Franc.Xaue. pugna. 90
Frider. Ænobarbi mors. 188.
Fulconis lapſus. 150
Flagella Chriſti. 42
Furnij prodigalitas.194

G

Gertrudis tabula.68
Godefredi victoria. 187
Glaphyra fuga. 129
Gregorij Thaumatu. 67
Guidonis tumulus. 192
Gulielmi tunica. 74
Guthlaci regia. 38

H

Hæredi petarũ auiditas. 190
Heleni fames. 58
Heliotropij ingeniũ 182
Henrici Imp.virgin.121
Heraclidis Hydra. 29
Herma mendacia. 169
Hildegund. innocent.131
Hieronymi ſpelunca. 47
Hierichuntini Viatoris miſerias. 55
Hominis nouiſſima 50. 51.inuerſa ſtudia.144
Huſſij anſer. 166

I

Iancellina fuga. 102
Iacobi Anachor. flãma 85.Lacrima. 137
Iacobi Niſib. mirac. 66
Iacobi Remi pa troc.171
Iacobi Biruua œconomia. 150
Iac.Gretſeri monim.164
Iacobi cognominis Natalitia. 175
Ieſus ſuo nomini inſiſtens. 32
Iephtha vota. 59
Ignat. Loiola varia. 21. 53.58.50.143.152.
Infantuli vnda. 159
Ioan.Euang.virgin. 125
Ioan. Patric.teſtam. 45
Ioan.Calybitæ fuga.128
Ioan. Boni aſſula. 88
Ioann. Baptiſtę tabula. 47. dona. 48
Iodoci annona. 127
Ioſephi Anch. auic. 65
Iuda laqueus. 127
Ioannicij fercula. 40
Ioſephi coniugium. 119
Iuuenis luſurus annulũ B. Virgini indit. 81
Iuuenis,vt B.V. videat, oculum amittit. 160

K

Kunegũda ignes.36.120

L

Landelini fontes. 33
Lachrima Ieſu. 27

Lazari canes. 18
Leonis manſuetudo. 22
Lithi querela. 211
Lini poema. 172. *menda-cia.* 204
Lubini lacrimæ. 189
Luciæ oculi. 94. 95
Luciæ mart. ignes 192
Ludouici Epiſc. caſtitas. 192
Ludouici regis expeditio. 190
Luſitani militis dētes. 148

M

MAcharij ludibria. 35
Malchi fuga. 124
Manus Chriſtum percu-tiens. 63
Margaritæ mutilatio. 97
Mariæ Magdalenæ varia. 31. 56. 135. 139.
Mariæ Ægiptiacæ la-menta. 135
Mariæ Nepotis Abrami fuga. 137
Marinæ innocentia. 150
Marci Verſeri epiſtola. 155
Martij ſolitudo. 49
Martæ hoſpitium. 156
Martini N. ſtudia. 182
Martianæ mania. 107
Martiniani fuga. 50
Matthæi Euang. in tabu-la. 46
Matthæi Raderi Poema. 166
Matthæi diuitis exequiæ. 168
Mater Filium Virgini ſurripit. 156
Medici furor. 177
Menradi coruus. 25
Michaelis Verini inte-gritas. 105
Milites ad Chriſti tumu-lum. 39
Milites à Chriſto proſtra-ti. 64
Militis monilia 184
Muſæ Virginis ſpectacu-la. 114
Monicæ pignora. 52

N

NAtalis Chriſti. 30
Nathanaelis ludi-bria. 38
Neronis domus aurea. 145
Niceta victoria. 92
Nicolai Tolēt tabula 70
Nicolai Heluetij ieiun. 55

O

OCtober menſis. 181
Oculorum ſpectacu-la. 54
Othiliæ cecitas. 114

P

PAuli Anachoretæ cor-uus. 6
Pauli ſenis inuitatio. 147
Paulæ Romæ exilium. 51
Paſtoris pictura. 179
Pauperum vota. 172
Pelagiæ vnda. 91 *Ruina.* 102. *Pœnitētia* 63. 136

Petri lacrima. 28.66
Petri Adramitteni Epiſſcopatus. 181
Philippi Regis funus 176
Philippi Card. funus. 194
Petri Caniſij auicula 69
Pioris aſtutia. 75
Pulcheria Virginitas. 120
Pictoris varia. 180.181
Poema malum. 168

R

Richardi Regis expeditio. 189
Romanorum Coniugum virginitas. 123
Ruſtica duorũ pugna. 162

S

Sabina tabula. 68
Sabba fontes. 33
Sarmata Vrſus. 195
Sebaſtianis ſagitta. 33
Senis mirabilis victus. 58
Scholaſtica colũba. 33.118
Simeonis columna. 29
Sireni Sirenes. 79
Sophia pignora. 177
Societas Ieſu. 152
Sophronia purpura. 100
Stanislai Koſtha Euchariſtia. 116
Syncletica Virg. fuga. 129

T

Thaidis pœnitentia. 136.
Tharſilla inuitatio. 117
Thecle Leones. 36
Theophila Angelus. 110
Theodora exilium. 138
Thereſſa Angelus. 115
Theſſalonica clades. 163
Thoma Aqu. victoria. 24
Timai iocus. 166
Timothei fletus. 139

V.

Venerij coruus. 56
B. Virg. varia. 7.26 27.28.29.30.35.65.67.76.78.
Virginitatis varia 77.84 92.98.104.112.119.126.132.
Virgo Iuuenis coniux. 125
Virginis Rhenana euaſio. 102.
Virginis Mantuana ſubmerſio. 103
Virginis, & militis pugna 104
Virginis Anonym. caſtitas 90.123 131.
Vita tadia. 62
Voluptas prophana. 184
Votum Pauperum. 172
Vrbani Pont. fortuna. 192

VV

Vvalpurgis oleum. 82
Vvilgefortis miraculum. 111
Vvinalocij imperium. 26
Vvlmari crepitaculũ. 32.

Z

Zacharia caſtitas. 121
Zenonis dapes. 30
Zvvinglij ſomnia. 177

FINIS.

[illegible] Google

P. IACOBI BIDERMANI

E Societate IESV

HEROVM EPISTOLÆ.

VENETIIS, M. DC. LXVIII.

Apud Paulum Balleonium.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

LIBER I.

In Hominis nouiſſimis totus conſumitur.

1 *Alexius, in explicanda MORTE.*
2 *Hieronymus, in IVDICIO.*
3 *Epulo diues, in INFERIS.*
4 *Auguſtinus in CÆLI gaudijs.*
5 *Valerianus, in ANGELIS.*
6 *Theophilus, in cęlitum ROSIS.*

LIBER II. Priuatas quorundam calamitates deplorat.

1 *Euſtachius LIBERORVM iacturam.*
2 *Ambroſius, Theſſalonicæ CLADEM.*
3 *Chryſoſtomus, Fortunæ ROTAM.*
4 *Gilimer Rex ſuam FAMEM.*
5 *Beliſarius, CAECITATEM.*
6 *Corradus, carcerem, & NECEM.*
7 *Emanuel Soſa, NAVFRAGIVM.*

LIBER III. Miſcellanea continet; in quibus narrat:

1 *Filius prodigus, ſuam INOPIAM.*
2 *Petrus, ſuam ipſius CVLPAM.*
3 *Alipius, profana SPECTACVLA.*
4 *Niuardus, pia DESIDERIA.*
Thomas Aquinas, ſuam PVGNAM.
Carolus V. abdicatum IMPERIVM.
7 *Conſtantinus Imp. ſuam ROMAM.*

PROGRAMMA AD ANGELVM TVTELAREM.

QVI quondam fragiles rudeſque CVSTOS,
Fouiſti teneri clientis annos;
Et veſtigia parua, debileſque
Iuuiſti Comes expedire greſſus:
Mox per deuia teſqua curioſæ
Errantem pede libero Iuuentæ,
Seruaſti,pius; vltimæque cladem
Cauiſti miſerabilem ruinæ,
Nunc, ò nunc, ades ALIGER; tuiſque
Totis vtere viribus. Minantur
Iam clades aliæ, nouoque magnæ
Incertant animum timore curæ.
En! filium ſecat ATROPOS; diemque
Cæpit dicere Prætor: Ad ſupremum
Magni IVDICIS euocor tribunal:
Oranda eſt ibi cauſſa. Sordidatum
Tu cauſſa iuua in ardua clientem.
Præluſit meus interim libellus;
Et penna faciem illius tremendæ
Depinxit lacrimabile m̄ palæſtræ,
Errauit,liber inquis: illa quondam
Eſt multo tibi tetrior futura.
Ah ceſſa, bone Tutor; ah paleſtræ
Illius faciem efferare ceſſa.
Eſt nobis fera plus ſatis vel iſtia.

HERO-

HEROVM EPISTOLÆ.

LIBER PRIMVS.

De Quatuor Nouiſſimis.

I.

ARGVMENTVM.

ALEXIS, *cùm à deſponſa Virgine clam profugiſſet, ſuis, vt rediret vrgentibus, geſturum ſe morem pollicetur; dum* conſuetudo *prius, quæ Romæ inualuerat, aboleretur. Quærentibus, quam conſuetudinem diceret; Homines ibi, reſpondit,* mori *conſueſſe; Inhumanam vtique patriam eſſe, quæ tam barbarum morem permitteret. Negantibus illis, mutari hunc morem poſſe; aliam ergo ſe patriam quæſiturum, ſcribit, in qua conſuetudo tam odioſa non ferretur. Lege Sur. Metaphraſt. Martyrol.* 17. *Iul.*

ALEXIS, voluntarius Exul, mæſtis Parentibus.

De MORTIS horrore.

LITTERA, quæ veſtris mihi venerat vda querelis,
Vda fuit lacrimis ter quoque facta meis.
Omnibus in verbis inerat dolor; ipſaque pronas
Materies oculis ſufficiebat aquas.

Nam quæritur, mæſtos hærede carere penates;
Speratoque orbos eſſe nepote lares:
Et domino famulos ſquallere iacente: Nec vllum;
Quo domus aſpiciat nobilis, eſſe caput.
Et partum proauis, atauiſque potentibus, aurum
In quos condatur, non reperire, ſinus.
Adde; tot immenſi flauentia iugera campi,
Totque iterum patrij culta vireta ſoli:
Totq; iterum valles; tot in altis montibus arces;
Plenaque fumoſis atria imaginibus:
Hæc & mile rogant lacrimis vnà omnia magnis,
Tam faſtiditæ cui famulentur opes?
Talia cum legerem potui contemnere lecta,
Dignaque vix oculis illa putare meis.
Verum, vbi Patris ego mandata ſuprema, (iubētis
Maturare citos ad ſua buſta gradus)
Vtque deinde præces, & vulſi damna capilli,
Pectoraque incuſſa legi ego tunſa manu:
Immaduere pijs (fateor) mea lumina guttis;
Turpe erat, in tali non lacrimaſſe malo:
Vnguina credebam veſtris fore idonea plagis;
Veſter ab hoc tactus ſi foret imbre dolor.
Hactenus eſſe Pio licuit: moremque parenti
Vt lacrimæ gererent, par (niſi fallor) erat.
Vltra parce pater, parce vltra tendere mater;
Nec reditum porro me properare iube.
Nam quæ cauſſa mihi fuit, inde vt abire luberet,
Eſt eadem, lubeat ne remeare mihi,
Atque ea quæ fuerit (quia cogitis edere) dicam:
Purgabitque meam cognita cauſſa fugam,
Veſtra malum retinet (veniam date) patria morē,
Qui vetus à primis vſque inoleuit auis.
Heu! morem inuiſi mihi nominis! Odimus illū,
Odimus: eſtque oculis ille, animiſque grauis.
Ille fugam, ſuaſit; reditum vetat ille. Reuerti
Protinus exierit mos ſimul ille, volam.
Hoc ſolum, dicetis, erat? Res ſalua; remotus

Cras

Cras procul à patria mos erit ille: Redi.
Nos penes imperium eſt;populiq; vrbiſq;potêtes,
Ciuibus & mores, & noua iura damus.
Reſtat, vti nutu, quis te mos læſerit, edas:
Nullus ei tota cras erit vrbe locus.
Obſequar: hac reducē, genitor,me lege videbis.
Morem igitur, tollas vt cito, noſcè citò.
Nuper, Auentina cum forte quietus ab aula
Deſpicerem,Latio quà via iuncta foro eſt;
Obuia pompa fuit,lugubrius horrida ſignis;
Pulla habitu triſti murmure, lenta gradu.
Parebant mæſti per lina madentia vultus;
Et gemitum,rupti pectoris antra, dabant.
Lurida præbebant piceam funalia flammam,
Inque manu multis atra cupreſſus erat.
Terreor aſpectu,& refuga ceruice, gementem
Damno,gemens illo non minus ipſe, gregem.
Ecce autem! medio ſublimis in agmine lectus,
Sena ſub hexaphoro ſubdita colla grauat:
Hunc ſuper, effigies hominis compoſta iacentis
Extendit gelidos calce rigente pedes;
Fracta labat ceruix;humeriq; & brachia languēt;
Nec tenor in venis eſt, nec in oſſe vigor.
Stat macies, cecidere genæ; cutis arida pendet.
Nec calor in membris eſt, nec in ore color.
Auctorata ſilent Samij labra lege magiſtri;
Et nihil in ſurda proficit aure ſonus.
Ipſa diem excludunt obductis lumina valuis;
Æternaque oculos nubila nocte premunt.
Clamanti,ò ſuperi,quod mōſtro eſt omen in iſto?
Verbis,neſcio quis,reddidit iſta meis.
Cuius in hoc horres informi corpore formam,
Pulchrior Idalio nuper Adone fuit.
Cereus iſte color, facieſque ſimilima buxo,
Dentis heri Libyci nobile vicit ebur.
Hi quoq; (congeries,in honoraque turba) capilli,
Aureus,in flauo vertice,cirrhus erant.

Qui digiti gemma teretes arſere Sabæa,
Iam magè Riphæo diriguere gelu.
Quamque vides Aurem ſenſu obbruteſcere ſurdo,
Stabat ad Orpheam nuper aperta chelyn.
Lingua tacet,cantarat heri. Manus vtraq; torpet,
Vtraque Circenſi in puluere plauſit heri.
Denique languet iners immoto corpore,truncus;
Saltarant agiles inde heri,& inde,pedes,
Ille ira. Rurſus ego: Cuius ferale cadauer
Illud? an è Codri nomen inane tribu eſt?
Imò, ait, Auguſta genus hauſit origine. Cernis
Quantorum titulis fulgeat vrna ducum?
Contigit antiquos deducto ſanguine Reges;
Cognatamque habuit Cæſaris aula domum,
Diuitias fortuna pares cumularat: & vnum
Multus anhelabat demeruiſſet cliens.
At ſenio modo fractus erat? Flos imò iuuentæ.
Qui neque dum quinas norat Olympiadas.
Optabant generum matres; auideque vouebant
Exciperet teneros vt roſa nata pedes.
Ille duobus amor, hereſque parentibus vnus
Occubuit: magnæ magna ruina domus.
Has lacrimæ quibus ora vides manantia, tantæ,
Has gemitus cauſſas,has vlulatus,habent.
Hic ego: Quæ Iuueni tam dira nouerca beato
Obfuit? Exiguæ flammula febris, ait.
Illa ſimul tacito præcordia contigit æſtu,
Certa ſecuturæ nuntia mortis erat.
Nemo laboranti potuit ſuccurrere? Nemo.
Nec pater infelix ipſe? Nec ipſe pater.
Diſplicet, aiebam. Quid agas? ait omnibus vſque
Diſplicet: & fieri res tamen vſque ſolet.
Ergo ſolet? neq; mors iuuene iſta quieſcet in vno?
Eſtque timenda mihi forſitan? Eſtque tibi.
Me miſerum? exclamo: Quid.n.tam barbara morē
Hunc mea permittit patria? Tolle pater.
Tu pater hunc morem,tuque ò mihi charior ipſis
Lu-

Luminibus,morem hunc,mater,abeſſe iube.
Vos penes imperium eſt:populiq;vrbiſq; potentes
Ciuibus & mores, & noua iura datis ;
Hic noua iura date;hic mores proſcribite priſcos ;
Hic patriæ mores eſſe iubete nouos :
Nam nimius me terror agit ; viſumque cadauer
Illud, obeſt oculis ſemper ineſtque meis .
Effugiam,quacumq;licet,populumque requiram,
Nullus vbi à tali ſit mihi more metus .
Verũ ego quò rapior?nõdũ hęc mihi meta timoris
Vltima monſtrauit plus Libitina mihi.
Interea funus procedit,& ordine longo
Compoſiti partes quiſque doloris agit,
Donec ad exiguæ foueam venere lacunæ,
(Vix paruit ſenos tota lacuna pedes)
Hic Iuuenem mollli euoluunt (crudele) grabato ;
Primaque direpta præmia veſte legunt .
Tum titulis vrnam ſpoliant ; vt imagine rapta,
Vix etiam,fuerit quis prius,ipſe ſciat.
Cætera nudatum,tegetis cùm parte relictæ
In ſcrobis anguſtæ vile cubile trahunt.
Mox alij ſuper,atque alij diſcrimine nullo
Inijciunt putrem,flebile pondus,humum.
Nec ſabulo vexare caput , neque puluere parcunt
Lumina,nec molles lædere mole genas ;
Sed pedibus nares ſuper,& ſuper ora vagantur;
Cognataſque premunt calce grauante manus.
Tum,ne quà redeat veteres prior hoſpes in ædes,
Muniri obiecto marmore clauſtra iubent:
Inſcribuntque : Situs patris hic eſt filius orbi;
Maluerat ſitus hic ipſe iacere pater :
Hinc ego , quem tragici finẽ mihi funeris horror
Poneret,expecto:Terruit ille magis .
Nam varijs pompa vijs dilapſa,relictum
In ſolo Iuuenem deſtituere loco ;
Nemo memor redit: Gemitum pepulere cachinni
Et lacrimas oculi dedicerat ſuas .

Ora ſerenantur : facies hilarata renidet ;
Nullaque depoſitus pectora luctus habet.
Coccina ſumuntur ; rediuiua ſonare iubetur
Chorda ; parat ſolitos turba ſoluta iocos.
Hîc, mera, dicebam, mera certè in funere ducto
Edita ſub pulla fabula veſte fuit.
Ipſa ſuas genitrix egit non infima partes ;
Pæne mihi totam Mimum ea ſola dedit.
Nam, ſine quo durare diem ſe velle negarat;
Hoc ſine iam durat mille, valetque dies
Ipſa domi extructo cubat inter Serica lecto
Stragula ; ſub gelida filius alget humo.
Ipſa habitat Mauris pendentia tecta columnis ;
Aſſiduo nati ſpargitur imbre caput.
Aurea maternos pingunt aulæa penates ;
Hunc fouet informi triſte cubile ſitu.
Imperat ancillis famulantibus illa ; capitque
Perpetuas inter prandia lauta dapes :
Iſte nec obſequijs colitur neglectus ; & exſors
Nil de maternæ munere lancis habet.
Sedula quin itidem nocturno tempore mater ;
Obuia ne nati prodeat vmbra cauet.
Vſque adeò fieri potuit de matre nouerca,
Vt nati genitrix horreat ora ſui?
Sed quid ego iſta queror? Tenet hunc mea patria (morem;
Vt fugerem, hic cauſſæ mos ſatis vnus erat.
Ac modò ne redeam, prohibet reuerentia matris?
Territa conſpecto nolo ſit illa meo.
Talia tunc mecum ſuppreſſa voce loquebar ;
Addebatque meus talia plura Comes.
Dic, demum aiebam : Latebra quia funus in illa
Conditur ; in quali cogitur eſſe ſtatu ?
Hic ſtatus, inquit, erit. Populatur lenta medullas
Peſtis, & in ſaniem ſanguinis humor abit,
Tabida membra fluunt ; labuntur ab oſſibus oſſa
Teter in exanimi corpore regnat odor.
Viſcera nudantur ; ruptus vomit ilia venter ;

Et

Et iecur infamis vaſtat, & exſta, lues.
Tum verò impaſti veniunt ad pabula vermes;
Dat quibus appoſitas illa popina dapes.
Impauidi dein, perque ſinus, perque oſſa culubri,
(Nemine quondam illos impediente) ruunt.
Buffones ipſi vacua ſtabulantur in aluo,
Quam ſibi natalem gens putat illa domum.
Plura parabat adhuc: Per ego te, quiſquis es, horũ
Deſine iam: Satis eſt, inquio, pluſque ſatis.
In ciues ſi iura tuos buffonibus ipſis
Talia permittis, patria terra, Vale.
Tuque vale genitor; natoq; ignoſce: nec artus
Coge tuis eſcam vermibus eſſe meos.
Terreor hoſpitio, & conuiuis terreor illis,
Patria quos inter veſtra cubare iubet.
Antiqua pater, hunc, & finibus eijce, morem;
Omnibus, heu! oculis morem animiſq; grauẽ.
Id ſimul effectum dederis, ſcribe ocyus, oro;
Meque redux viſam vt tecta, relicta, voca.
Hic, ſine, me profugum patria tantiſper ab illa
Degere, & à diris finibus eſſe procul.
Quem tua ſi nequeat mutare potentia morem;
O pater, è patria tu quoque cede tua.

II.

ARGVMENTVM.

ADOLESCENTEM *Romanum amentia licentiaque perditum Hieronymus vltimi* Tribunalis *metu, ad vitæ mutationem inuitat: & qua Epiſtola monet vnum, alios omnes terret. Lege vitam & epiſtolas ſancti Hieronymi.*

HIERONYMVS ex Eremo Iuueni Romano.

DE VLTIMO IVDICIO.

VIVIS, & Aſſyrio pergis,temerarie, luxu
Ducere continuos,Sardanapale, dies;
Improbaque oblectas Romanis ora theatris?
Et,quicquid Circi pompa profanat,amas?
Nec tangunt animum meditatæ IVDICIS iræ?
Nec mala, quæ talis parturit ira, times?
Verte gradum,Iuuenis;non eſt tua ſemita, verte,
Hac periere omnes,quotquot iere,via.
Iam mea,non neſcis,quid in hac tibi littera charta
Nuntiet.At quis eam mittat,& vnde? rogas:
Mittit eam Senior tibi Dalmata: perpete nimbo
Accola Bethlemiæ qui lauat antra caſæ.
Ecce! Palæſtinos deſerta per horrida dumos
Dum ſequor,& Socias inter oberro feras;
Aridaque incuſſo ferio præcordia ſaxo,
Et refero Mauram Solis ab igne cutem,
Nec molles inter condi ſino lumina plumas;
Sed

Sed rude non ſtrato quæro cubile ſolo;
Hic mihi,ſeu potis Achelouis imbuit vndis
Torrida (nam procul eſt Maſſicus) ora,liquor;
Hordea ſeu mando plebeiæ toſta polentæ,
Duratoque grauem pane repello famem;
Siue aliud quid ago; validis mihi vocibus æther
Intonat; & tragicæ terreor ære tubæ:
Terreor. Heu quali marcentia buccina cantu
Funera,de tumuli ſurgere mole iubet?
Surgite,funerei rediuiua in corpora manes;
Oranda eſt æquo cauſa ſuprema foro.
Surgite. Iam meritis arſerunt oppida flammis;
Obruta ſunt vno templa domuſque rogo.
Omnia regna cinis. Caret alite mobilis aer;
Solaque iam vacuos incolit aura lares.
Amiſere ſuas vidui maris æquora Phocas.
Nec videt vlla feras Silua,nec arua boues.
Surgite. Iura dari ſummus iubet vltima Prætor;
Sontibus ille forum flebile Prætor aget.
Ecce tibi! nondum tuba finijt vltima murmur,
Raucus adhuc tremulo ſtridet in ære ſonus.
Iamque mouet tellus;maris æſtuat vnda;dehiſcũt
Iſtius hinc omnes,illius inde,ſinus.
Prolatoque Seges Cadmeia vertice ſurgit,
(Tota nihil,præter vulgus inerme,ſeges)
Non miſſura ſuos haſtatum fulmen in hoſtes,
Sed rea diuinos ante ſtatura pedes.
Nunquam alio tantæ coierunt agmine gentes;
Horruit a numero territa turba ſuo. (ma
Quæ miſeris facies? quæ informi in corpore for-
Conſcia quis pingit luridus ora color?
Frigidus oſſa tremor,dolor illa,guttura clamor,
Atque oculos fletus,pectora planctus habet.
Iam perijſſe ſciunt,ſe iudice,quiſque;Nec acta eſt
Cauſa,tamen cauſſa ſe cecidiſſe vident.
Inde graues alius vocat in ſua funera montes;
Totus ab iniecta poſſit vt Alpe tegi.

Atque

Atque alius,Pelagi vouet omnibus eſſe ſub vndis,
Dum queat aſpectu Iudicis eſse procul.
Irrita vota; Cauum Thaumantias Iris in arcum
Iam coit: extructo iam rubet aura throno,
Iam tonitru cælum quatiente fatiſcit: & omnis
Aligerum ætheria prodit ab arce phalanx:
Purpureoque vehens cæli per inania curru
Ipſe triumphali cum trabe Prætor adeſt:
Qui rapidum pernix;quacumq; per æthera fertur,
Spargit in infenſas flammea tela tribus.
Dant procul Aſtra locũ;trepidat Leo; cedit Oriõ;
Parrhaſis ad veritas vrſa recurrit aquas;
Luna ſilet, pallenſq; grauem confeſſa timorem
Abditur: & radijs orbita Solis eger.
Denique ſubſtracta cùm ſedit in Iride Prætor,
Et ſtetit hinc Actor plurimus,inde Reus,
Hei mihi; quas lites intendere fontibus actor
Ille? quibuſque vti teſtibus ille ſolet?
Vaſtum aperitur ibi,monſtroſa mole, volumen,
Grandibus inſcriptum parte ab vtraque notis:
Omnis apex ibi põdus habet. Lege omnia quiſq;
Qui nihil antè vnquam legerat,illa leget.
Quo tamen, heu! quo quiſq; metu leget? omnia
Quę malè vel dixit,vel malè fecit,erunt.(corã,
Peruia ſunt oculo penetralia pectoris omni;
Abdita,quæ nunquam viſa fuere,patent.
Hinc metamorphoſis miſeranda! Videbitur albo
Candidior Cygno,qui tibi coruus erat.
Quique tibi Cygnis erat albior,omnibus,ille
Iam tibi præcoruis omnibus ater erit.
Crimina nemo ſibi reus exprobrata refellit.
Teſtis adeſt noxæ quilibet ipſe ſuæ.
Quos igitur Iudex meliores dexter habebit,
Eximias illos inter amabit oues.
Sed ſcelerum quos atra teget caligo,manebunt
Dedecores inter,turba ſiniſtra capros.
Me miſerum! quantas trepidare ibi cerno tiaras?

Lu-

Luget ibi ſceptrum,purpura luget ibi.
Iulius abiectis metuens ibi ſupplicat armis:
Nec ſocero maior iam cupit eſse gener.
Deſtituit mutum Sapientia Graia Lyceum;
Seque videt linguæ Tullius eſse rudem.
Nec ſua Lucullum delectant prædia, Damnat
Craſsus opes; cæliquе æmula tecta Nero.
Artificemque gulam mutatus Apicius odit;
Et Siculum Verres Mentoris odit ebur.
Naſo ſuos plorat,ploratque Tibullus amores.
Nec Ledæa memor cogitat ora Paris.
Sola metu virtus caret omni;Ea tuta tribunal
Ambit: & à nullo fulminis igne timet.
Illam oculis Iudex inuitat amantibus vnam,
Sublimeque leui nube ſedere iubet.
Protinus aeriam capit inter nubila ſedem
Illa,ſuumque iubet ſe comitare gregem.
Aſcendunt (miranda fides!) de paupere vulgo
Lazarus,& miſera pallida turba fame.
Quiſquis opes contempſit,habet;quiq;vltima primis
Prætulit,hac primum reperit arte locum.
Quos mala Circeis nunquā vlla fefellerat, herbis,
Illecebra,aut volucri noxius igne puer,
Hos æternus ibi potato nectare riuus;
Nec defecturi copia mellis alit.
Suauior Orphea canit illis Muſica;& ipſi
Suauius Orphea voce lyraque canunt.
Palma manus,diadema caput,collumq; monile,
Et digitos aurum,& gemmea pala grauat.
Quotque attrita prius lacero centone lacerna
Texerat,è Tyrio ſtamine læna tegit.
Suſpicit hos oculo populus liuente ſiniſter,
Et poſitos illo tingitur eſse loco.
Hic natum excelſa reſidentem in nube tuetur
Stratus humi,turba cum pereunte,pater.
Ridet ibi flentem facies fraterna ſororem,
Inque vicem ridet,fratre gemente,ſoror.

Con-

Coniugis eſt coniux, comitis comes, hoſpitis ho.
Immemor,& matris filia, neptis aui. (ſpes
Sollicitum ſua quemq;tenet fortuna:nec vllam
Alter ab alterius fœdere ſentit opem.
Quæ ſæuum rabies agit hic inopina Neronem,
Iuſſum, Petre,tuos ante iacere pedes?
Quos prius ille (nefas!) inſutos pelle ferina
Ante impaſtorum miſerat ora canum,
Aut oleo merſos ardere ſubegerat,(alta
Sueuimus vt piceas vrere nocte faces)
Inuidus aerio dum fulgere cernet in arcu,
Et Septemgeminum Solis habere iubar;
Infremet ore;gemenſque;Hos ſpreuimus inquiet,
Hos olim & ludos fecimus,atque iocos. (olim;
Credita mentis inops,deliraque turba;nec vltrà
Quam calcandus humi,res inhonora,cinis:
Heu malè decepti! videri vt radiante,beati
Seminis,haud dubias præferat ore notas?
Nos tandē,ah ceci! (ſed tādem,& ſerò) videmus
Nos Hyperioniam nunquam habuiſſe facem:
Sed flexiſſe vagos,per & auia, & inuia,greſſus,
Vnde,lucrum eſt,feſsos grande,tuliſſe pedes.
Quid modò faſtus opum,ſtolidæque ſuperbia vitæ
Profuit? ah vacui corporis vmbra fuit.
Vmbra fuit,fugitque cita pernicius vmbra:
Sed breuis hæc quantum dedecus vmbra tulit!
Ipſa voluptatum Babylonia,pocula,nobis
Hauſta ſemel,quantam progenuere ſitim?
Has Nero cum ſocijs,has altera turba querelas
Cum ſociis;atque has altera turba dabit,
Tum collecta diu,ſic orſa nouiſſima,fontes
Ad populos perget Iudicis ira loqui.
I,mala progenies,terræque pudenda propago,
I procul,atque oculis turba faceſse meis.
Dum mea torquebant vacuum ieiunia ventrem,
Vrebatque grauis guttura ſicca dolor,
Tu dapibus ſatiata tuis,depellere notam
Di-

Diſtuleras atro pane, rogata, famem.
Ebria tu, Bacchoque madens, inimica negaras
De ſaliente meam fonte rigare ſitim.
Nudus oberrabam, gelidiſq; obiecta pruinis
Membra per hibernas diriguere niues:
Deliciis tu cincta tuis, oſtroque grauata,
Abnueras trita me refouere toga.
Deniq; me morbus, me carcer habebat, & hoſpes
Cogebar media ſteruere membra via:
Te thalamos inter, molliq; cubilia pluma
Tranquillus tenuit, nocte iuuante, ſopor:
Nec tibi cura mei: Sed carcer, & hoſpes, & æger
Excidit ex animo, barbara turba, tuo.
I, ſtygios pete, prona lacus: vbi ſulfure viuo
Bullit, & æterno paſcitur igne focus.
Hæc vbi dicta dabit, centum vndiq; fulgura centum
Fulminis in turbas vndique tela ruent:
Adfremet immani tonitru circumfluus aer,
Et maris horrendo mugiet vnda ſono.
Diſſiliet laxata ſinus, & ad infima rictu
Terra dehiſcenti tartara pandet iter.
Obuiaque erumpet Lethæis flamma cauernis,
Vltor vt inuoluat corpora pacta rogus.
Inde omnes vno tellus ſorbebit hiatu.
Æternoq; teget clauſa vorago ſitu.
Clamor ibi, ſtridorque fragorq; dolorq; furorq;
Et facies, qualem nullam habet orbis, erit
Quò feror? aut vbi ſum? Tuba iam vocat vltima: clangor
Ille meas aures verberat, ille tuas.
Hinc per mẽbra fluit mihi frigidus omnia ſudor
Cogit & aſſiduus me lacrimare timor.
Quaq; tuba quondam clangente reſurgere cogar;
Territus hac, propè abeſt, vt minitante cadam.
Nec poſſum, fateor, nec, ſi tentem omnia, poſſum
Ora mihi, in tanto, ſumere læta, metu.

Tu

Tu tamen,ô Iuuenum confidentiſſime,ludo ?
  Hac roboante,potes deditus eſſe,tuba ?
Et fora per,plateaſque vagus potes ire per omnes?
  Atque hilaros iuncta ducere nocte dies ?
Et teſtudineo ſecurus ſtertere lecto ?
  Et Sybarita meris ſternere ſigma roſis ?
Et latices prælo domitos potare Caleno ?
  Et volucrum aſſiduas ſtrage nouare dapes ?
Et Paphiæ ridens animum indulgere palæſtræ?
  Et Cyprios inter lætus ouare choros ?
Et condire potes Sotadeo prandia cantu ?
  Et,quocumque lubet viuere more,potes ?
Ah! nimium nimiumq; potes.Minus incipe poſſe:
  Et nimium exemplo deſine poſſe meo.
Iamq; gradum,(repeto) nō eſt bona ſemita verte.
  Hac periere omnes,quotquot iere,via.

III.

ARGVMENTVM.

EPVLONEM hunc Euthymius Ninenſem vocat; virum luxu opibuſque affluentem: qui, vt nonnullis fabula fuerit, ſibi certè ipſi hiſtoria eſt, dum hac Inferorum ſupplicia deſcribit. Qua penna inquis? Qua & Abraamo ſuam prius flammam ſitimque deſcripſerat. Luc. 16. Maldon. ibid. Spond. anno 33. num. 15.

EPVLO diues, quinque Fratribus.

DE INFERORVM SVPPLICIO.

SI qua poteſt ſtygias à me traiecta paludes,
Littera, inhumanas vſque venire manus.
Iſta, precor, veniat; notáſque feratur in ædes,
Viuit adhuc patriæ pars vbi magna domus.
Quinque ibi cognato ſuperatis ſanguine fratres,
(Si nondum fratres, vos pudet eſſe meos)
Mittitur, vt rebus mea profit epiſtola veſtris?
Nam prodeſse meis, vt velit ipſa, nequit.
Hei mihi! quas veni miſerabilis hoſpes in oras?
Quæ facies tetri, quamque inamæna, loci eſt?
Vos procul hinc, moneo, procul, ò, diuertite. Veſtros
Qua præiere mei, vos remouete pedes.
Omnia funeſtis operit nox atra tenebris,
Horridaque offuſum retrò agit vmbra diem.
Claudimur æratis circum vndiq; & vndiq; muris,
Ferrataſque ligant vincula mille fores.
Obſidet hoſpitium grauis illætabile mæror,
Et ſocia æternus cum legione dolor.

Intus

Intus agit picei rogus atra volumina fumi,
Sulfureamq; domus tota Mephitin alit.
Ignea denſatis in aheno cercere flammis
Regnat,& Ætnæo plus furit,aura,foco.
Vrimur hoc ſemper,ſemperque renaſcimur igni,
Quoq; neceſſe mori eſt,non licet igne mori.
Pergite crudeles,Vulcania tela,fauillæ,
Voſq; nimis ſegnes in mea fata faces,
Pergite reliquias miſerandæ abrumpere vitæ;
Accelerata,duplum,mors mihi munus erit.
Verùm ego quid flammas, & ineluctabile tento
Excidium votis ſollicitare meis?
Stant rata perpetuis incendia legibus. Omnes
Æternum in ſurdo perdimus igne preces.
Ille meos ambit piceata lampade manes,
Eſtq; mihi Tyrij velleris ille vicem.
Quos prius Eois digitos incendere gemmis
Mos erat,hos tædis vſtulat ille ſuis.
Aurea cingebat teretes armilla lacertos;
Nunc ignita pari pondere maſsa ligat.
Hic,vbi deformi pendet mala vipera nodo,
Ante mihi ex auro pendula torquis erat.
Quid miſerum Tyrio bis cocta fefellit ahæno
Purpura,quid Coa ſtamina ducta colu,
Si mihi purpureo fuit emtus his ignis amictu?
Emtaque ſi Coo ſtamine flamma fuit?
Ah,pereant cirrhi! pereant,mea probra, capilli!
Fæminea comſi ſi quos ego ſæpè manu:
Torua Meduſæi nidos vbi monſtra colubri,
Deuotumque ſibi collocat Hydra larem.
Circumeunt rictu,Briareia turba, trifauci:
Perque humeros errat,perque cerasta ſinus.
Viſus erat Tityi quondam mera fabula vultur:
Viſa Ixioniæ fabula Graia rotæ:
Cogimur inuiti iam credere. Paſcere viuo
Ipſe Prometheam viſcere cogor auem.
Molior aduerſo marmor reuolubile cliuo,
Si-

Siſyphius fertur quare rotaſse labor.
Tantalus idem ego ſum, vanoque fugacia morſu
Eſuriens ſtygijs pabula ſector aquis.
Idem ego pertuſo capto irrita flumina cribro:
Atque vtinam pœnæ ſumma ſit iſta meæ!
Mille aliæ torquent,aliæque aliæque. Nec vllum.
Aut numerum,aut,pœnæ copia,nomen habet.
Nec mirũ, quòd ſcribo meas nullo ordine pœnas
In Phlegetonte ſuum non habet ordo locum.
Quicquid vbique boni eſt, & quicquid amabile vbique eſt;
Id procul à ſtygię valle paludis abeſt.
Quicquid in orbe malum,aut miſerum, aut miſerabile toto:
Aut dirum,aut dictu triſte videtis,adeſt.
Eſt tamen a pœnis,pęna vna moleſtior illis.
Continua torret quæ mea labra ſiri.
Mille modis,& mille viis ea ſæuit,anheliſque
Aſſiduas addit faucibus illa faces.
Heu!quoties celebrata memor conuiuia ploro?
Poneret innumeras cum mihi menſa dapes?
Cùm ſua non caperet differtus prandia venter,
Et grauis aſpectu Phaſides ales erat:
Prodiga cùm fluerent peregrino ſigmata luxu,
Quæ Sybarita ſuos crederet eſse toros.
Ebria tunc ibam ſpumantibus ora culullis
Mergere,& affuſo me ſepelire mero.
Et tepidus mihi potus erat,niſi vina viderem
Fuſa per æſtiuas luxuriaſse niues..
Hei mihi! quàm luxu nunc vtor diſpare nullos
Tęnario,nullos,in lare guſto cibos.
Et ca ruiſse cibo,minus eſt plorabile: nullas
Hic habeo,nullas, quas ſitis optet aquas.
Extima,vel modico labra ſit mihi rore aderent.
Sole diu coctus ros licet ille foret,
Is mihi,vel nectar,vel ad inſtar nectaris,eſset?
Nec gelidi peterem vina falerna cadi.

Sed neque tantillæ mihi copia ſuppetit vndæ,
Imbuat vda mihi tactus vt ora liquor,
Nuper(vt ærumnæ ſpecimen lacrimabile prodam
Vnde fuit vitæ tracta ruina meæ)
Nuper,ab inferno dum ſicca fatiſceret æſtu
Lingua,per infernam non minus vſta ſitim,
Inſtitui mæſtos è flamma attollere vultus,
Sicubi quæſitas quis mihi ferret aquas:
Nemo ferebat aquas. Iterũq; iterumq; vocabam
Siquis opem ferret;nemo ferebat opem.
Ecce; per immenſi demum chaos interualli
Agnita Thariadæ conſpicor ora Senis.
(Ora verenda, niueſq; aſpectu imitantia primas:
Indicium placidæ frons ea mentis erat.)
Conſpicor,& quanta licuit mihi voce,per omnes
Auxilium natos,natus,& ipſe,precor.
Abnuit auxilium. Rurſum precor: abnuit ille;
Terque quaterque rogo;terque quaterq;negat,
Illa mihi,fateor,miſero mihi,triſtior ipſis
Tunc etiam flammis viſa repulſa fuit.
Dum vacuas inſtauro preces: agnoſco,receptum
Lazaron Abramio fortè cubare ſinu:
Lazaron,ante meas,quẽ vos meminiſtis,& ægrũ
Et miſerum,nuper decubuiſſe fores,
Cùm gelido macies,& pallor in ore ſederet,
Nudaq; vix tegeret decolor oſſa cutis,
Cùm tenuem micam Cereris rogitaret adeſſe;
Viderat è quadra quam cecidiſſe mea:
Viderat; à viſa tamen ille faceſſere mica
Iuſſus,ad impaſtam retulit ora famem.
Correxere meum ſcelus,humanæque iacentis
Saucia cæperunt lambere crura canes.
Hunc ego Thariadæ ſenis inter brachia vidi
Signa tamen formæ nulla prioris erant:
Sed facies aſtris lucentibus æmula fulſit,
Preſſerunt vegetum gemmea ſerta caput.
Pendebant niueo baccata monilia collo.

Texta

Texta erat innumero tota adamante clamys;
Lazare,vociferor,iam nullius indige micæ.
Et dare iam melior,quam rogitare,ſtipem,
Te per ego,per,quicquid habes iam ditior,oro;
Huc ſtillam modicæ,quam potes,affer aquæ.
Affer,& arentem ſummo tenus imbue linguam;
Flumina,cùm dabitur ſtilla,data eſſe feram.
Ille nihil;ſed vultum ardens auertit;& aurem
Vocibus occluſit ſurdus vtramque meis.
Rurſus ego;per,quicquid amas,miſerere, breuéq;
Porrige,dum nimio torreor,igne manum.
Ille nihil Senior tamen hæc: Quid inania perdis
Vota,miſer?Seras mittis ad aſtra preces.
Digna luis meritis. Micam,crudelis,eidem
Non dederas: ſtillam non dabit ille tibi.
Ille famem paſſus,te commiſſante;ſitimque,
Te mera de plenis vina trahente cadis;
Paſcitur ambroſia nunc,te eſuriente,merique
Nectaris illecebras,te ſitiente,bibit,
Dixit, & ex oculis ſublimis vterque receſſit;
Speſque mihi æternam fecit adempta ſitim.
Audijt hos quæſtus feralis,vt aula tyranni,
Et fruſtra factas à ſitiente preces,
Protinus inſilijt legio Phlegethontis &,huius;
Plena tibi mellis pocula,dixit,habe:
Immanemque picis liquidę,plumbique diotam
Panda reluctanti fudit in ora mihi.
Parcite caupones funeſti,parcite: Nunquam
Hic ego,poteſt,nunquam,me ſitijſſe quærat.
Inde Megæra ſuas,tria monſtra iubata, colubras
Ingerit,inferno prandia cocta foco:
Et totidem informes ſanie ſtillante rubertas,
Et tria Lerneæ ſibilla colla feræ;
Hæc,ait,eſuriens ede fercula. Parcite: nolo.
Vſque fui prima iam dape,& vſque ſatur.
Cetera quid referam miſeræ ludibria vitæ?
Nil ea,quod placeat,nil,quod ametur,habet.

Le-

Lectulus,ecce mihi quem molli ſternere pluma
Sueuerat,& multa ſpargere verna roſa,
Sternitur ardenti iuxtaque infraque fauilla
Deſuper eſt tegetis pruna Sicana vicem.
Obſequio pars nulla domus famulante carebat,
Atque erat intento plena cliente cohors,
Hic, neque qui nutus mandataq; curet, habetur;
Et domini,in fumum verſus, abiuit honos:
Vanuit omnis opum congeſta potentia; req ue
Speque rei, æternum viuere cogor inops.
Mentior:æternum me nemo hic viuere cogit.
Æternum viuo cogor in igne mori.
Ante,per hortorum violaria culta vaganti,
Nexuit alternas Flora vel Aura moras,
Iam premit horendus nigrante voragine carcer,
Laſſatique terunt flammea teſqua pedes.
Quid? quòd Echionio præludere Muſica cantu
Sueuerat,ad ſomnos officioſa meos?
Qua ſine,mæſta dapum mihi fercula viſa fuere,
Condiret poſitas in chelys illa dapes:
Nunc miſeræ ſtridunt vlulato carmine voces:
Confuſoque gemunt barbara clauſtra ſono.
Horror vbique,& vbiq; dolor, clamorq; fragorq;
Quàm nihil hæc priſcę muſica vocis habet?
Fingite vos pratis vegetos errare Sicanis,
Atque meras inter vitam agitare roſas;
Muſica ſi veſtris tamen auribus occinat iſta,
Muſica millenas afferat iſta neces.
Afferat ò vtinam! mortem afferat omnibus illa.
Tunc mihi, ſit quamuis abſona,ſuauis erit.
Vos liquidos ſoles,vos aſtra minora, ſoletis
Lunaique ſtatas ſemper habere vices,
Et placidum rorem,& tepidi ſolatia veris,
Deque gelu alternos, deque calore,dies.
Cimmerijs caligo tegit nos ſpiſſa tenebris,
Nec dat ademta ſuam Luna, nec aſtra,facem.
Nos pro rore picem,piceumque bituminis imbrē,

Et

Et reſinatæ ſulfur habemus aquæ,
Orcus habet pro vere focum, ſoliq; ſinuntur
Hi Zephyri in noſtra flare Notiq; plaga.
Hinc verſi in rabiem, nos dente laceſſimus artus,
Membraq; agit demens in ſua quemq; furor.
Inſequimur diris, Solemq; diemq; Deumq;
Et quicquid tellus quicquid Olympus habet.
Suppeditat maledicta dolor; pergitq; dolores
Suppeditare nouos flamma, ſitiſq; nouos.
Sed quid ego multis flammamq; ſitimq; famemq;
Et mala, quæ cruciant, exteriora, quæror?
Pectora cognatus cum torqueat intima lictor,
Conſciaq; impaſtus viſcera vermis edat.
Plus ſatis hic mihi tortor erat. Sua ceſſet Erynnis;
Addere flagra meus, plura tyrannus habet.
Has ego vibices, occultaq; verbera paſſus
Tum quoque, cum vitæ ſpes ſuperaret, eram:
Sed toleranda mihi, nociturо robore, duxi;
Et ſtolidè patiens ad mea damna fui;
Me miſerum! ſtudijs quid iuuit inanibus horas,
Inq; iocis, ſolidos atteruiſſe dies?
Iam male præteritos reminiſcor, & execror annos
Defleoq; amiſſo tempora ducta lucro.
Vnica detur adhuc reuocabilis hora, ſub horæ
Vnius exigua, tentem ego quanta, mora?
Nulla laboris ibi detrectem tædia: nullum,
Quam graue cumq; feram, ferre videbor onus;
Sera nimis voueo: Tempuſq; dieſq; negantur:
Vnaq; quam voueo, non datur hora mihi.
Vos quibus vſus adhuc horæ datur illius: horæ
Vſuram exemplo ne violare, meo.
Sitq; mihi, mea pœna dolor; Sed fratribus illa
Perpetuus fiat, perpetuuſq; Timor.

IV.

ARGVMENTVM.

SVSPIRIA *hæc* Auguſtinus, *epiſtolæ vicem ad Cælites mittit: quorum felicitate captus, eodem magnis deſiderijs anhelat; & loci amanitate vbertateque deſcripta, nos vna ſecum, ad hauriendum* Perennis vitæ fontem *inuitat. Medit. S. Aug. & hymn. Petri Damiani.*

AVGVSTINVS æger,
Cælitibus.

DE PATRIAE CAELESTIS DESIDERIO.

HAec ego Cælicolis ſuſpiria muta patronis
  Flebilis è Lybico littore mitto cliens,
Ipſe aditurus eram;coramque rogare parabam,
  Quæ mea nunc tacita littera voce rogat:
Sed via perque auras,mediaſque per inu a nubes
  Reppulit audaces terque quaterque pedes,
Quid ſupereſt,dixi,toties,totieſque repulſo?
  Ire ego qua nequeo,nuntius ire poteſt.
Ire poteſt certè. Properet modò;& omnia vobis
  Deſerat arcani ſenſa legenda mei.
Sed mihi talis vbi continget nuntius? Illum,
  Illum ego,quà fas eſt quærere,quæro,via.
Charta rogata,negat: Penna ipſa,perita volandi,
  Tam ſublime tamen poſſe volare,negat:
Quin adeò,voces,& verba morantia,lentos
  Ad cælum mihi ſunt viſa mouere gradus.
Inueni demum SVSPIRIA. Vocibus iſte
  Nuntius,& pennis,aptior vnus erat.
Non alius poterat pernicior ire per auras,
  Nec liquidum cæli tam bene notat iter.

Ap-

Appendix etiam portatur Epiſtola; nulla
Scripta manu, ſolito nec meditata ſtylo;
Eſtque ea, non atro Lolliginis illita ſucco;
Sed, quanta eſt, lacrimis eſt perarata meis.
Hunc ſcio gratũ oculis cæleſtibus eſſe liquorem;
(Nam Minij vobis eſt color iſte vicem)
Tota dein gemitu Signatur Epiſtola noſtro:
Signa meam ſuerunt iſta probare manum.
Nomen omitto. Satis fuit hoc ſubſcribere: Nota
Aeger in Hipponis ſede colonus ago.
Quid rogitem; dictura breui SVSPIRIA queſtu,
(Si tamen à vobis illa legentur) erunt.
Pertæſum eſt (nec enim dubijs ambagibus vtar)
Pertæſum eſt longæ, qua traho fata, morę.
Exſilij graue preſſat onus, creſcitque ferendo:
Inque annos viuo triſtior, inque dies.
Altera vita placet: placet illa, ſimillima veſtræ,
Sidereos inter vita fruenda choros.
Fons vbi vitali ſaliens exuberat vnda,
Alternamque liquor pellit, alitque ſitim.
Illo ego fonte trahor. mens illo è flumine viuam
Et ſitit, &, ſpreto nectare, poſcit aquam:
Poſcit, vt æternis labra proluat ebria lymphis;
Ebrietas vitij ſola habet iſta nihil.
Corporis obſtantes ideò indignata recuſat.
(Heu! nimis anguſto carcere clauſa!) moras.
Suſpicienſque procul, Supera illa palatia; tentat
Ad patriam extorres irrita ferre pedes:
Et miſeris malè preſſa modis, circumſpicit; an ſit
Vlla capeſſenda peruia rima fugæ?
Hei mihi! cur morſo perijſti patria pomo?
Iam quoties lacrimis eſt reuocanda meis?
Atque vtinam lacrimis etiam reuocabilis eſſes!
Diffluerem vſque meas totus ego in lacrymas.
Mille oculos, & mille genas ſuper adderem, & ipſis.
Mille quod eſt oculis charius, atque genis.

Nunc geminus dolor eſt, duplicant quia fænore magno
Iacturam amiſſi tot mala parta boni.
Quis pacem illius patriæ, quis gaudia, narret?
O pacem! ô patriæ gaudia rapta meæ!
Non ibi plebeiæ caſa viſitur vlla tabernæ,
Nec premit auguſtum vile mapale ſolum:
Grandia conſurgunt, ſed vbique palatia Regum:
Regibus optandas parſque habet omnis opes.
Iſthmiaco ſtant ære fores: poſteſq; Smaragdus,
Et precioſa domus limina fundat Onyx.
Aurea tecta nitent; paries micat illitus auro:
Materiemque ſuam cedere forma iubet.
Atria beryllo cruſtantur, & aula pyropo:
Porticus innumeri lucem Adamantis habet.
Sternuntur radiante viæ plateæque metallo,
Lucentemque frequens incola calcat humum.
Argenti vileſcit honos: gemmæ omnia, gemmæ:
Has etiam viles copia mira facit.
Nulla locum infeſtant vllo contagia tabo:
Nulla lues illic, quam LVA purget, adeſt.
Non ibi Sole diem torrente Canicula vexat;
Sæuit, & hiberno bruma ibi nulla gelu.
Veris adeſt facies, quæ totum floribus annum
Pingit, & æternis induit arua roſis.
Vndique deſtillant opobalſama; lilia candent;
Et Crocus innocuo plurimus igne rubet.
Paſſim prata virent, ridet Seges obuia paſſim,
Et faciles riui, per ſata, mellis eunt.
Hic Nardi ſpiratur odos; hic rore beato
Nobilis Elyſium prodit aroma liquor.
Parturiunt Violā, & Caltham, & Colocaſia cāpi,
Et Caſiam, & pleno ſparſa liguſtra thymo.
Hic itidem felix, ab onuſtis pendula ramis
Poma fouet, Zephyro morigerante, nemus.
Vitiferi colles, & dulcibus vua racemis
Autumnum medio vere venire iubent.

At

At neque Luna ſuas,neque Sol,ibi mutat habenas,
Et variant curſus Aſtra ibi nulla ſuos.
Totum ibi conſpicuo dimanat lumen ab Agno,
Et Lunæ,& Solis fungitur ille vicem.
Nullam ibi habent noctes, nec habent vaga tempora ſedem,
Continui durant, continuique dies.
Quid memorem, poſitos illa intra mænia Ciues?
Ipſi omnes veſtem Solis ad inſtar habent.
Gemmiferis omnes redimiti tempora ſertis;
Victrici ter,io,voce. Triumphe canunt.
Et ſua ſecuri memorantes prælia,rident
Omnia lethææ tela hebetata feræ.
Sic,fuerunt ſæuo quæ decertata Nerone
Prælia tu,victo,Paule,Nerone,refers.
Sic,tibi,Petre,tuam,(quanta inter gaudia?) narrás
Spectatam in Iani colle fuiſſe Crucem.
Tuque tuam,Laurens,domita ſartagine,prunam;
Tuque tuam memoras,Bartholomæe,cutem;
Tuque tuos enſes,Cypriane,Sebaſte,Sagittas;
Ignes,Agna,rates,Vrſula,Thecla,feras.
Sic alij atque alij,ſua quiſque trophæa,ſubacto
Quæ ſtatuere ſibi de Phlegethonte,canunt,
Scilicet,exuti cognato pondere,nullas
A veteri poſſunt hoſte timere minas.
Quin etiam,quæ ſunt ibi corpora,fida perenne
Iam cum mente ſuum corpora fædus habent.
Lædere pars partem refugit,ſed compare voto
Mutua iuratæ commoda pacis amat.
Fæderis vt durent hæc gaudia,perpete mentem
Vbere,vitalis vena liquoris alit,
Quid, quòd abeſt morbi timor omnis? & exulat omnis,
Cedere ab intacto iuſſa Senecta loco?
Multus vbique vigor: nihil illic debile totam
Iure ſuo ſedem ſola Iuuenta capit.

Inde, nec vlla trium metuuntur penſa Sororum;
Actio Morti illo non datur vlla foro.
Vita ſed æterno ſancitur fœdere, quod mors,
Quamuis rumpatur, rumpere nulla queat.
Quæ porro patriæ eſt, & quanta ſcientiæ? Noſtis
Omnia ibi, Ciues: omnia noſtis ibi.
Mentis adeſt acies, quæ fraudi obnoxia nulli
Conſpicuum veri lumen vbique videt.
Non fugiunt animi vos ſenſa, nec abdita fallunt;
Alter in alterius; quæ videt eſſe ſinu.
Mens eadem cunctis, eadem omnia vota; boniq;
Quicquid habere poteſt primus, id imus habet.
Delicias quis deinde dapum, & bellaria narret?
Temperat ambroſius res ibi quaſque Sapor;
Non epulas ibi parca manus; ſed opima miniſtrat
Fercula; de pleno fercula promta penu.
O quales epulas; ô qualia fercula; ſordent
Omnia mortali prandia farta cibo.
Ite vagæ, aerium volucres genus: æquoris ite
Pinnigeri, & nullum rete timete, greges:
Sigmate cùm tali conuiua recumbere cæpit,
Iam nihil ad ſtomachum veſtra ſagina facit:
Panis adeſt vnus; ſed pane redundat ab vno
Quicquid vbique dapum nobile guſtus amat.
Inde licet, quod cuique libet, decerpere: Sed quo
Carpere cuique licet plurima, plura libet.
Ipſa ſolet ſaturare fames: Facit ipſa, repulſam
Continua ſatias arte redire, famem.
Talibus ô epulis mihi fas accumbere; ſolæ,
Implebunt tales omnia vota, dapes.
Iam, quod ibi, vocis variæ diſcordia concors,
(O Superi!) & quanta temperat arte melos;
Tale nec Aoniæ teſtudinis arbiter æquat;
Nec Methymneæ Lesbia plectra lyræ;
Nec, quem Biſtonio mentitur fabula cantu
Detinuiſſe pigra flumina ſurda mora.

Vocibus vnum illis, & idem omnibus argumentũ
Eſt DEVS : hoc ſolo Muſica plena ſono eſt.
Hunc iuuat aſſiduo,iuuat,vnũ hunc pſallere voto;
Materies ſuaues hæc facit ipſa modos.
Ecce autem ! dum plena ſonant hoc atria cantu;
Alternoque domus plaudit,& aula choro,
Candidus è cæli prodit penetralibus Agnus,
Quò nihil ipſa Dei mitius aula videt.
Agmina mille illum iuxtà,mille altera circùm,
Altera vicino mille ſecuta gradu,
Candida turba,omnes . Cyprijs intacta ſagittis
Virginis ora omnes,Virginis arma gerunt.
Quà ſe cumq; mouent,ſubito veſtigia flores,
Et calcata ſuas ſuggerit Hybla roſas.
Suauius hi carmen reliquis,imitabile nulli,
Voce,modos omnes exſuperante,canunt.
Pergite felices,ò pergite,cepta choraulæ
Carmina per longas continuare moras.
Quæ,ſi fortè nefas mihi erit ceciniſſe;profectò
Fas audire mihi,ſi faueatis erit.
Sed quid ego hos riuos, neglecto fonte,laceſſo?
Vnus inexhauſtas ille propinat opes.
Incontinua DEVM ſpectant ibi lumina, in ipſo,
Iam ſolita obtutus figere Sole ſuos.
Quas ibi res,quantaſque vident? Quod quiſque, videre,
Et,quod habere cupit quiſque ibi quiſq. videt.
Quæque oculi nunquam videre,nec audijt auris
Vlla,nec in mentis clauſa fuere ſinu,
Hæc ibi quiſque videt,gaudetque ardetq. vidẽdo.
Conſpectoque Deo,pæne fit ipſe DEVS.
Felices animos,quibus illud cernere Numen.
Et diuina oculis ora videre licet!
Quis mihi,quis pennas properanti accommodet? Ibo,
Ibo per aerias,ad iuga veſtra,plagas,
Inde Hyadas ſupra,ſupraq; ero Pleiadas:illic

Non Leo terrori,non erit Hydra, mihi.
Indidem ab excelſa ſtatio : te videbo rotari
Sub pede cæleſtes non titubante globos.
Quemque ego ſuſpicio nunc inter ſidera Solem,
Ille mihi è cælo deſpiciendus erit:
Et mea ſubtexet palleus veſtigia Luna:
Vos ſolùm,ò,ſocias vos mihi ferte manus.
Tuque loci felix optari Numen, in iſtos
Euehe cunctantem me,pie Chriſte,lares.
Ardeo dilectos iam dudum inuiſere cætus
Inque tua Ciues Vrbe videre meos.
Ardeo te dignas meditari,& dicere laudes;
Quas vtinam linguis dicere mille queam;
Mille velim linguas,titulis impendere mille;
Nec numerus voto par erit ille meo.
Annue,ſis,voto;placitoſque reclude penates. (eſt,
Queis ſine, (parua licet ſit) mora longa mihi
Hanc etiam,ò,quamcumque breuem,properātius
Et breuiore diem currere luce,iube. (vrge,
Functus vti ſtatione cita,belliqne ſolutus
Lege,triumphantes inter,& ipſe canam.
Tunc ego tunc,gemitus,& tædia nota relinquens
A lacrimis vdas eſſe negabo genas.

AR-

V.

ARGVMENTVM.

VALERIANVS Cæciliæ ſponſus, cæleſtem ephebum, ſponſę ſuæ cuſtodem, conſpicatus, repente, mortalibus valere iuſſis, mutatur; & Tiburtium Fratrem, ad eundem viſendum, aduocat pollicitus viſo cælite, omne rerum humanarum deſiderium, ei periturum. Sur. & Breuiar. Rom. 22. Nouemb.

VALERIANVS Sponſus, TIBVRTIO, fratri.

DE PVLCHRITVDINE CÆLITVM.

QVam legis, ex hortis tibi littera mittitur illis
  Seruat vbi noſtros Sponſa, iugata lares.
Mittere cogit amor. Nam quæ mea cūq; fuerunt,
  Gaudia, tota mei gaudia fratris erunt.
Fratris erunt certè. Et ditiſſimus inde videbor
  Vnde meus de me plurima frater habet.
Sed mea quæ fuerint, Tiburti, gaudia, quæris?
  Ipſe veni, atque oculis, quæ tibi narro, vide.
Narro tamen. Tædis mihi nupta iugalibus, ibat
  Virgo, ſuas cælo fundere ſueta preces.
Inſequor. Arcano ſuberat penetrale receſſu,
  Quo procul eſt omnis turba remota loco.
Hic ea, ſi dictis faciles, ait arrigit aures,
  Quæque loquar, Samia lege tacere voles?
Pandam mira tibi, quæq; ipſe fatebere, rebus
  Quondam operæ precium grande tuliſſe tuis.
Annuo; rem ſidis committat vt auribus. vnum

Signatum arcani te tamen eſſe ſinat.
Gnarum, ait, eſſe ſinam. Tum ſic exorſa, modeſto
Confudit niueas picta rubore genas.
Cælitibus magnis curæ ſumus, optime coniux,
Depulit vt primo me mea lacte parens;
Aliger è ſuperis exinde tuetur ephebus;
Quo ſine nuſquam vllum profero teſte pedem,
Ille meos ſeruat ſuſpenſo lumine greſſus,
Ille omnes nutus, omnia verba, notat.
Sed vigil in primis, thalami penetralia curat,
Tutus vt à Cyprio ſit meus igne pudor.
Ipſe tuo, ipſe meo formoſior ore: ſed arcet
Vndique mortales conſcia forma procos.
Virginis ora refert animoſque habituſque: videri
Nec niſi con ſimili virginis ore ſolet.
Denique virgineis ò qual a moribus offert
Præmia; mortali vix capienda ſinu.
Sin temerare fidem, Gnidijſque petita ſagittis
Auderem humani fœdera malle tori,
Tum capiti mala mille meo; thalamoque minatur
Altera mille; meo millia plura viro.
Quare age, ſiue minas reuerere volucris Ephebi,
Grand a ſiue noui dona fauor s amas;
Mecũ ades, & Virgo cum coniuge virgine coniux
Viue libens: Caſto fœdere duret Hymen.
Dixit, & os lacrimis perfuſa rigauit obortis;
Preſentauitque meos prona virago pedes.
At mihi, neſcio quis, per corporis Intima lapſus,
(Has vbi nupta preces finijt) horror ijt.
Mutatique omnes, vno velut impete, ſenſus
Iuſſerunt thalami vota valere mei.
Totus in aligerum rapiebar, vbi eſſet, ephebum,
Hunc auidæ votum cernere mentis erat.
Rumpe moras, dixi, meque hoc, age, cælite viſo
Et Sponſum; & Caſtum, & quidlibet eſſe iube.
Illa, videbis, ait. Vix alter & alter abactus
Inde mihi (centum rebar ego eſſe) dies,
Ecce

Ecce tibi! (ò oculis, ò centum digna theatris,
Tiburti? ò oculis forma videnda tuis!)
Ecce tibi! clauſum ſubit æthere lapſus ab alto
CECILIÆ felix in penetrale puer;
O qualis, Superi, qualis puer ille! Tegebant
Obſcurata ſuas aſtra minota faces.
Parrhaſis erubuit, latuit Cyllenius ignis,
Et minus illuſtri Lucifer ore fuit.
Serica velabant generoſum vellera pectus,
Fluxerat in niueos aurea læna pedes.
Gemmea mordebat Melibæam fibula veſtem,
Et chlamys ignota picta nitebat acu.
Linibus Erythrei, circundabat ima lapillis;
Totaque diuinum forma probabat opus.
Singula quid memorem? cùm dixerò millia centũ,
Millia plus centum ſunt reticenda mihi.
Talia veſtis erant. Sed formam corporis ipſam
Quærere, Tiburti, deſine; forma vetat.
Omnia Mæoniæ ſi ſint mihi flumina linguæ,
Arpinaſque meo Romulus ore tonet;
Illius exiguam vix ſperem attingere partem;
Dicere ni vero verba minora iuuet.
Aurea Cæſaries humeros vmbrabat; & auro
Concolor, vtroque in tempore, ciunus erat:
Omnia naturæ, nihil artis: Eburnea ceruix;
Collaque non tacta candidiora niue:
Frons radijs, vultùs maioribus æmulus aſtris,
Aemula natiuis bina labella roſis.
Ambroſius color ora, vigorque perennis habebat;
Pinxerat impubes prima iuuenta genas.
Lumina certabant Soli Lunæque ſed illis,
Iudice me, primas Lunaque Solque dabant.
Par linguæ vociſque modus; par gratia geſtus,
Cæliteque, & digiti, & celite digna manus.
Denique cuique ſuus parti decor, omniaque vnũ
Membra merùmque mihi viſa fuere iubar.
Tu tibi Phidiaco cælatum marmore ſignum

Omnibus artificum nobile finge notis.
Huic tamen illud vbi compones marmor ephebo,
Sordebunt oculis omnia ſigna tuis.
Ille igitur tali ſpecie vt puer adſtitit ales,
Vertit ad obtutus ora ſerena meos;
Ignotoque duas è flore roſaque corollas
Monſtrat,& has ſponſis porro duobus,ait.
Texerunt manibus Charites cæleſtibus ambas;
Par aliud nunquam Flora peregit opus.
Nullo ſole color,nullaque ætate ſeneſcet,
Inque ſuo æternus flore vigebit odor.
Hæc placida mihi fronte puer. Sertoque gemello
Induit,inde meum,Virginis inde,caput.
Non ego Gnoſiacæ quondam precioſa coronæ
Maluerim capiti ſerta data eſſe meo.
Nam ſenſus ſimul ille meos odor imbuit,omnis
Vanuit humanæ conditionis amor.
Mille mihi Siculis cantent Sirenes in vndis;
Mille meæ ceras iam ſinus auris habet.
Clamabit vacuam cæcus Puer eſſe pharetram,
Matriſque imbellem ſentiet eſſe facem.
Intemerata toris ſtabunt connubia: viſis
Cęlitibus cęlebs viuere diſcit Hymen.
O ſerò monſtrata mihi ſpectacula! Dudum
Debueram Pueri hæc ora videre puer;
Tunc oculis & Arena meis caruiſſet & inſons
Tentaſſet nunquam ſcire theatra pudor.
Et neque me Campus traxiſſet,& improba Circi
Iuſſiſſem ſtudijs ludicra abeſſe meis.
Hei mihi! quanta meæ perijſtis tempora vitæ;
Noxia dum Latio lumina paſco foro!
Iam ſpectaſſe pudet. Veniam,date lumina,mecum
Vos ego ſola dehinc aſtra videre ſinam.
Aſtra videre placet, quibus huc mihi talis ab A-
Et puer,& capiti miſſa corona venit. (ſtris
Indigenas ibi mille pares,& millia centum,
Atque iterum centum millia,Campus habet.

Fas mihi ſit numerũ,Superi,hũc augere ! Vel vno
Plus ego ; vel centum è millibus vnus ero .
His quoq;Tiburti,precor,his ſuper additor alter ,
Per fratres numerus creſcat vt ille duos ,
Tunc mea,quæ vel erũt,vel quæ mea cũq;fuerũt.
Gaudia,tota mei gaudia fratris erũnt .
Fallor enim,aut certè ſimul hũc ſpectabis ephebũ
(Et poteris ; tantùm , ſit mora nulla) veni .
Ocyus & vani fugies tua gaudia Circi ,
Inque mei, dices, nil placet vrbe remi :
Sola ſed Aſtra placẽt,quib.huc mihi talis ab Aſtris
Et puer,& capiti miſſa corona venit .
Hęc,ſcio,Tiburti,longeque his pluria dices ,
Illa videnda tibi cùm dabit ora Puer .
Et dabit illa tibi, non fallimur . Ipſe rogabo .
Audiet ille meas,Cęcilięque preces
Audiet imò tuas,tali eſt puer indole : Caſtis
Ipſe venire priùs quàm iubeatur, adeſt .

ARGV-

VI.

ARGVMENTVM.

DOROTHEAM *Virginem, cùm ſumma hieme ad cædem raperetur, Theophilus deriſerat, quod illa, in ſponſi ſui hortulos tendere ſe diceret. Ibi Sannio, mitteret ergo flores inde fructuſque ſibi aliquis, horti ſui fatus. Illa, miſſuram ſe pollicita, miſit. Theophilus miſſo cælite, & viſo flore ſtupefactus; ipſos videre hortos concupijt. Ergo Chriſtum confeſſus, ſerio occubuit, & ad Dorotheæ hortos peruenit. Spondanus anno 304. num. 14. Sur. 6. Febr.*

THEOPHILVS Aduocatus DOROTHEAE Virg. Mart.

DE CÆLITVM ROSIS.

QVos mihi miſiſti, cæleſtia munera, flores,
Lectaque de ramis mitia poma tuis,
Illa tuus mihi (teſtor) heri, cum fortè vagarer.
Detulit, ingenuo nobilis ore Puer.
Detulit attonito. Nam nec ſatis, ille quis eſſet,
Quæque vel vnde forent, munera, gnarus eram.
Ecquis enim, hiberno videat ſeu ſtantia vitro
Flumina, ſeu cano prata ligata gelu;
Seu iuga denſatis nemorum ſquallere pruinis;
Seu niuea preſſum mole rigere ſolum:
Ecquis ibi, teneros, hortenſia munera, fætus,
Aut hiemi ignotas ſperet habere roſas?
Attulit ille tamen. Socij obſtupuere roſæque
Et noua portendat quid mihi poma? rogant.

His

His ego(da veniam,Cæli decus) omnia dixi:
Rerum erat hic Series nulla tacenda mihi:
Dorotheæ,dixi,venit hoc mihi munus ab horto;
Illius hi flores,illius iſte Puer.
Has ibi Virgo roſas,atque hæc ibi mala (recentes
Ruris opes)omni creſcere menſe videt.
Ille,nec hibernos,Aquilonia murmura, ventos,
Tædia nec noſtri frigoris Hortus habet.
Sed veris violas ſolet,autumnique racemos.
Et mera Pomonæ gaudia ferre, locus.
Ipſe tamen potui ridere,bonaque puellam
Eſſe inopem mentis credere,mentis inops,
Cùm traheret nexis illa inter vincula palmis,
Dederet vt iuſtæ,turba ſceleſta,neci;
Ipſa,nihil deiecta,viam carpebat; ad omnes
Læta ſuæ mortis viſa ſalire minas,
Non minus,ac patrio ſolita eſt per littora ritu
Ducere ſecuros virgo Lacæna choros.
Stant ſociæ,& gemitu,quid vitæ prodiga,clamant
Quid properas? via quò deſinat iſta,vide.
Deſinit irriguos,ait,hæc via lenis in hortos;
Pictus vbi æterno vere perennat ager.
Campus odoratas illic abit omnis in herbas;
Et croceis operit floribus aura ſeges,
Ambiguos ibi pugna tenet ſuauiſſima ſenſus;
Hos color,hos alia parte laceſſit odor.
Hic violam tondebo manu,chaltamq; thymumq;
Deque roſa molli plena caniſtra legam.
Nec deerunt auidis argentea lilia votis,
Nec fugient digitos alba liguſtra meos.
Siue Therapnæo generatum ſanguine quæram,
Siue mihi florem quæram.Amarante,tuum,
Copia floris erit.Mihi ſuauis Amaracus illic,
Illic,ſi cupiam,mollis Acanthus erit
Quid pyra?quid dulci melimela madentia ſucco?
Milleque de ramis pendula poma ſuis?
Nulli aberunt fructus: Omnis mihi ſeruiet arbos:

Vix penus innumeras vlla recondet opes. (ra,
Nā quod Hymettus habet, vel habent Phæacia ru-
Id meus, & multò plus, meus hortus habet.
Deſinit in talem via, qua de quæritis, hortum,
Iſta meæ non eſt meta pigenda viæ,
Sponſi inuitat amor. Iubet hac decurrere, ſi qua
In dotale velit ſponſa venire nemus.
Maturemus iter. Comitum ſi fortè recuſet
Vlla ſequi; noſtrum nulla moretur iter.
Finierat virgo. Stolidi ego protinus illud
Et nemus, & nemoris carpo roſeta iocis.
O bona, clamabā, ſimul hos penetrabis in hortos,
Implebuntq; tuos poma roſæq; ſinus,
De calathis, rogo, prome tuis (nam copia reſtat)
Prome libens aliquas, & mihi mitte, roſas.
Nempe ego delicias, cæli inter frigora, vernas,
Putida deliræ ſomnia rebar anus.
At non illa iocis iridem mihi talibus; Horti,
Ne dubita; noſtri dona videbis, ait.
Sic moritura, mihi! Nec plura morata, refectum
Depoſuit, fuſo læta cruore, caput.
Aduolat exemplo Puer; os oculoſq; manuſq;
Membraq; mortali pulchrior ore puer.
Alligeri extabant humeris color aureus alis,
Cæruleus manicis, veſtibus albus erat.
Baltheus ambibat croceo ſtellatus acantho;
Picta cothurmatos texit aluta pedes.
Vimineus læua calathus pendebat ab vlna,
Quem Sindon phrygia facta tegebat acu.
Vtq; ſtetit, porrecta manu propiore caniſtra
Obtulit; & paucis, hæc tibi, dixit, habe.
Florea dotali quæ dona remittit ab horto
Dorothea; (ante tuo dona petita ioco)
Miſit dona libens: Sed in ipſo plura roſeto,
Et meliora cibi creſcere dona, monet.
Erige te, felix; nec in vno munere ſiſte,
Tota ſed illa oculis viſere prata ſtude.

Dixit, & ætherias abijt ſublimis in auras.
Quàm cupij pennas tunc habuiſſe pares?
Vtq; oculos tandem puero à fugiente remoui;
Aggredior calathi dona videre mei.
Inuenio, quæ poma DEVS! Color omnibus auri;
Omnibus Aſſirij roris inhæret odor.
Omnibus Ambroſiæ ſapor. Et, ſi nectaris vlla
Poma ferunt ſuccum, ſuccum ea poma ferunt.
Mox video, & velo ſumma de parte reducto,
Veras, hiberno tempore, veris opes.
Nec noſtri modò veris opes, Meliloton, Anethũ
Et Violam, & Thymbram, & quem parit Hybla, Thymum.
Liliaq; aut Calthas, aut, altera nomina, flores
Quos neque Corycius curet habere Senex:
Sed quibus Elyſij redolent violaria campi;
Et quibus hic noſter par nil orbis habet.
Ite roſæ ite croci, morituri gloria ruris.
Altera perpetuo prata colore virent.
Quorum ego cum flores tetigiſſem pollice sũmo
Obuia tam grati copia odoris ijt,
Vt, vel odoratæ ſegetis quod olentibus aruis,
Vſtus ab aſſiduo Sole recondit Arabs,
Vel quod Trinacrijs exhalat floribus Hybla,
Vel Corcyreus vere quod hortus olet,
Vilius acciderit morientis odore lucernæ,
Et putrida ſtagnat ſi qua Mephitis aqua.
Nempe,odor aut nõ eſt cæleſtibus vllus in hortis,
Aut ibi ſiquis erit, certè ibi talis erit.
Ergovalete mei,quondam agmina chara, ſodales,
Et, malè quod riſi, vos bene amate, nemus.
Sic ego tum Socijs, mirantibus omnia, dixi
At, modò quid potero dicere, Virgo tibi?
Si mea lingua ſui veniam temeraria dicti
Speret, ego veniam ſupplice voce rogem.
Nã riſiſſe pudet, nimis ah! pudet. Improbus illas,
Quæ pia miſiſti, riſi ego, virgo, roſas,

Sed

Sed quia prona graues cæli indulgentia culpas
  Excipit, & meritis eſt minor ira meis,
Tu ſaltē, heſternos, mea lacrima plecte cachinnos
  Ac, niſi ſufficiat lacrima, plecte cruor.
Commerui. Huc ferrum, ferrum vibrate Tyranni,
  Veſter in hoc iugulo nolo ſit enſis hebes.
Non timet elatas moritura puella ſecures,
  Dum ſubeat ſponſi florea rura ſui:
Sed quà non potuit per rumpere ſola, patentem
  Ipſa ſibi veſtro reperit enſe viam.
Nolo, puella mea ſit fortior illa iuuuenta;
  Fæmina quà præijt, quis timor ire viro?
Ibo vir, ibo. Tuos mihi mittere omitte miniſtros
  Nympha, de hinc: lectas mittere parce roſas,
Cras ego monſtrati nemoris violaria viſam
  Ipſe: & odora meo pollice prata metam.

Finis Libri Primi.

PROGRAMMA AD S. FRANCISCVM XAVERIVM.

LOIOLÆ comes & cliens, Eoi,
Magnum gentibus vltimæque fuſcis
Exortum iubar Indiæ colonis:
Cæleſti placidos ab axe vultus
Huc aduertere ne grauare: Magno
Indignus LIBER indiget Patrono:
Maiori tamen AVCTOR. Ille totos,
Queis, Maura cute & ore nigricantem
Portaſti Æthiopem arduus, ſibi alter
Supponi rogat Æthiops, lacertos.
Quamquam non eget, æquoris minaces
Portari per Atlantici procellas,
Nec Scilas per, & inuias charybdes:
Sed VITÆ per inhoſpitæ nocentes
Plus mille inſidijs doliſque Syrtes.
Hic Atlante opus eſt, & hic patrono:
Quem ſi non potis eſt habere vterque
Et Libri ſimul AVCTOR, & LIBELLVS,
Prona eſt optio: Dum iuuetur vnus
Te, Franciſce, ſuo AVCTOR à patrono,
Toti fas erit interire LIBRO.

HEROVM EPISTOLÆ
LIBER SECVNDVS.
De priuatis quorundam Calamitatibus.

I.

ARGVMENTVM.

EVSTACHIVS, *familiæ cladem deplorat; qua ex opulento repente miſer, cum coniuge liberiſque profugerit; ſed in fuga, Vxorem ſibi nauta; liberos hinc leo, inde lupus eripuerint. Somniaſſe tamen ſe ſcribit, omnes incolumes recepiſſe. Somnium euenta non ſperata comprobarunt Breu. Rom. 20. Sept. Sur. ibid. Baron. ann. 12.*

EVSTACHIVS Pater orbus; Mauro Romano.

DE LIBERORVM IACTVRA.

NON cupis eſſe tuo pereunte Superſtes amico
Sed properas fató,Maure,perire meo.
O meritum meliora caput! Mihi ſedula planctus
Rettulit,& gemitus nuntia fama tuos.
Diceris,abrupto me ſæpe requirere ſomno,
Et mecum infracto murmure multa loqui:
Atq;alios,vbi ſim? atq;alios,quis abegerit? & quæ
Illa meæ fueris,quærere,cauſſa fugæ?
Cauſſa fuit qualem tibi coràm aperire volebam;
Sed

Sed meus impediji promere verba pudor.
Nunc durata malis ſunt pectora: quæque pudebat
Dicere tunc, abſens ſcribere verba ſinor,
Cauſſa fuit, rerum facies mutata mearum;
Aulaque in informem regia verſa caſam.
Abſtulerat famuloſque lues; Libitinaque ſeruos
Hauſerat; & pecudum mors inopina greges,
Et reliquas vexarat opes fortuna: breuique
Redditus e Cræſo diuite Codrus eram.
Sed cecinere mihi prius hanc oracula ſortem:
Edita quæ tali fortè fuere modo:
Qua præceps Anio rapitur, Nilumq; Latinus
Æmula mentitur per Catadupa fragor,
Stabat villa, meo domus opportuna receſſu;
Proxima Tiburtes inter, amæne, lares.
Huic ego ſubiectas oculis dum examino valles,
Et video Latijs ſparſa vireta iugis,
Venandi ſubit ardor; & ocyus arma, viri, arma,
Retiaque & comites huc mihi clamo, canes.
Bella feris indico. Feris indicta, repente
Bella; viri, & Iuuenes bella repente parant.
Egredimur: Iam villa procul, procul alta Catilli
Mœnia: vicinum iam nemus vmbra dabat.
Irruimus ſiluam, cinctoque indagine ſaltus:
Fouerat innumeras intima ſilua feras.
Tum dare ſigna duces: Iuuenũ ruere ardua pubes;
Et latrare canes, & trepidare greges
Fit fuga: perque omnes ſternũtur inertia campos
Agmina: pars iaculo, pars cane victa cadit.
Nõ leporem virgulta tegunt: nec inhoſpita damas
Culmina: Setigeros nec ſua vallis apros.
Hàc hominum curſus, hàc fertur odora canũ vis;
Prædaque diuerſos & ſua quemque, rapit.
Illic Capra iugis deiecta minacibus; illic
Cingitur obiectis anxia Ceruia plagis.
Iamque adeò, dũ quiſque ruunt in deuia, Ceruus
Per nemus aeria fertur inane fuga:

Fer-

Fertur. Ego. Socij; vos cetera turba moretur:
Hæc,aio,hæc noſtra eſt præda petenda manu.
Inſequor inde ferox. Fugit ille ferocior. Et quà
Inuia cuique foret,peruia vtrique via eſt.
Sæpe feram ferro,iaculoque volante laceſſo:
Irrita ſed ferri vis iaculique fuit.
Vltima lunato tamen vt direximus arcu
Tela,fatigatæ iam prope terga feræ.
Immani ſeſe illa,ſupra Marpeſia ſaltu
Saxa (putes alis non caruiſſe leuat.
Bellerophontei ſic viſa volaſſe caballi
Vngula,Pegaſias cùm fodiebat aquas.
Vtque pedem poſuit ſublimi in rupe, nec vllos
Eminus à pharetra credidit eſſe metus:
Reſtitit; & verſo directa ad ſpicula vultu,
Ardua,cornigerum tollit in alta caput.
Hic video monſtrũ (monſtrũ admirabile!) fixam
In medijs Cerui cornibus eſſe Crucem:
Inque Crucis ſumma fixum video arbore Nu mẽ:
Sed plenum innumero vulnere Numen erat.
Attonitæ cecidere ſtatim mea tela,ſagittæ,
Cæteraque in manibus diriguere meis.
Hæret in obiecta,ſuſpenſus,imagine vultus,
Atque animum ſenſus deſtituere ſui.
Dumque amens inhio:cæpere ſoluta repente
Fatidici mecum Numinis ora loqui.
Quæ mihi! quæ (ſuperi!) DEVS ille, & qualia cæpit.
Dicere? verba ingens ſingula pondus erant.
Da veniam. Non ipſe tuus ſi commodet ora
Tullius; illa Dei dicta referre queam.
Inde tamen clades (nam cetera parco) futuras,
Et caſura meæ noram ego fulcra domus.
Noram equidem: Sed quando forent caſura, quibuſque
Quotq; ea fulcra modis,tunc mihi noſſe nefas,
Interea ex oculis vbi viſa receſſit imago,
Fu-

Fugitque illa ſpei debita præda meæ,
Ipſe relinquo nemus, ſocijſque ex valle receptis
Ad mea laſſatos prędia verto pedes,
Biſdenos ibi dego dies; cùm lenta ſubegit
Hinc hominũ, hinc pecorum funera flere, lues,
Mox aliæ ex aliis, capto velut, impete clades
Abſumſere meas, non leue fulmen, opes.
Iamque ſuper ſola vxor erat, patriſque gemella
Pignora; nondum annos pignora nata duos.
Quacumque aſpicio, merum vbiq; occurrit inane
Viſaque res tota ſpeſque migraſſe domo.
Erubuit fortuna meos mutata Sodales;
Erubuit cætus vxor egena ſuos.
Quid facimus, coniux? Alium fuga fiat in orbem,
Externoſque inter vita trahatur inops.
Non dolet ignoti, peregrinos inter, egeſtas;
Pauperies noti diuitis, illa dolet.
Dixi ego. Nec dictis perterrita reſtitit vxor;
Quà mihi cumq; præis, hac comes, inquit, ero.
Ergo iter ingredimur, plenæ qua cornua lunæ
Monſtrauere breues ad maris alta vias.
Prole ſed è gemina, patris vna ſedebat in vlnis,
Sarcina maternos preſſerat vna ſinus.
Hanc profugi pompam ſtans littore cymba recepit,
Carbaſa veliuolo cymba datura ſalo.
Soluimus; & portus, Italaſque relinquimus arces,
Acturi fragilem per freta vaſta ratem.
Interea crebris agitari fluctibus æquor,
Et fremere alternis ventus, & vnda minis,
Iamque aliis, cæli vicinia tacta, procellis;
Atque alijs tellus fiſſa patebat aquis:
Ipſa dies atra noctis circumdata palla
Omnibus inſtantis nuntia mortis erat.
Nos duplices Aſtris (quæ ſe tamen ipſa negabant)
Inſimul effuſo tendimus imbre, manus.
Auditæ poſt multa preces; tumidique reſedit

Ira

Ira maris; ceſſit nox, rediijtq; dies.
Proſpicimus terram. Sed barbara littora circùm,
Barbariorq; omni littore nauta fuit.
Nam, ſimul exſcendi, natoſq; e puppe recepi,
Reppulit infidam à littore nauta ratem.
Reſpicio, natoſnè parens, vxorq; maritum
Pone ſequatur? Abeſt vxor, abeſtq; parens,
Illam obluctantē, ſuperoſq; hominesq; vocantem
Abſtulit ex oculis perfida cymba meis.
Perfide verte ratem: thalami pars altera noſtri
In refugo eſt cymbæ linere relicta tuæ
Cum, dicto inſilio: puppimq; per æquora longe
Coniugis ereptæ cæcus amore ſequor.
Vxor & ipſa mihi longè occurſura parabat
Nare per infeſtas, ſi ſineretur, aquas.
Iniectæ vetuere manus. Neque noſtra, carinæ
Æquabant celerem brachia lenta fugam.
Ergo redux, & inane querens, ad littora tendo,
Spes vbi depoſitæ bimula prolis erat.
Hic mihi, quos animo dicam incubuiſſe dolores,
Exciperem infantes cùm ſine matre duos?
Baiulus infelis! qua quemq; in parte locarem?
Indiguit toto patris vterque ſinu.
Diuidor: & geminam ſuppono infantibus vlnam.
Pondere, quæ nunquam eſt viſa minore premi.
Atq; vtinam vt geruli licuit mihi munere fungi,
Ferre ita nutricis mi licuiſſet opem?
Totus opem pueris, inpranſo patre tuliſſem,
Fructus vt altricis credere eſſe vicem.
At neq; lactis erat, ſolitæ neq; copia pultis:
Sola ſed in ſterili creuerat alga ſolo.
Progredior lacrimans; Sabuliq; per inuia laſſus
Non exploratum carpo viator iter.
Ventum erat ad vaſtum ripis decliuibus amnem?
Glandiferum in ripa ſtabat vtraq: nemus.
Pons nuſquam,& nuſquā vacuæ ſpes vlla carinæ;
Vnda erat inuento traijcienda vado.

Et

Et facilem daret vnda viam, ſi remige corpus
Nare manu, medijs penſile poſſet aquis:
At pueris aperiret iter, quæ lympha, duobus
Non capiet ceruix, ſi natet, vna duos.
Ergo vel alternas timidi patris occupet vlnas
Sarcina; vel neutri peruius amnis erit.
Occupet alternas potius. Diuiſa, ſeorſim
Pondera, transferri forſitan vnda ſinet.
Sic ego dimidium depono crepidine pondus;
Dimidiumque humeris pondus adopto meis;
Nec mora: ſollicitis vada quæro latentia plantis;
Vix totum ex alta dum caput extat aqua:
Et penetro aduerſam traiecto flumine ripam;
Atque ibi in herboſo pignora pono ſolo.
Mox timidum ſtudio properante remetior amnē;
At, miſerè in medio perditus amne fui.
Namque ibi dum luctor cum gurgite; cæpit vterq;
Vagire inſolitum, ripa in vtraque, puer;
Et lingua matrem titubante patremque vocare.
Erigor, atque oculis littus vtrumque lego:
Bellua plorantem in puerum furioſa ruebat
(Monſtra Lycaoniæ credo fuiſſe feræ)
Quæ citius, quam ferret opem mea dextera, raptū
Ad ſua conuerſo ſuſtulit antra gradu,
Inſequor, & querulis dum vocibus omnia turbo,
Fertur ab immani præda voranda lupo.
Iamque è conſpectu, cum pignore bellua rapto
Fugerat, heu! membris bellua paſta meis;
Quam, miſer ærumnas ego tales inter omiſi
Implorare hominum cælituumque fidem?
Hoc ſcelus, hoc, exclamo, meū eſt. Ego bellua nato
Ipſe meo, ipſe lupi dirior ore fui.
Obiecto poteram defendere corpore, & vltro
Pro pereunte nocens prole perire pater.
Quis ſtupor, infantem deſertæ credere ripæ?
Debuit ille meo nuſquam abijſſe ſinu.
Cur ego non ambos vna ceruice ſubini?

Ira maris; ceſſit nox, redijtq; dies.
Proſpicimus terram. Sed barbara littora circùm,
Barbariorq; omni littore nauta fuit.
Nam, ſimul exſcendi, natoſq; e puppe recepi,
Reppulit inſidam à littore nauta ratem.
Reſpicio, natoſnè parens, vxorq; maritum
Pone ſequatur? Abeſt vxor, abeſtq; parens,
Illam obluctantē, ſuperoſq; homineſq; vocantem
Abſtulit ex oculis perfida cymba meis.
Perfide verte ratem: thalami pars altera noſtri
In refugo eſt cymbæ linere relicta tuæ
Cum, dicto inſilio: puppimq; per æquora longe
Coniugis ereptæ cæcus amore ſequor.
Vxor & ipſa mihi longè occurſura parabat
Nare per infeſtas, ſi ſineretur, aquas.
Iniectæ vetuere manus. Neque noſtra, carinæ
Æquabant celerem brachia lenta fugam.
Ergo redux, & inane querens, ad littora tendo,
Spes vbi depoſitæ bimula prolis erat.
Hic mihi, quos animo dicam incubuiſſe dolores,
Exciperem infantes cùm ſine matre duos?
Baiulus infelis! qua quemq; in parte locarem?
Indiguit toto patris vterque ſinu.
Diuidor: & geminam ſuppono infantibus vlnam.
Pondere, quæ nunquam eſt viſa minore premi.
Atq; vtinam vt geruli licuit mihi munere fungi,
Ferre ita nutricis mi licuiſſet opem?
Totus opem pueris, inpranſo patre tuliſſem,
Fructus vt altricis credere eſſe vicem.
At neq; lactis erat, ſolitæ neq; copia pultis:
Sola ſed in ſterili creuerat alga ſolo.
Progredior lacrimans; Sabuliq; per inuia laſſus
Non exploratum carpo viator iter.
Ventum erat ad vaſtum ripis decliuibus amnem?
Glandiferum in ripa ſtabat vtraq: nemus.
Pons nuſquam, & nuſquā vacuæ ſpes vlla carinæ;
Vnda erat inuento traijcienda vado.

Et

Et facilem daret vnda viam, ſi remige corpus
Nare manu, medijs penſile poſſet aquis:
At pueris aperiret iter, quæ lympha, duobus
Non capiet ceruix, ſi natet, vna duos.
Ergo vel alternas timidi patris occupet vlnas
Sarcina; vel neutri peruius amnis erit.
Occupet alternas potius. Diuiſa, ſeorſim
Pondera, transferri forſitan vnda ſinet.
Sic ego dimidium depono crepidine pondus;
Dimidiumque humeris pondus adopto meis;
Nec mora: ſollicitis vada quæro latentia plantis;
Vix totum ex alta dum caput extat aqua:
Et penetro aduerſam traiecto flumine ripam;
Atque ibi in herboſo pignora pono ſolo.
Mox timidum ſtudio properante remetior amnẽ;
At, miſerè in medio perditus amne fui.
Namque ibi dum luctor cum gurgite; cæpit vterq;
Vagire inſolitum, ripa in vtraque, puer;
Et lingua matrem titubante patremque vocare.
Erigor, atque oculis littus vtrumque lego:
Bellua plorantem in puerum furioſa ruebat
(Monſtra Lycaoniæ credo fuiſſe feræ)
Quæ citius, quam ferret opem mea dextera, raptũ
Ad ſua conuerſo ſuſtulit antra gradu,
Inſequor, & querulis dum vocibus omnia turbo,
Fertur ab immani præda voranda lupo.
Iamque è conſpectu, cum pignore bellua rapto
Fugerat, heu! membris bellua paſta meis;
Quam, miſer ærumnas ego tales inter omiſi
Implorare hominum cælituumque fidem?
Hoc ſcelus, hoc, exclamo, meũ eſt. Ego bellua nato
Ipſe meo, ipſe lupi dirior ore fui.
Obiecto poteram defendere corpore, & vltro
Pro pereunte nocens prole perire pater.
Quis ſtupor, infantem deſertæ credere ripæ?
Debuit ille meo nuſquam abijſſe ſinu.
Cur ego non ambos vna ceruice ſubiui?

C Ferre

Ferre ſimul geminum non prohibebar onus.
Ipſa feros poterat pia ſarcina ſiſtere fluctus.
Parſurus geminis fratribus amnis erat.
Talia vociferans,repeto vada fluminis: &, qua
Filius alter adhuc parte iacebat,eo:
Et mecũ,hunc,dixi,certi hunc fortuna relinques
Nam,fratre amiſſo & matre,ſuperſtes hic eſt.
Heu! nihil humanis fas quemquam fidere votis!
Sublata hæc etiam ſpes mihi reſque fuit.
Dum loquor,è denſis, ecce! altera bellua ſiluis
Proſilit,impexis bellua fulua iubis
Non Maſſyla pares iuga, nec Getula. Leones
(Vtraque monſtrorum ditia regna) fouent.
Hoc magis, obſtantes ego territus ire per vndas
Occupo,& ad ripe valla venire prior.
At nimis hæc etiam ſtudia,heu nimis irrita! Prolẽ
Præripit immanis,patre vidente, Leo.
Præripit, & pleno victor mea pignora rictu
Accelerat catulis pabula ferre ſuis.
Hic ego ſemianimis viduatæ in margine ripæ
Depoſui vita triſte labante caput.
Non aliter,quàm genua labant, cũ ſanguine fuſo
Intima vitalis deſerit oſſa calor.
Vt rediret tamen longo poſt tempore ſenſus,
Et nemo eſt oculis viſus adeſſe meis;
Hic tandẽ,hic totũ,fortuna, exclamo, triumphas.
Quicquid erat,tolli quod mihi poſſet,habes,
Vna mihi Coniux;natique fuere gemelli;
Eſt data pars Nautis, pars data præda feris,
Maiorine pater ſeruandus præda tyranno eſt?
Qui magis & Nautis ſit ferus,atque feris? (bi
Ah! mihi,quiſquis erit minus,ah! minus ille noce-
Quàm nocuere prius Nauta,feræque mihi,
Fac,fodiat iugulum ferro; ſenſiſſe negabo:
Eſt modò fulminibus vita perempta tribus:
Nec nouus ad plagam ſupereſt locus. Hoſtis, vt vltrà.

Eſſe

Eſſe grauis poſſit, Viuere cogat, erit.
Hæc ego ſupremis iterabam verba querelis
Languida dum ſerus conderet ora ſopor
Pro cubui veruiæ ſub opaco tegmine quercus;
De viridi lectum ceſpite terra dabat.
Hic mihi prima quies oculis infuſa, diurnis,
Ordine mutato, luſit imaginibus.
Credebam, excitos curſare per arua colonos:
Ilignæ fuerant omnibus arma ſudes.
Clamor ijs diuerſus erat, labor omnibus idem,
Eripere impaſto furta reuulſo lupo.
Ille ſcelus trepidare metu; prædaque relicta
Effugere agreſtes, per iuga nota, manus.
At parte ex alia, Paſtorum cruda iuuenta,
Plurima decurſa feruet anhela via,
Altera dum iaculis, balearibus altera fundis,
In refugi vnanimes terga Leonis erunt.
(Raptum ille immani puerum portabat hiatu;
Aut meus, aut ſimilis certe erat ille meo)
Inſtat quiſque ferox; dum ſedula denique ſæuis
Faucibus illæſum turba recepit onus.
Ipſa deinde parens, natis onerata duobus,
Soſpes ad amiſſum eſt viſa redire virum.
Ego pater teneris dare melior oſcula natis,
Conſortemque mei clamo rediſſe tori.
Illa ſuos narrare leui mihi murmure fletus,
Rapta per infeſtas cùm veheretur aquas:
Vtque animam ſubitis efflarit Nauita pœnis;
Et ſteterit pacto tutus amore pudor.
Illi ego, narratis, nihilo leuiora, renarro,
Me quibus infelix luſerit vnda modis;
Denique, dum læti citroque vltroque videmur
Talia de geſtis rebus vterque loqui.
Excitor: atque oculis, vbi ſint ea gaudia? quæro:
Hei mihi! ſunt oculis haudia rapta meis.
Omnia ſomnus erant. Ita vir, bis coniuge rapta
Bis didici rapta prole perire pater.

Ergone crudeles etiam vos luditis vmbræ?
Suffecere ſuis damna diurna iocis.

II.

ARGVMENTVM.

THEODOSIVM *Imperatorem, cetera clementiſſimum, quod temere ſeptem hominum millia trucidarat, grauiter obiurgat Ambroſius: & exemplo Dauidis, vt facinus patratum lacrimis eluat, adhortatur. Ruffin. Theodor. Paulin. Sozom. Ambroſ. epiſt.* 28. *Baron. ann.* 390.

AMBROSIVS Theodoſio Imper.

DE CAEDE THESSALONICENSI.

QVi domitum Auguſtis moderaris faſcibus orbem,
Et mare cum terris omnibus vnus habes,
Ore ſerenato, quam mittimus, aſpice chartam;
Nil ea, quod poſſit lædere, charta feret:
Ni medico lædat Podalirius vnguine; quando
Putria Pæonia vulnera ſanat ope.
Nolo, Machaoniæ tamen artis opiſque peritum
Eſſe putes: Animi vulnera tracto tui:
Plus ea mortis habent: quantoque pericula celant
Altius, hoc artis dexterioris egent.
Non renues molli fomenta medentia tactu:
Sæua manus medici, ni premat vlcus erit.
Forſitan (ægrotis quod quondam vſuuenit) ægrum
Cæſar, adhuc neſcis te eſſe, vel eſſe negas?

Eſſe

Eſſe nega Mihi fama tamen, quid nuntiet, audi:
O vtinam, falſi nuntia, fama foret!
Quà ſuper Æmathij circumflua littora ponti
Erigit alta ſuum Theſſalonica caput,
Diceris, in pleno Circi admiſiſſe theatro
Inuiſum ſuperis terrigeniſque nefas.
Spectatura tuos Circenſi in puluere ludos
Venerat abiecto ciuica turba metu.
Iam Cuneos implerat eques; ſummaque locarat
In cauea laſſos pulla cateruia pedes;
Iam bijuges audire rotas; iam læta videre
Carceribus miſſos incipiebat equos;
Hic alij Praſinæ palmam ſpondere quadrigæ;
Hic alij Veneto malle fauere Sago:
Ter propè contractam rota flexerat æmula metã;
Quaque erant auido iam tria capta ſinu:
Iam ſecura manus plauſum tentare; locataſque
Inſidias ſtructis nemo timere dolis;
Cum tuus, ecce tuus (quid .n. formido?) Satelles
Iuſſus ab arcanis proſilit inſidijs:
Et Cuneos, mucrone ferox, bacchatus in omnes
Obruit armata vulgus inerme manu.
Tollitur ex templo feralis ad æthera clamor;
Et mera naufragij ſymbola Circus habet.
Fæmina virque pares iugulantur: frater eodem
Quo ſoror, & natus quo pater, enſe cadunt.
Inſontes cum ſonte luunt; cum Ciuibus hoſpes;
Patrono tenuis cum locuplete cliens.
Pars dum tela fugit, rapidis perit obuia bigis;
Pars animam, Cuneis præcipitata, vomit.
Et pueros nullo, & iuuenes, diſcrimine truncant,
Decrepitoſque ſecant impia tela ſenes.
Clamor vbique, & vbique cruor; mixteque cruori
Lacrimæ, & humectæ nimbo ab vtroque genæ.
Objiciunt alij gladijs fulgentibus aurum:
Spretus apud gladios aureus vmbo fuit.
Aſt alij veniam, moribuuda voce, rogabant.

Ad veniam ſurdus miles, & enſis erat.
Quid, quod & inſontes (miſerabile vulgus) in ipſo
Funere cur pereant, dum periere, rogant?
Et certè, mihi, Cæſar, adhuc (permiſeris) ipſi
Vrbs tua cur pereat tanta, rogare liber.
An, quia plebeius voluerit furor impete, nuper
Auſus erat faſces ludificare tuos,
Cæſareumq; ſacro maculare cruore tribunal,
Debuit vno omnis funere turba rapi?
Conſule te, Cæſar: Tu te clementia, talem
Ciuibus ob culpam, poſſe nocere negat,
Quod nocuiſſe tamen potuit; fuit impetus ille,
Et ſubitus, ferro præcipitante, calor.
Non ego væſanæ facinus defendo iuuentæ;
Crimen erat certè, nec leue crimen erat;
Eſſe tamen (fas eſto loqui mihi) crimine magno
Debuerat Magni Cæſaris ira minor.
Grandia non plectunt Superi periuria ſemper
Fulmine, ſed lacrimis ſæpè piare iubent.
Cùm tua par Superis, & pæne ſit æqua poteſtas,
Cur etiam mortes non finis eſſe pares?
Adde; quod, & Socijs (cùm te per ſacra rogaſſent
Omnia, perq; tuam, voce gemente, fidem.)
Et tua prenſanti mihi genua; Remittere, dixit,
Quanta ea cunq; reis debita pæna foret.
Actæ ideò grates (memini) tibi, Cæſar, & ægris
Quam deſperarant, reddita viſa ſalus.
Qui ſubitus promiſſa calor mutauit; vt iræ
Iam ſemel obſtructam panderet ira viam?
Quemq; datæ meruit veniæ clementia plauſum,
Eriperet Circi triſtis arena tibi?
Verũ age, plecte reos: meruere. Perire iubebant
Cum fonte inſontem, quæ noua iura, gregem?
Nempe, decem vt luerent cõmiſſa piacula fontes,
Præſtitit innocuus funere mille cruor.
Atq; vtinam vel mille ſatis Libitina putaſſet?
Sæua putaremus tela fuiſſe minus.

Nunc

Nunc ſeptena vorax populauit millia ferrum:
Erubuit factas enſis, & haſta neces.
Hoc,quid erat,Cęſar? quid erat; niſi,Cęſaris iram,
Plecteret vt paruum, grande patraſſe, nefas?
Grande nefas, Cæſar, lacrimiſq; piabile magnis;
Et, lacrimis (ſi res vera fatenda) tuis.
Nec graue ſit lacrimas tibi fundere,Cęſar:&illud,
Quod leue credebas fundere, Sanguis erat.
Si tamen iſta negas, quamuis atrocia, fletu
Digna; aliud dignum, quod lacrimeris, habe.
Nā dederim, (quod nemo dedit) licuiſſe perēptia
Sontibus inſontes iungere (nemo dabit)
Quis monſtrum ferat iſtud, vt aduena pauper, &
Cogatur populi ſoluere furta tui? (haſpes
Iam nihil in vacuo, niſi trunca cadauera, circo
Obuium, & in tota viuum erat vrbe nihil,
(Nam reliqui, noias pars quæſiuere cauernas,
Pars ſibi non lenta conſuluere fuga)
Et necdum.Libicina tamen compleuerat omnem,
Quem tua finierat cædibus ira modum:
Defuerant numero duo funera: Militis ingens)
Nempe ſcelus, numerum non ſuperaſſe, fuit.
Ergo iubetur, adhuc tot mortibus addere mortes
(Heu! nimis obſequij ſedula turba!) duas.
Aduena fortè Senex: cum Graijs baiulus ibat
Mercibus, in vacuo quærere lucra foro;
Ponè gemella patrem cominantur pignora; rebus
Carior appendix omnibus illa patri.
Attigerant viſu iam mæſta ſuburbia: iamq;
Tranſierant, nullo, limina prima, metu;
Carbara cùm ſtrictis legio ruit obuia telis,
Sparſa cruentatas cæde recente manus,
Mox cædes factura nouis Ceu triſte luporum
Vaſtauit pauidas cùm ſemel agmen oues,
Sint, licet, à raptis iam feſſa bidentibus ora,
Obuia reſtinctam ſuſcita agna famem
Haud aliter ſe turba furens ſubeuntibus offert.

Edere mox geminas turba parata neces,
Horruit occurſu pater, & cum prole refugit,
Ne foret obiecta clauſa phalange fuga,
Quò furor hic, quò ſpectat? ait. Si quæritis hoſtes,
Nos pauci, & pauidi, & vulgus inerme ſumus.
Aut ſpolia, & prædas agitis? Nos paupere cenſu
Viuimus, & nullas arca flagellat opes.
Condite tela viri ſine cauſa perditis iras:
Seruetur Parthis iſte Geriſq; calor.
Hæc pater. Ille inſtare, merumque ſitire cruorem;
Iamq; adeò in pueros cominus ire duos.
Ergo nouare preces, lacrimaſq; opponere ferro,
Quamq; habuit, tota merce rogare Senex.
Irrita cæpta, nouumq; in auaro milite monſtrum?
Nec poſitæ merces, nec valuere preces:
Nec placare ſitim lacrimæ potuere cruentam;
Sedanda à iugulis illa duobus erat.
Vos per ego veſtros, ſi cui ſunt pignora, natos,
Et per adhuc quidquid charius eſſe poteſt,
Vos precor à natis diuertite tela duobus:
Vnus ero vobis nati vtriuſq; vicem.
Dixit, & in medios auidè pater inſilit enſes,
Vnius vt redimat pignora bina cruor.
Sed, patris vnius pactum Libitina cruorem,
Reſpuit in geminæ prolis habere loco.
Sit, licet, vberior ſanguis patre, dixit, in vno;
Non tamen eſt numero mors ſatis vna meo.
Pro nato ſatis ergo, pater, potes eſſe, ſed vno,
Alter erit patri; cum perimere comes,
Elige de geminis, quem cæſo viuere patre;
Elige, quem iubeas cum genitore mori.
Hic, miſero ſenſum quem par erat eſſe parenti?
Quem mihi? quem, Cæſar, par erit eſſe tibi?
Stare iubes dubium gemina inter pignora patrem.

Et

Et medium huc, medium huc, partem in vtramque rapis.
Hũc prior optet, an hunc? illũ eligat? abdicet illũ?
Huius agat cauſſam patris, an huius agat?
Viſcera, crede mihi, Metij, in diuerſa fuere
Vix per quadrijuges ſic lacerata rotas.
Hunc ego, clamat, amo: Sed & hunc amo clamat. Vterque
Æquali patris eſt dignus amore puer.
Atq; hanc de gemina ſi viuere prole iubebo,
Hanc ego de gemina prole iubebo mori.
Ergo iubebo mori? Superi; hunc à patre furorem;
Et procul hæc animo tollite ſenſa meo.
Viuere vtramq; volo. Sed viuere Cæſar vtramq;
Non ſinit: Eſt parti pars adimenda ſuæ.
Quid moror ergo? Pius ſi non ſinor eſſe duobus;
Vnus erit, qui me ſentiat eſſe pium.
Feſtinata mihi ſobolem optio vindicet vnam,
Cunctanti perdat ne mora lenta duas.
Sic ait, atq; oculos modò ad hanc, modò flexit ad illã;
Charior hæc oculis charior illa fuit.
Iamq; manus illi, rurſuſq; tetenderat illi.
Inde retracta tamen rurſus, & inde manus.
Quas lites natura facis (Secum ipſa voluntas
Dimicat; & quicquid vult modò, velle negat.
Interea pueros in lite, qui explicet, illa
Egerit in partem quantus vtramq; timor?
Stant circùm trepidi, nutuq; parentis ab vno
Fila videt vitæ pendula quiſque ſuæ.
Ille ſenem lacrimis manantibus ambit, & ille:
Eſſeq; & ille ſuum clamat, & ille patrem.
Viuere vterq; cupit: Sed enim dum quærit vterq;
Viuere ſe fratri, frater obeſſe videt.
Vndiq; diſcrimen ſtat ineluctabile Mortis
Hinc timor; hinc fratris vincere pugnat Amor.
Quid faciant? Dubij dum longa in lite morantur,

Lis deciſa breui militis enſe fuit.
Occubure pares. Doluitque miſerrima proles.
Altera in alterius vulnere, neutra ſuo.
Hoc genitor viſo, quid ſenſerit, edere, Cæſar,
Non ego, non genitor, ſi velit ipſe queat.
Res, fateor, narrata, ſimul peruenit ad aures,
Sæpè cadente meas abluit imbre genas,
Et, niſi vana rei me fallit opinio, Cæſar,
Sæpè cadente genas abluet imbre tuas.
Nã leuius quid agas? Pro ſanguine funditur vnda.
Cenſeri an precium ſanguinis, vnda poteſt.
Vnda nequit; mihi crede, nequit. Nihilò minus vndam
Quam potis eſt oculus fundere, Cæſar, ama.
Purgat, & hęrentem ſenſim abluit illa cruorem;
Nec, querulus pęnas vt petat ille, ſinit.
Poſcit, enim pęnas alioqui; & vindice cęlo
Pugnat in aſperſas illius ira manus:
Ira grauis; qualem latro ſenſerat ille, recentem
Sanguine cognato qui macularat humum.
Ira grauis; qualem metuit Ieſseius heros,
Fecerat Vrię quem cruor eſse reum.
Vnius ille fuit cruor; vnius ille cruorem
Continuis omni nocte piabat aquis.
Nec gemitu caruere dies, lunaque ſilente,
Hoc etiam ſtratos diluit imbre toros.
Æmulus huius eras, faciendis cędibus? Idem,
Si ſapis in lacrimis ęmulus huius eris.
Imò, decet, lacrimis ſuperes maioribus illum,
Quò, cæde in facta, te fuit ille minor.
Nam minor ille fuit; qui, per fera bella, doloſo
Non niſi in vnius ſęuijt enſe caput.
At tibi, de populo concidere millia ſeptem,
Quid niſi Circenſem vidimus eſse iocum?
Deſine, Magne, iocos, hos ludere deſine ludos;
Et mecum lacrimans ſeria, Cęſar, age.
Hęc moneo Ambroſius, Medię qui mœnia Lanæ;
Tem-

Tempero: ſiue nefas eſt monuiſſe, rogo.
Non pigeat morem Ambroſio geſſiſſe precanti:
Vult, minus has nulli, quam tibi, obeſſe preces.

III.

ARGVMENTVM.

EVTROPIVS homo nefarius, & quondam ex infimo ſummus; corraſis Regum opibus, & collecto Cæſarum populique fauore tanto, vt aureas ei ſtatuas ponerent: in ipſo conſulatu ad ima relapſus, faſcibus, opibus, honoribus exuitur: & ad cædem quæſitus, in Templo (quod latis legibus ante violarat) aſylum quæſijt; mox obtruncandus. Et Chryſoſtomus fortunæ, (quam non metuerat) inconſtantiam oſtenta. Niceph. 13. cap. 4. Claudian. Chryſoſtom. Spond. ann. 399. numer 3.

CHRYSOSTOMVS, EVTROPIO Exconſ. proſcripto.

DE FORTVNÆ INCONSTANTIA.

VEnit heri attonitas inopinus rumor ad aures
EVTROPIVM ſacras ante iacere fores,
Oraque pallenti monſtrare ſimillima ceræ,
Anxiaque aſſiduo colla rotare metu,
Et lacrimis turpare genas, & ad illa, ſupinas,
Quæ modo calcarat, tendere Templa, manus,
Poſt etiam, vt porta fuerit bipatente receptus,

Semianimem fracto procubuiſſe,genu,
Tactaq; conſertis prenſare altaria palmis;
Et tremulo inſuetas ore mouere preces.
Quæ mihi cũ rumor memoraſſet; omittite,dixi,
Conciliat nullam fabula veſtra fidem:
Nouimus Eutropium. Quis eo felicior vno?
Diuitias magni Cæſaris vnus habet.
Ille duos terret biſſenis faſcibus orbes,
Cæſareq; eſt paulò Conſul vtroq; minor.
Idem, vbi quadrijugos agitant Circenſia currus,
Audit, & applauſus non capit ipſe ſuos.
Mille trahit ſella comites ſublimis eburna,
Et latus innumerus ſtipat vtrumq; cliens.
Vix fora ſufficiunt ſtatuis; & publica nuſquam
Vlla Corinthiaco porticus ære caret;
Marmoraq; Eutropium, faſtiq; libriq; loquuntur,
Non habet, hoc fulcro ſtante, ruina locum.
Hæc ego præſtabam memorans: & ſacra citato
Cum ſocijs propero viſere templa gradu,
Et video,(heu,quãti video,documenta cothurni!)
Eutropium nuda voluere corpus humo,
Oraq; pallenti monſtrare ſimillima ceræ,
Anſiaq; aſſiduo vertere colla metu,
Tactaq; conſertis prenſare altaria palmis,
Et tremula inſuetas edere voce preces:
Heu,quatũ humanis,exclamo, in rebus inane eſt;
Iam, nihil eſt, fieri quod potuiſſe negem.
Ecce! ſuas conſul timet ipſe, fugitq; ſecures!
Lictoriſq; videt pallidus ora ſui!
Et metui faſces, & fulmina conſcius horret!
Et mala, quæ populis intulit, ipſe ſubit!
Eſt, fateor, noſtris etiam, eſt, in rebus inane:
Sed fuit in rebus maius inane tuis.
Nam quid erant plauſus,& opum portenta tuarũ;
Et tituli, & pleno ſigna repoſta foro?
Quid blandita tibi Melibœo purpura foco?
Tota merus fuerat ſpes ea reſq; vapor.

Aut

Aut vapor, aut omni ſi vanior eſſe vapore
Exoriens vel aquæ bulla, vel vmbra poteſt.
Reſpice quot gladij tergum inſectentur, & hoſtes,
Mille tuam expectant vndiq; tela necem.
Coniurata fremit manus, & violenta minatur.
Si quid opis poſſunt ferre Theatra, ferant.
Illa voluptatum conſueta Sagina tuarum,
Infamiſq; ſuis illa palæſtra probris,
Et toties, ornata tuo Circenſia luxu,
Et Veneto toties factio culta ſago,
Quin properant? operaq; iuuant ſeruare patronũ
Mutua? Age, atq; datam reddere coge vicem.
Ceſſant, inquis; & eſt impenſi oblita fauoris
Factio. Res alias deniq; Circus agit.
Sanè alias res; Circus agit. Nunc ille quadrigas,
Piſæoq; actos puluere laudat equos;
Atq; alijs plaudit; Te verò ſibilat: Imò
Cum tibi Circus adhuc plauderet, egit idem.
Non fallebar ego tunc inſcius; omnia noram:
Dictaq; erant à me non ſemel iſta tibi.
Sæpè, quid obſequio, dixi, laxatis inani?
Verus emi tali non ſolet arte fauor.
Fulcra caduca time: ſtudium eſt mutabile vulgi:
Crede mihi, non te, ſed tua, Circus amat.
Dixi ego: ſed ſurdo cantata eſt fabula. Circi
Charior & Cælo, & Numine plauſus erat.
Ergo age, ſis, illoſq; ad ſigna recurrere plauſus
Nunc tibi, tunc arma & tela parare iube,
Hinc clypeos obtende tuos; hic vtere vulgo,
Quaſque vides, Circi vince fauore, minas.
Nempè vapor fuit ille fauor. Fueritq; iuuabunt
Te paraſitorum, ne perimare, greges.
Nullus adeſt. Quiq: ante tuas obſederat ædes
Creber adulator (reſpice.) nullus adeſt.
Abſit & hic: poterunt tituli defendere. Nuper
Dictus es, & patriæ, & Cæſaris eſſe pater.
An titulos fragiles! ò ſcutum imbelle retundi?

Obice tam vano ſpicula nulla ſolent.
Adde, quod hos Cæſar titulos iam ſuſtulit omnes.
Et patriæ patrem te vocitaſſe, pudet.
Ne quà etiam fieret te Conſule vilior annus,
Tempora iam titulos erubuere tuos.
Vtraque te tabulis eraſit Roma; probrumque
Eutropij factis iuſſit abeſſe ſuis.
At potes ad ſtatuas fortaſſe recurrere; quales
Iſthmiaco multas viuere in ære vides?
Curre miſer: Steterant tua quo ſimulacra, videbis
Mota loco, & vacuo ſtrata iacere foro.
Hinc informe caput, fracta ceruice: reſectas
Inde manus; truncos inde rigere pedes.
Quæritur Eutropius nunc ipſe: Repertus eaſdem
Diruta quas pœnas ſigna dedere, dabit.
Reſtat adhuc, rutili moles congeſta metalli,
Qua tibi vix Craſſos paſſus es eſse pares;
Reſtat, & Aſsyrij luxus conſueta voluptas,
Qua nouus hic nobis Sardanapalus eras:
Hac potes, hac fera potes mollire. Quid aras
Curris ad has? Aurum ferre ſpopondit opem:
Hac ope dum fidis, cælum ruat omne, mouebit
Eutropio nullas vlla ruina metus.
Sic, puto, dicebas cùm quondam ego ſana monebam,
Rumperet vt faſtus noſtra medela tuos.
Ecce! fefellit opem fidiſſima gaza: nec auri
Copia promiſsam præſtat amata fidem.
Quò fugiat, porro miſer? En penetralia Templi
Spreta tibi toties, iam tibi ſola fauent.
Quæque tuis nunquam fuerant altaria donis
Culta, tuum gladios in caput ire vetant.
Excipiuntque ſinu, longeque infeſta coercent
Agmina, & auelli nulla per arma ſinunt.
Scilicet ARA ſuos his vindicat artibus hoſtes
Quos prius infenſos ſenſerat eſse, iuuat.

At

At tua quas referunt tibi iam Circenſia grates?
  Perfida patronis, quos habuere, nocent.
Hæc tibi ſi quondam (& poterant) præuiſa fuiſſent.
  Humida iam lacrimis non foret ara tuis.
Flecte tamen mæſtos etiamnum ad priſtina vultus
  Et quæcunque putes fida fuiſse, vide;
Exclamare voles: vere eſt in rebus inane:
  Tota metus fuerat ſpes mea reſque vapor.
Quid iuuat hæc, inquis, ſerò exprobrare? iuuabit
  Vt, quamuis ſerò, diſcere vera velis.
Deniq; dum tactam procumbis inermis ad aram,
  Vera, licet, nolis diſcere, vera doces.

IV.

ARGVMENTVM.

GILIMER totius Africæ Rex à Beliſario victus, cum in arcem confugiſſet, fame ad eam neceſſitatem adactus erat, vt miſſo ad hoſtem Nuntio, trium ſibi rerum gratiam fieri ſupplex poſtularet. Spongiæ, *vt oculos lacrimis defluentes extergere;* citharæ, *vt ea mærorem temperare:* atri panis, *vt famem prius quàm moreretur, ſedare ſemel adhuc poſſet. Impetrauit, etiam ab hoſte; ſed illacrimante. Procopius lib.* 1. *&* 2. *de Bello Vvandal. Baron. ann.* 533. *&* 534.

GILIMER REX obſeſſus, Beliſario Victori.

DE FAME, ET ÆRVMNA REGIS.

QVi dolor ad Nomadum me barbara culmina traxit,
Vltima vbi Libyæ paſcua Maurus habet,
Ille itidem voces, itidem ille madentia dictat
Verba mihi; ille ſtylum commodat, ille manum
Vda proin maculis ſi ſquallet epiſtola; parce:
Non didicit verus ſcribere pulchra dolor.
Scripta tamen ſic ſunt, legere vt, Beliſarie poſſis
Et, quæ non poteris, res leget ipſa tibi.
En, ego, qui Tyriæ domitor Carthaginis, Afros
Vſque meo preſſi diues, & vſque iugo,
Omnia qui libici maris æquora claſſe tenebam,
Et longinqua etiam per freta terror eram;
Gilimer ille, tuis nunc vltima paſſus ab armis,

Hic

Hic miſer amiſſis faſcibus exul ago.
Fallor,& Exſilij ſum nomine abuſus honeſto;
Carcere,debebam dicere,claudor ego.
Carcer enim certè (vel ſi quid triſtius illo)
Eſt meus, in tali quem colo rupe,locus.
Vndique vel ſaxis,vel ahenis mœnibus arctor;
Semita vix oculis reſtat ad aſtra meis;
Reſpiciant quaſcunque alias mea lumina partes,
Vndique quos metuant,arma viroſque vident.
Arma viroſque tamen minus eſt graue cernere:ſolùm
Eſſe moleſta foris arma virique ſolent.
Sæuior intus agit multoque propinquior hoſtis,
Qui cruciat longa viſcera ſicca fame,
Inde ego Maſſylæ regnator gentis;opimas
Regia cui fuerat menſa parare dapes.
Cui volucrum ſtragem cæna olim fecerat vna,
Prandia cui magnæ funera cortis erant,
Ille fame iam victus,opem,Beliſarie,paruam
Oro;ſed oratam,me niſi fallo,dabis. (oro,
Quanta rogem,exſpectas? Tria ſunt,quæ Gilimer
Et tria,quæ Regum nemo popoſcit adhuc,
Grandior hæc,video præfatio terret. Ego orem
Nempe,quod oratum à nemine Rege ſciam?
Quicquid id eſt, dices, magnum eſſe neceſſe profectò eſt
Omnia ſi Regum vincere vota poteſt.
At neque victorem promittere talia victo,
Talia nec victum poſcere dona decet.
Poſce minora;dabo. Poſcam, Beliſario, poſcam:
Ipſe tuo dices eſſe minora metu.
Prima mihi,fateor(quis enim pudor iſta fateri?)
Exigui PANIS, pro ſtipe,dona peto.
Nam noua ter plenæ coierunt cornua lunæ,
Cùm Cereris nulla eſt micula tacta mihi.
O ſemel illa mihi!ſemel, ò,(neq;sũma precabor)
Detur adhuc oculis illa fruenda meis!

Tum ferus inſaltabo fami; victorq; videbor
  Fragmine conſpecto panis, obire ſatur.
Hæc mihi prima trium præſtetur gratia: Reges
  Illam alios nunquam credo petiſſe prius.
Gratia quam votis ego Gilimer oro ſecundis,
  SPONGIA ſit; malidas apta leuare genas.
Mitte libens illam, Libye Rex indiget illa;
  Deficiunt lacrimas cetera lina meas.
Aſſiduo vitiata fluunt duo lumina riuo,
  Oraq: decurrens pallida nimbus habet.
Et opibus, gazaq; tamen de diuite, nullus
  Eſt mihi, quò tergam lumina, cento ſuper.
Vlteriora mihi ſi fas orare; Sonoræ
  Poſtremum CITHARÆ, quot peto, munus erit.
Fortunæ minus eſt Cithara, inquis, idonea tali;
  Non placeant ſurdam tinnula plectra famem.
Apta meæ minus eſt (non abnuo) Muſica vitæ,
  At comes eſſe mei funeris apta poteſt.
Ipſe mihi, ante meum lugubria carmina buſtum,
  Et querula leſſum Præfica voce canam.
Huc faciet Citharæ (neq; ſum rudis illius) vſus:
  Non alium fidibus noſtra dat aula locum.
Nec timor eſt, nimio tumeant ne gaudia cantu:
  Turbabit lætum crebra querela ſonum.
Et mihi materies ego non ſum tota querendi:
  Sunt alij, quorum damna perinde querar.
Qualia cùm ſcieris, puto, collacrimaberis ipſe,
  Et faciam certè, ſi ſinis, illa ſcias.
Mæſtus heri parula proſpexi forrè feneſtra,
  Cùm vidi (ò oculis triſtia viſa meis!)
Indole ſunt magna mecū hoc in monte Nepotes,
  Iam duo luſtra minor, plus duo, maior habet.
Eximia virtute pares, vultuq; decori;
  Rege, Nepos alter dignus & alter, auo;
Fortuna fuerat ſed vterq; indignus auita:
  Non cadere in totam debuit illa domum.
Hos pede collato miſeros concurrere vidi;

Et

Et fera conſerta bella ciere manu.
Clamor vtrinq; & vtrinq; oculis vberrimus ibat
Imber; & alterno ſparſus ab ore cruor.
Quis, procul exclamo, pueri, hic furor? abſtine obuncas
A fratre, infelix, abſtine vterq; manus.
Surdus vterq; mihi. Rursũ, Impia bella Nepotes
Siſtite, proclamo. Surdus vterq: mihi eſt.
At mihi tàm diri rabies & cauſſa duelli
Non, niſi cum belli cognita fine fuit.
Quippe ferina duos (ſuperiora auertite) fratres
Cetera concordes, egit in arma fames.
Abdita ſub cineres, plebeiæ cruda farinæ
Pars erat; exiguo maſſa coquendo foco.
Repperit hanc vt forte minor; plenam ille fauillę
Crudamq; furiens ore patente rapit.
Nec panis, ſed limus erat: tamen inſtitit illam
Regius inſueto mandere dente Nepos.
Ecce autem! aduertit maiorem nidor Ephebum;
In fratrem ergo furens eſurienſq; ruit.
Semeſamq; trahit cognata è fauce farinam,
Et raptam, in fauces ingerit ipſe ſuas.
Impatiens id ferre minor; dum rapta repoſcit,
Fraterna exertis vnguibus ora ferit.
Mutuus inde furor pueris. Mihi plurimus inde,
Pectora qui poſſet rumpere aliena dolor:
Qui licet è proprio mihi vulnere, creuerit ingẽs,
Maior ab iſtorum clade fameq; venit.
His, precor, ignoſcas. Anus vt peccauerit, iſti
Nec timuere tuas, nec meruere, minas.
Si Libyes vel ſceptra mihi, vel priſtina regni
Gaudia; vel Serum texta, togaſq; rogem,
Vel ſimiles illis, potiùs quas perdere, gazas,
Vel, quibus aſſueram, flagitem habere dapes.
Iure tuo mihi quæq; neges. Sunt carceris huius
Et ſunt exilij vota minora mei.
Fruſtula ſemeſæ Cereris mihi parua popoſci:

Da

Da Regi,dederas qualia ſæpè cani.
Nec ſoli dabis illa mihi. De fragmine paruo
Obueniet ducta,pars mihi ſorte,minor.
De maiore duos ego paſcam parte Nepotes;
Aut ne iterum pugnent, totū ego vtriſq; dabo:
Spectando ſaturabor ego: Citharaque loquente,
Quæ comedent illi, dona tua eſſe canam:
Flens tamen illa canam.Sed flétibus arida lapſas,
Quam dabis,ex oculis,ſpongia tollet aquas.
Mox vbi de Libyæ regnoque,& Rege triumphum
Aurea Romanæ per fora plebis ages,
Tu bijugis inuectus equis,me pone ſequentem
Victor ad vſque tui Cæſaris ora trahes.
Illum ego ſublimi cum videro ſede locatum,
Et pauidum armata cingere gente latus,
Auratumque tholo radiante micare lacunar
Et poſitos ſupra picta tapeta pedes.
Stans ibi Rex Libyæ,manibus poſt terga reuinctis
Infelix populi Sanna iocantis ero,
Tum mihi fortunæ ſpecies obiecta prioris
Materiem riſus,quam modo ploro,dabit.
Quippe ſuperba videns veſtra diademata regni,
Exulis,heſterna luce,grauaſſe caput;
Et citius,fortaſſe,dies quàm craſtina vertat,
Poſſe etiam veſtra ſceptra labare manu;
Democritus fiam,& ruptis clamabo cachinnis,
Iam,fortuna,tuos ceſſo timere iocos.
Nil vbi,quod ludas, reliquum eſt,ibi ſæua;nec aurum
Tollere nec ſceptrum,nec diadema,potes.
Te metuant,qui regna tenent. Cui perdita iā ſunt
Omnia; nil porro,quid minitere,timet.
Sic ego ridebo,Beliſarie; quando triumphum
Aurea Romanæ per fora plebis ages.
At fortuna ſuos vbi deſultoria ludos
Egerit,infida circumagere rota:
Quare ego quoq; demens ludos vitare nequiui,

Dum

Dum potes ingenio,tu meliore caue.
Scribere plura dolor,penna renuente iubebat;
Sed ſcripſiſſe,tibi plus ſatis,iſta,fuit.
Quamquam vt penna velit;renuet iã ſæpia, pridẽ
Diluta à lacrimis,albaque facta,m eis.
Interea è titulis creſcet tibi gloria noſtris,
Quos tua mox inter quiſque trophæa leget.
Caſſis ibi, & galeæ,& clypei,& thoraces aheni,
Fractaque captiui multa lariſſa ducis.
Laxatique arcus,& inermis teca pharetræ;
Non ita conſpicuæ ſymbola laudis erunt,
Sicut erunt; Hinc Viſa CERES: CITHARA inde,madenſque
In medio lacrimis SPONGIA plena meis:
Tunc neglecturi Signa omnes cætera,quærent,
Hæc tria præcipuè quid ſibi ſigna velint?
Tu Lybici dices hæc eſſe Inſignia Regni.
Inuideat Regnum iam mihi nemo meum.

V.

ARGVMENTVM.

BELISARIVS Perſis, Vvandalis, Gothis glorioſè triumphatis, Roma recepta, Imperio firmato, feliciſſimus poterat videri, ni Imperatoris gratificatus, nefarias manus Siluerio Rom. Pont. inieciſſet. Nam inde fortuna deſtitutus, & oculis à Iuſtiniano priuatus, eo ludibrij decidit; vt Cæcus, porrecta manu, ſtipem à preteruntibus mendicaret. Crinitus. Volat. Pontan. alij apud Baron. an. 561.

BELISARIVS Cæcus Iuſtiniano Imper.

DE CALAMITATE CÆCITATIS.

ILle tuos quondam, non vltimus, inter amicos,
  Dum traherent noſtram vela ſecunda ratem;
Nunc etiam, hibernis lacerata carina procellis
  Dum natat, & medijs abruta pugnat aquis.
Ille tuus (licet eſse neges) Beliſarius, oro
  Pauca legas, alia verba notata manu.
Ipſe mea ſcripturus eram ſed caſsa, volentem
  Lumina ſeruitio deſtituere ſuo:
Lumina, (da veniam non exprobro) lumina, quæ te
  Iudice, ſunt oculis nuper adempta meis.
Hinc aliena manus, propriæ ſed lacrimæ. Ab iſtis.
  Hæc, quæcumque vides, facta litura venit.
Vnicus hic oculis vſus mihi teſtat ademtis:
  Vnicus hic illis eripiendus erat.
Quemtamen vſum illi ne quà dediſcere poſſint,
  Hæc mea, quam cogor viuere, vita facit.

Quan-

Quanquam ea,non video,cur poſſit vita putari,
Quæ nuſquam viſa viuere luce ſinit
Fac,ſine luce tamen,vitam mihi poſse vocari;
Vita mihi dici non ſine Pane poteſt.
Panis enim (quis credat?) abeſt Beliſario: & illi
Qui modo meſſuerat Gargara panis abeſt.
Quemq; onerata dapū ſtrue paſcere mēſa ſolebat,
Arida iam queritur membra rigere fame.
Ah! dedimus,damno dedimus non impare pænas:
Præteritamque famem expiat iſta gulam,
Non accuſo ſitim. Nam,quæ fuit ante falerno
Pulſa mihi,gelida nunc releuatur aqua.
Obuia ſunt vndæ ſalientis murmura,cæciſque
Omnibus acceſsus pauperibuſque patet.
Si mea lege fames vti ſineretur eadem,
Gratuitam illi vt opem ferret inempta Ceres,
Eſse mihi locuples iam parte viderer vtraque.
Nec grauis orato ciuibus ære forem.
Sed quia vendītur Cereris mihi fragmina numo,
Et tamen eſt numis orba crumena ſuis,
Flagito deuexi lacrimabilis accola cliui,
Aſſiduam turbæ prætereuntis opem:
Porrectaq; manu,qua quōdam ego fundere mille
Prodigus aſsueram munera,capto ſtipem:
Et,veſtram,huc,ciues,huc, clamo,*tendite veſtram*
(Brachia ſi nondum diriguere) manum:
Induperator opem Beliſarius orat,& aſſem:
Aſſe & ope eſurieno Induperator eget.
Hac,puto,voce tigres mollirem,hac voce Leones,
Et,tigre,ſi qua magis;ſi qua Leone,fera eſt.
Te quoque præteriens ſi vocem ſenſeris illam,
Sis licet iratus,molliet illa tamen;
Et gemitus non ſpontè dabis;lacrimanſq; clientes
Fortè meos,dices,inter,hic vnus erat?
Vnus eram certè nunquam inficiabor;& idem
Donec viuo, tuos inter ego vnus ero.
Si tamen,an fuerim tuus,ambigis immemor;edā
Sym-

Symbola ſeruitij non dubitata mei.
Quære, Semiramio quis caſtra tumentia faſtu
Ruperit? Eoo quis fera Bactra ſolo?
Clamabunt, ſe capta meo Babylonia ductu
Mœnia ſeque meo Bactra ſubacta manu.
Quære, tibi Reges quis cedere iuſſerit Afros?
Mauraque ſub pedibus ſceptra iacere tuis?
Edomitos Reges Maurique vetuſta Syphacis
Regna ſubacta meo Marte fuiſſe ſcies.
Quære, quis infeſtos à mœnibus egerit Hunnos?
Quis ſua barbaricis fregerit arma Gothis?
Quis Tarpeia tuis Capitolia faſcibus? & quis
Subdiderit Latium faſcibus omne tuis?
Auſonibus, diſces, Romæq; Hunniſq; Gotiſque
Impoſitum eſſe tuum noſtra per arma iugum.
Tũc ego nẽpe tuus: data tunc mea nomina faſtis;
Inque tua niueis vrbe vehebar equis.
Proximus à curru magni Beliſarius ibam
Cæſaris; & nuſquam, me ſine, Cæſar eras.
Nunc vbi nulla Gothi, nulla Afri bella mirantur,
Notitiæ, Cæſar, tu nihil huius eges.
Nec ſolùm, nihil huius eges; ſed triſte peroſus
Exulis inuiſi nomen abeſſe iubes.
Hinc rebus fortuna meis illudere gaudet;
Quippè ſequi vultum Cæſaris illa ſolet.
Blanda mihi fuerat, dum Cæſaris ora fauebant;
Duraque, mutato Cæſaris ore, fuit.
Et fuerit? Quid multa queror? nihil illa feſellit.
Ipſa mihi, hos ludos, dixerat, eſſe ſuos.
Dixerat id, Cereris cum mucida fruſta rogantem
Ad me Getulum compulit ire ducem.
Tunc ego, cum legerem, quas agri diues, & auri
Gilimer, humenti fuderat ore preces,
Tunc poteram cauiſſe mihi. Tunc omnia, verſa
Damna mihi fuerant iſta timenda, rota.
Ærumnis modò diſco meis, & ſentio, nullam,
Heu! nullam humanis rebus ineſſe fidem.

Serò

Sero nimis, fateor. Quid .n. cum perdita iam ſint
Omnia, ne perdam plura, cauere iuuat?
Mille meos ſoliti nutus ſeruare clientes.
Ante meas ſerui mille ſedere fores:
Me ſtipare frequens (nec inermis turba) ſatelles,
Et comitum innumeri me comitare greges;
Diffugere omnes, & verna, clienſque comeſque!
Immemores domini verna clienſque ſui.
Tecta mihi Phrygijs ſteterant effulta columnis
Penſileque è Mauro dente lacunar erat.
Calcabatur onyx, parieſque refulſerat auro;
Expauere meos picta aſarota pedes;
Plenaque fumoſis pendebant atria ceris,
Viſaque erat fumo cera ſuperba ſuo.
Tota tamen ſubitis ſunt verſa palatia ventis,
Maximaque eſt vna ſtrage ſepulta domus.
Adde, tot infecti factique talenti metalli,
Aera Corinthiaco tot liquefacta rogo;
Quæ Craſſi potuiſſe ſitim ſedare putares;
Omnia ſors vno ſuſtulit illa die.
Aſpice biſſenos. Socio cum Conſule, faſces
Iam nihil ex illis faſcibus exul habet.
Cerne triumphatos victa Carthagine Reges!
Iam nihil ex victis Regibus ille tenes.
Sic bona, quæ virtus mihi longa parauerat, vno
Omnia fortuna rapta fuere ioco.
Enſis erat, (fulua qui pictus iaſpide, fuerat
Cingere, multorum terror, herile latus,)
Hunc mihi, dicebam, certè hunc, fortuna, relinques
Vt pia pro magno Cæſare tela feram.
Raptus, & ille fuit, Fuerit; Cogemus, inermes
Cæſare pro magno belligerare manus.
Reſtabant oculi; pars corporis optima noſtri;
Et, ſaltem hæc, dixi, pars mihi ſoſpes erit
Dixi ego: ſed dictum rapidæ excepere procellæ:
Pupulaque eſt oculis eruta bina meis.
Heu ſubitas noctes! quantis cadit vmbra tenebris!

Vndique Cimmerio pingitur ore dies.
Nuſquam Hyperioniæ lucent mihi lãpadis ignes;
Occulit ipſa ſuas inuida Luna faces.
Vrgeor æterna caligine: nigraque circum
Omnia. Me ſolus non fugit iſte color.
Inde vagus prenſo veſtigia dirigo muro,
Aut baculo incertos pono regente pedes:
Vnus hic & comes eſt,& cęci ante ambulo greſſus
Non alium nouit ſemita noſtra ducem.
Sic regit ille tamen miſeri veſtigia,cæcum
Vt ſinat infido ſæpè labare ſolo.
Tũ neq; qui teneat titubantem,eſt verna: nec vlla
Sunt, quibus imponam debile,fulcra, genu.
Abſtulit ira tui mihi fulminis omnia, Cæſar
Nec ſcio quid poſt hæc omnia,reſtet adhuc.
Reſtat adhuc vnum; memini. Tu tollere id vnum
Parce,quod vnum ipſis charius eſt oculis.
Reſtat amicus adhuc,oculis mihi charior ipſis;
Hunc vnum,vt tuleris cetera, linque mihi.
Dũ loquor hæc, medio recubantem cæcus amicũ
Quæro ſinu. At raptus iam mihi amicus erat:
Fortuna labente, fidem mutauit: & illum
Quo ſine vix poterat viuere, noſſe negat.
Do victas,fortuna,manus: nihil abuno; vincis.
Rapta mihi iam ſunt, quæ potuere rapi.
Nec mala plura tibi,ſuperant,quæ, ſeua,mineris,
Nec bona,quæ poſſis tollere, plura mihi.
Inde ſuis mea vita malis,non ſponte ſuperſtes,
Molitur tacitam,quà data porta fugam.
Apponetque lucro mortis ſi copia fiat:
Illius inſtantes optat amatque minas.
Dum tamen inueniat tanti compendia voti,
Porgite quæſitam vos, pia turba, ſtipem:
Induperator opem Beliſarius orat, & aſſem:
Nullum aſſem eſuriens Induperator habet.
Sic meritum dices, qui coniurante iuuenta
Impulerim ciues in tua fata tuos.

Falle-

Falleris ô Cæſar; non hoc ſuo nomine pœnas:
Expertem vitam criminis huius ago.
Nam, nihil vt videant aliud mea lumina; culpæ
Inſontem iſtius me tamen eſſe vident.
Et, niſi noxa meam grauis vreret altera mentem,
Conſcia nullius criminis illa foret.
Nunc ego, non omnis ſceleris me prędico purum:
Læſi, quod Magno Cæſare maius erat.
Extorrem, infelix, egi Siluerium. Ab illo
Crimine, res omnis eſt mihi verſa retro.
Da veniam Tarpeie Parens! A vertice ſacro
Debueram iuſſus abſtinuiſſe manus.
Iniecisſe pudet. Romani ignoſcite: veſtrum
Impius inuaſi nullo ego iure caput.
Nec ſcelus excuſo, fieri quòd fæmina iuſſit;
Iuſſerit: à titulo eſt maior inerte pudor.
Qui prius ora virum terrere ducumque valebam,
Vna repentè mihi fæmina terror erat.
Inde meum ſcelus, inde dolor. Siluerius vltor
Criminis eſt: oculos eruit ille meos.
Sed pœnis ſatiare Pater mitiſſime ſumptis;
Læſaque pacari principis ora ſine.
Tuque libens vltro tua mittere fulmina ceſſa
Cæſar; & auguſta mitis, ab arce tona.
Cæcus vt inteream repetito funere, non eſt,
Non opus eſt, triſido me ferus igne petas:
Rem perages nutu: neque illo, ſiue labantem
Sternere, ſeu lapſu me releuare potes.
Et, ſpero, releuare voles. Decet iſta potentes
Gloria: nil miti nomine maius habent
Ipſe tuis etiam (quod vidimus) hoſtibus vltro
Tu ſolitus ſæpe es parcere, ſæpè ſoles;
Materies veniæ neque prima nec vltima fiam:
In mediis aliquem mi dabis eſſe locum:
Et, quem pauperies diram perferre coegit
Heu (mala, vix ſeruis perpetienda) famem,
Leuior hunc atro tu paſci pane iubebis,

Aut,ſi quæ dapibus decidet eſca tuis
Si tamen hoc etiam dignum eſſe fauore negabis,
Cæcus,vt ambeſi fragmine panis alat;
Hunc ſaltem oranti ſupremum impende fauorem.
Aere parata tuo condat vt vrna Senem.
Et patere,hæc illic in paupere in carmina ſaxo,
Aut hoc,aut ſimili ſcripta tenore,legi.
Emeritus victi domitor Beliſarius orbis,
Hoc totum à Magno Cæſare marmor habet.
Cetera quiſquis habet,cùm ſeſe credit habere,
Cogitet,exemplo perdere poſſe meo.

VI.

ARGVMENTVM.

CONRADINVM, Sueuorum Regem, vix quindecim annorum adoleſcentem, Regna paterna bello repetentem, hoſtis vicerat: & è fuga, cum Friderico Auſtrio æquali, retractum, Neapoli in vinculis aliquamdiu habuerat; donec lata capitis ſententia, vtrumque obtruncaret. Ipſe pridie,quam plecteretur,has ad Matrem Viduam, Sueuorum Reginam, dedit; cum lacrymis legendas. Lipſius,exemplis polit.lib.2. cap.24.

CONRADINVS, adoleſcens, moriturus, orbæ Matri.

DE SVO CARCERE, ET MORTE

Hinc,vbi Campano Siren vicina Veſeuo
Rauca Dicarcheæ murmura frangit aquæ,
Ite breues elegi,Septemque remota Trionum
Arua,per Auſonios vſque ſubite ſinus.

Ma-

Mater ibi viduos ſeruat Regina penates,
Et dolet aſpectu ſe procul eſſe meo:
Ite, precor, querulæque meum portate parenti,
Ipſa parens mitti quod ſibi nolet, Aue.
Imo merum portare Vale: nam miſſa fuiſſet
Multa ſalus matri ſi foret vlla mihi.
Dum tamen hinc itis, pede vobis claudicet vno
Verſus, & hac lentam nectite parte moram.
Nam iuuat ignorare diu, cùm mæſta propinquat
Non expectatæ nuntia charta rei.
Poſt quoque, tranſmiſſo cùm venerit Apennino
Sera ad maternas littera noſtra manus,
Parcite præcipiti ſimul omnia fundere lingua:
Tota cadat ſubitis ne domus icta malis.
Prima ſed obſcuris memorare: ambagibus vdas
Quæ faciant nullo credita rore genas.
Inde aliud ſuper atque aliud. Dum deniq; luctu
Exſuperante, genis omnibus imber eat.
Verba præibo. Dies vix primo Sole rubebat,
Plena viris acies, plena fremebat equis:
Iamque aberant teli non amplius agmina iactu;
Mugijt immenſo cum tuba rauca ſono.
Nec mora miſcentur conſertis enſibus enſes,
Et clypei clypeis, pes pede, virque viro.
Vulnera Vulneribus penſantur, ſanguine ſanguis;
Et nece, quam timuit, vindicat ira, necem.
Intumuit vulturnus aquis, ſtupuitque colore
Non proprio fluctus Cuma rubere ſuos.
Et mea Parthenope, Siculique Triquetra profundi
(Agnita quondam atauis vtraque Regna meis)
Eminus attonito trepidabant pallida vultu,
Protinus alterutri præda futura duci.
Pæne triumphato iam victor in hoſte videbar;
Cùm, vertit ſubitas Sors inopina vices.
Incipiunt nutare meis in partibus: & mox,
Cornibus impulſis, cedere fuſus eques.
Inde fugam ſperare pedes; ruere omnia: Campos,

Et nemora,& prata,& littora victor habet,
Ipſe (fatebor enim) numero deſertus ab omni
Non explorato tramite carpo fugam.
Auſtrius à tergo Fridericus inhæret: & vno,
Neſcio quo,profugi condimur ambo ſpecu.
Hic ego tot Iuuenes inter fidiſſime, dixi.
Digne loco, & ſocio proſperiore comes,
Cernis,vt à noſtris fortuna receſſerit armis?
Terga premit,clauſumq;omne habet hoſtis iter
Quid ſupereſt in rebus opis? quia fallimur arte?
Vix ſatis hæc vnum fida erit vmbra diem.
Prodita turba ſumus. Vel .n. lux craſtina coget,
Vel (niſi lux cogat) coget abire fames.
Res aliud tentare monet. Saga proijce mecum
Proijce Sidonio vellera pota cado
Ruſtica nos villo circundabit endromis hirto;
Pell bus inuerſis fallere forma ſolet.
Nox erit auxilio. Quid multa? Repertus agaſo
Et tegete informi,& paupere veſte iuuat.
Oebalij contrà nos tegmina tradimus oſtri,
Et phrygia textum tradimus arte Sagum.
Purpura non potuit vendi mea pluris: Et emtus
Maiori nequijt cento fuiſſe lucro.
Nam fuga ſub tali ſecura parabat amictu,
Quà breuior Thuſcum trames ad æquor erat.
Picta phaſelus ibi, gemino cum remige; iam iam
Candida Tyrrhæno vela datura mari
Curſus ei,Hetruſcas Alphea ab origine Piſas;
Moenia conſilijs non inimica meis.
Conſcenſurus eram. Sed nuſquam copia nauli.
(Huc recidiſſe meas vnda videbat opes.)
Vnus in articulo digiti mihi manſerat imi
Anulus; exiguus mole, ſed arte grauis.
Gemma Pyropus ibi fuluo quam pala metallo
Clauſerat, intacta docta flagrare manu,
Hæc mihi (Trinacrijs minitanti finibus arma)
Tradita, materni in pignus amoris erat.

Et

Et tamen hanc nautis (genitrix iraſcere) gemmam
Hanc,ſtolidus,naulo deficiente dedi .
Vtque dedi,perij. Me, eheu , me perdidit illa ,
Tam dilecta licet perdidit illa tamen .
Quippè oculos rapuit ſpecies Eoa pyropi ,
Dignaduſque manu nobiliore lapis ,
Nec mea bardiaco quadrabat forma cucullo,
Cumque ſuo diſcors endromis ore fuit .
Ergo latere dolos conclamat turba : videndum
Continuò quales,qui genus, vnde domo ?
Prendimur : & larua cognoſcimur ambo reuulſa ,
Illi ſigna nocent Auſtria,Sueua mihi .
Vincula mox teneris induntur ahenea palmis ;
Et duo victori tradita præda ſumus.
Inde triumphati,patriæ Sirenis in vrbem
Retrahimur;proauis moenia fida meis .
Hei mihi ! quantũ illo nunc differo Conradino ,
Quem comitata ſuum eſt Sueuia terra ducem ?
Qui modo compleram populos terrore Latinos ;
Littoraque armato Parthenopea metu :
Et caput impoſita ſperabam cingere lauru,
Victoremque inter ſigna referre pedem ;
Idem ego regnata iam captus in vrbe triumphor;
Quemque habuit patris Regia, carcer habet.
Atque vtinam ſolo ſæuiret carcere victor !
Interualla meus poſſet habere dolor ,
Nunc miſeris alterna iocis iniuria ludit ;
Alternis iterum terret agitque minis
Denique; (cur ſpatijs ego inanibus vltima vito ?)
Vltima ſunt oculis ſubijcienda tuis ,
Poſt quàm longa Satur tulerat faſtidia carcer ,
Et mora victori longior omnis erat,
Plurimus,ecce,fores fragor impulit : oſtia cedunt;
Adſtitit armata cum legione Senex
Territur ingreſſu Fridericus,viximus,inquit ,
Conradine,ferunt omina viſa necem .
Triſtia ſigna viden' ? viden' arma viroſq;? Satelles

Nil,niſi decretæ ſymbola mortis,habet.
Contrà ego; Parce metu fieri; imò benignior ho-
Incipit immunes carcere abire ſinet. (ſtis
Eſſe ferus neſcit Ludouici Sanguis: vt audit
Ipſe pius; fratrem ſic docet eſſe pium
Quod voluit; dum vicit,habet:nunquã ille cruẽta
Sæuiet in pueri dedita colla manu.
Adde,quod arma puer,quãquam infelicia,ſumpſi,
Arma tamen ſtudui ſumere iuſta puer.
Non peregrina vagus mihi littora prædio petiui,
Sed mea quæ moriens dixerat eſſe pater, (que
Si tamen aut meus hic fuit, aut patris error, vtrũ-
Iam diuturna mei carceris vmbra luit.
Plura ſibi nunquam petet ipſe piacula victor;
Viuere ſed gratum me ſibi teque volet.
Nuper vt Eoo germanum è carcere vidit
Pacto ad liligeros are rediſſe lares.
Barbarico laudaſſe fidem memoratur in hoſte,
Clementeſque feri Regis amaſſe manus.
Æmulus has laudes imitabitur ipſe: nec vllo
Carolus in pueri ſanguine ſæuus erit.
Talia cauſantem,ſpes,heu,quam vana! feſellit:
Tradita ſunt rapidis vota ferenda notis.
Ecce! Nigram interea ſubmota veſte tabellam
Promit, & hæc triſti fulminat ore Senex:
Venit ſumma dies,& ineluctabile tempus:
Mors rata iam patulas excubat ante fores.
Cras,vbi Sexta ſonum Temelei excluſerit æris
Hora,meus præco lege iubebit agi.
Ferrum vtrique caput iugulo cedente reuellet.
Hæc duo damnatis fata duobus erunt.
Dixit;&, ambobus Senior ſine voce relictis,
Obdidit æratas poſt ſua terga ſeras.
Hic mea quia verſet præcordia ſenſus, omitte
Quærere de ſenſu: conijce noſtra tuo.
Carceris anguſti,rima fallente,dehiſcit
Valuula;vicinum cernitur inde forum;
Ap-

Applico dimidios oculorum proximus orbes,
Quis nouus aduerſa turbet in vrbe fragor?
Conſpicor excelſam tabulati aſsurgere molem,
Lugubreque in media creſcere pegma via.
Funereo circùm paries operitur amictu,
Tenſaque ſunt toto pulla tapeta ſolo.
Ambit ahena locum manus vndique ponitur illic
Cippus, & extremo bina feretra ſitu (trum
Nēpe erit hoc noſtrum, exclamo, Friderice, thea-
O mihi plus oculis frater amate meis!
Hæc aulæa meo pingenda cruore, tuoque
Parturiunt ſtrages iſta feretra duas.
Parturiant; Bis ego, bis cædar ego vnus. Ego vno
Implebo geminas funere ſandapilas.
Solus ego bellum, ſolùs, duce nemine moui
Extera Campanis arma viroſque plagis,
Si ſcelus eſt, mouiſſe; luam ſcelus ipſe. Recedant.
Prælia quos inſons ad mea traxit amor,
Parcite victores ſociorum à ſanguine; totus
Tranſeat hac veſter per mea colla furor.
Nām tua quid meruit, Friderici, iuuenta? Nocere
Nec potuere tuæ, nec voluere, manus.
Solus amor, ſocioque fides ſeruare, nocentem
Fecit. Habet laudem tam pia culpa ſuam.
Ah! miſerande puer, mihi ſors vbi lætior eſſet,
Pars tibi de regno cederet æqua meo;
Meque nouum Pyladæ ſequeretur nomen; at ipsū
Maior Oreſtea te noua fama fidè.
Nunc, vbi mutatis exterrita ſuppara ventis
Abſtraxere meam per vada cæca ratem,
Tu ſequeris, Syrtes per, & vltima quæque ſodalem
Dignus amicitia proſperiore puer;
Tu tamen & talem ſequeris. Fortuna profugit
Tota; tamen, tota tu fugiente, manes;
Et mecum pereunte peris. Ne fabula Niſum
Laudet, & Euryalum, tu, Friderice, facis.
Audiet hoc annis voluentibus ætas,

Claraque de pueris fama duobus erit
Finieram lacrimis hæc omnia. Plura loquendi
Cum ſocijs nullam mi dabat hora moram.
Cetera ſeruabam tibi tempora, mater. At anni
Mille ea ſi fierent, vix ſatis illa forent.
Debuit hora tamen ſatis eſse vel vna iuberent
Vltima qua matre verba valere meam
Vltima: Nam properant momenta rotata, meūque
Incipiunt veſper condere & vmbra diem,
Inde grauem, & triſti patiar caligine noctem
Hei mihi! quæ tetricæ ſomnia noctis erunt!
Occurrent animo ſimulacra minantia; lictor,
Carnifices vncus, vincula, furca, rotæ.
Hic acies nudę iam iam vibranda machęrę;
Hic aderunt quærulæ triſtia ſigna tubæ;
Hic geminas tortis alij poſt terga lacert s
In nodum adducto ſtringere fune manus.
Hic ego met collum nudare videbar, & imo
Non ſurrecturus ponere genua ſolo,
Forſitan occurres, laceros effuſa capillos,
Tu quoque, & in gladios mater, & arma rues;
Iratique pedes prenſabis iudicis; omneſque
Implebis lacrimis, me miſerata, ſinus.
Miſcebiſque preces; medio dum funere raptam
Me patrio reddas exhilarata lari,
Talis fortè mihi per noctem ſomnia ludent,
Somnia, ſi demas vltima, vera nimis,
Mox, vbi deſerto Tythoni Aurora cubili
Naſcentem oſtender ſole rubere diem,
Aſpectabo vigil mea ſomnia. Vera ſonabunt
Aera, ſtrepent armis ſepta viriſque fora;
Horridus accurret (iam non mera ſomnia) lictor,
Et ſocios enſes carnificeſque trahet
Victima poſtremus ſequar ipſe: gemenſq; made-
Omnis ab aſpectu fæmina virque meo. (bit
Solus ab occulta victor (neque credo) feneſtra
Paſcere velle mea dicitur ora nece

Pa-

Paſcat, & è noſtro diſcat pallere theatro,
Verſaque fortunæ terga timere ſuæ:
Eſt mihi Cæſar auus: Siculæ eſt pater arbiter aulæ;
Et proauis tellus paret Ibera meis:
Nomina vana! Genus ſuccurrit imagine nulla;
Cæca inter titulos lumina lictor habet.
Nec patris ille videt, nec auorum ſceptra meorũ:
Et rigida Sueuos præterit aure duces.
Quis ſtabili durare loco ſperabit; in iſto
Si mea conſpiciat fulcra labaſſe iugo? (tris
Pulcra labant certè: Nuſquam vlla potentia pa-
Nuſquam implorati nobile nomen aui
Sola vocata mihi (ſed & hæc per ſomnia) mater
Nil profecturam ferre laborat opem.
Parce fatigatas genitrix impendere vires:
Vt venias verè, ſerò nimis venies.
Vtque etiam venias in tempore, fabula agetur,
Cuius ego, ò Mater, non bonus actor ero
Hanc quoque te madido legiſſe fatebere vultu:
Quid faceres, eadem ſi tibi viſa fores?
Ergo vale; &, ſine te permitte, vt fabula agatur:
O vtinam ſine me fabula poſſet agi!

VII.

ARGVMENTVM.

Cum SOSA Luſitanus ex India ſoluiſſet, iamque BONÆ Spei promontorium flecteret, tempeſtas coorta. Nauim diuitijs onuſtam afflixit. Ibi annona vndis corrupta: ſociorum alij naufragio hauſti; alij fraude circumuenti, armiſque, & veſtibus exuti. Vxor cum liberis fame extincta; ipſe Soſa à feris laniatus. Maffæus hiſt. lib. 16.

EMANVEL SOSA, naufragus, Luſitanis.

DE CLADE EX NAVFRAGIO.

VOs ego SOSA meos, ò pectora fida, Sodales,
Patria quos tuto ſeruat Ibera ſinu,
Vos ego Memnoniæ nauifragus hoſpes arenæ,
Ad mea ferali funera voce voco;
Funera; Nam vitæ ſuperat mora paruula, verbis
Quæ neque ſupremis tota ſat eſſe poteſt.
Illa tamen legitis dum verba ſuprema, ſinetis
Pectora me lachrimis veſtra rigare meis.
Sic gemitu incluſum modico laxabo dolorem.
Hæc mora continui parua doloris erit;
Nec tamen aggrediar cladis mala ſingula noſtræ
Pandere; plus vno ſingula digna libro;
Me potius paſſum ſemel omnia, & omnia dicam,
In-

(Inquinat hic noſtram fabula nulla fidem)
Nā neq;terra mihi,neq;lympha,nec aura,pepercit
Aptus eram cauſis SOSA perire tribus;
Certauit natura minis, dubiumque reliquit,
Sæuior aura meis rebus,an vnda,foret
Vicit Terra duas;Comitum,quæ ſola meorum
Innumero plenum funere littus habet.
Mille per infames Sabuli ſquallentis aceruos
Oſſa relicta feris alitibuſque iacent.
Vix mihi ter deni,ſocijs de mille, ſuperſunt:
Barbatica perijt cetera turba fame.
Vltima iam cogit penuria carpere dumos,
Quærereque agreſtes per mera teſqua rubos
Inueniſſe vnam tria poſt ieiunia glandem,
Eſt, Luculle,tuas pæne comeſſa dapes.
Nulli etiam fontes, labra nulli arentia riui,
Sordida ſed mixto recreat vnda luto
Quæritis,vnde ſit hæc feritas tam barbara terræ?
Imbuitur gentis moribus illa ſuæ.
Credite;d rrorum gens eſt minus aſpera fratrum,
Quos fouet in Siculo Trinacris Aetna ſpecu.
Tutior intrarem Getulas nauita Syrtes,
Maſſylæ peterem tutior antra leæ;
Littora quàm tetigi fallacis in hoſpita gentis,
Nullus vbi ſceleris perfidiæque timor.
Forſan & hoc aliqui cupient ediſcere,noſtram
Littora quis tulerit caſus ad iſta ratem?
Appulimus non ſponte ratem:ſed fluctibus actos
Expoſuit tali fracta carina loco.
Me miſerum! quid prima iuuat momenta doloris
Intempeſtiuo pingere velle ſtylo?
Pingo tamen. Feſſus rerum,domitiſque ſuperbis
Auroræ populis,diuitijſque ſatur,
Defenſaque DIO; (magnis vbi cladibus Indum
Ametuente meus reppulit arce Socer;)
Exarſi,patriæ iam dudum tactus amore,
Deſerto Heſperium viſere Gange Tagum.

Hoc ſocij, hoc optabat idem, cum pignore bino,
Illa mei conſors Eleonara tori.
Expedior: ceſſamq; argenteo diuite puppim,
Quaq; alia eſt felix India, merce grauo.
Nec deerant Gemmæ, nec Eois raptus ab vndis
Vnio, (dignandum pollice Regis onus)
Vix omnes roſtrata (ingens licet omnia poſſet
Cetera ferre) ſuas ferre valebat opes
Vnda querebatur molem, pertæſa: nec ipſum
Inſoliti patiens ponderis æquor erat.
Prouehimur portu tamen; &, pede carbaſa facto
Corripiunt iuſſam per vada ſalſa fugam.
Iam procul ex oculis diſceſſerat India noſtris,
Et vicina Bonæ luxerat ora ſpei
(Mentior; Ora mihi fuerat dicenda ſiniſtri
Ominis illa; Spei non erat ora Bonæ.)
Ecce! nigræ coeunt trepidante ſub ęthere nubes,
Et rutilum inuoluit nox violenta diem:
Inde micare feri ruptis è nubibus ignes,
Et fremere irato murmura rauca polo;
Eurique Zephyrique manus, Boreæque Notique
Ardua per larum bella mouere ſalum.
Ingeminant fluctus, ſcopuliſq; illiſa rebellant
Æquora, & infenſo plus furit vnda noto.
Expauere nouas ſtridentia vela procellas,
Et nuſquam auditas Tethyos antè minas,
Iamq; regi indocilis, non arte, ſed impete fertur,
Per coniuratas territa pupis aquas,
Tollimur alterno nunc vſque in ſidera fluctu
Hei mihi quos mōtes, cū tumet, æquor habet!
Alterno rapimur nunc vſque in Tartara lapſu;
Hei mihi! quas valles, cum cadit ęquor habet!
Tres ſine Sole dies, & tres ſine ſidere noctes,
Treſq; aliæ noctes, treſq; abire dies,
Dum lacerata ſuos ruperunt vela rudentes,
Ludibrium ventis vela relicta ſuis.
Turbine mox fracti ceciderunt robora mali,

Exa-

Exanimemque ruens abſtulit vnda ratem.
Hic clamare viri, trepidique pauefcere nautæ,
Et dubias inter, vota vouere, preces.
Proijcimus tum quiſque ſuas, & mergimus vndis
Quas auidi nuper quæſieramus, opes.
Fului adeò (quis credat?) honos ibi viluit auri;
Nec ſuus eſt Onychi, Sardonychique valor.
Faſtidita natat ſpretum inter Iaſpis Achaten,
Et cum beryllo vile Smaragdus onus,
Numquam ita diuitias me ſpernere poſſe putarã,
Mortis vti didici ſpernere poſſe metu.
Euacuata ratis gaza tam diuite tutum
Sperabat modicis iam fore rebus iter.
Parcite vel vacuis cæleſtes puppibus iræ,
Parcite: nil vltrà quod repetatis, habent.
Quicquid erat, dedimus: Supereſt, quam cernitis, vna;
Effugiat veſtras iſta carina manus.
Hęc ego cũ lacrimis. Rapit hæc tamẽ omnia ventus
Omniaque hæc, ventis durior, vnda rapit.
Dum loquor, ingentes agit vndiq; & vndiq; rimas
Nauis, & in medijs fiſſa dehiſcit aquis.
Hic, neque ſi calamis vtatur dextera centum,
Chartaque vel votis ſupperat æqua meis,
Expediam, miſeræ lamenta immania turbæ,
Aut varium viſæ cladis inibo modum.
Omnia turbantur clamoribus: obruit alter
Alterum, & auxilio fæmina virque caret.
Hauritur rapido pars gurgite naufraga: partem
Detulit in Libycum paruula cymba ſolum.
Triſte, licet, fuerit, comitum vidiſſe meorum
In numeros illa morte perire greges.
Euaſiſſe tamen vicina in littora viuos.
Triſtior, hac ipſa morte; medela fuit.
Nam quibus aura Noti, quibus ira pepercerat vndæ,
Exitium inuenti littoris ora tulit,
Vix emerſa cohors tumidis e fluctibus, ægros
Aren-

Arenti in ſabulo conſtituere pedes,
Cùm furua Æthiopũ magno ruit agmine pubes,
(Nullum Erebi quondam nigrius agmen erat)
Pars iaculis arcuque ferox; pars horrida fundis;
Vibrabat quernas pars numeroſa ſudes.
Obruimur numero. Tamẽ arma capeſſimus, &quę
Poſſumus, hoſtiles pellimus arte metus.
Pellimus. At facilem deſerto in littore victum
Qui mihi, qui ſocijs ſuppeditaret ager,
Nullus erat. Diſcurro vagus, portumque requiro:
Portus in ignoto littore nullus erat.
Quid iuuat hoſtiles igitur populiſſe pharetras,
Si fugiente poteſt hoſte necare fames?
Aut, quid ab æquoreis iuuat euaſiſſe procellis,
Arida ſi torrens enecat ora ſitis?
Enecet ora tamen ſitis, & penuria perdat;
Nam merui. At Socios non meruiſſe puto;
Non meruit tædis deſponſa iugalibus vxor;
Et pueri certè non meruere mei.
Parce fames iſtis: quibus aura pepercit & vnda,
Hos orata, mihi perdere parce fames.
Dixi ego, ſed ſurdæ. Nihil illa remittere. Nuſquam
Vllus in ingrato littore adeſſe cibus.
Cogimur ergo; datiſq; alimenta paciſcimur armis.
(Nunquam alias tanti res fuit empta mihi)
Hoſtibus arma damus, quæ ſola reliquerat æquor;
Sed tamen accepta tradimus illa fide.
Omnibus vna viris generoſior obſtitit vxor;
Arma viri, ingeminans, arma tenete viri;
Nulla fides hoſti; fraus barbara fallet inermes:
Arma cibos nobis arma retenta dabunt.
Præpotuit væſana fames; victique cruentis
Hoſtibus, accepta tradimus arma fide.
At venti rapuere fidem. Gens impia poſt quam
Diſcinctum Heſperio viderat enſe latus.
Eluſo gauiſa metu; nudauit Achiuos,
Quos perſonato texerat ore, dolos.

Inie-

Iniectaque manu, noſtris modo læuior armis,
Pulſarum totis finibus agmen agit,
Et cunctas auide ſpoliato à corpore veſtes,
Inuida quas nondum miſerat vnda, rapit,
Nec mihi nec ſocijs trama vlla relicta tegendis;
Inde oculos refugit quiſque timetque ſuos.
Vmbram omnes noctemque petunt: caſtuſq; ſubire
Alterum in alterius non ſinit ora pudor.
Abdita ſe Coniux ſabulo defodit in alto,
Quæque nequit ſabulo condere, crine tegit.
Ad latus hinc atque hic miſerabilis accubat infans
Atque inopem, plorans, matrem alimẽta rogat.
Quid faceret genitrix? pueros qua paſceret eſca?
Ambroſiam, ſi quà poſſet habere, daret,
Pectore ſi rupto, vel paſcere ſanguine poſſet;
Prodiga materni ſanguinis illa foret.
Quod ſuper vnicũ erat; geminis dedit oſcula natis:
Hæc cibus, hæc inopis fercula matris erant.
Quis mihi ſenſus ibi? genitor cum bina viderem
Pignora iam certa iamque perire fame!
Ipſa perinde parens anima defecta cadebat.
Quamq; ego non poteram ferre, rogabat opem.
Ergo, licet mea fracta fame mihi genua labarent,
Vix etiam vt plena ſtare liceret humo,
Mouerunt me dira tamen lamenta, putarem
Vt iuuenile meos robur habere pedes.
Silua procul vaſto ſquallebat opaca vepreto;
Horrida, & obſtructa, vix adeunda, via,
Huc feror: &, ſi qua rudis hæreat arbore fœtus,
Si qua vel in ſterili, quæro, ſit herba ſolo.
Nocte, dieque nemus dũ peruagor omne, reporto
Vix demum, gemini munus agreſte pyri.
Lætus & hoc: curro veluti ſi lecta referrem
Alcinoi farto plurima poma ſinu.
Me miſerum! Cur lenta nimis veſtigia fixi?
Nec properata meos impulit aura gradus?
Debueram mollem citus euulſiſſe myricam,

Aut

Aut teneram è prima fronde tuliſſe comam;
Forſitan annona vitam producere tali
Fas erat, & paucos fallere fata dies.
Nunc ego dum lentus remeo, tria cerno meorum
Non apportato funera facta, cibo. (niux
Quartũ ego (quo ſine me, gnati, ſine Coniuge Co-
Quo properi ruitis?) quartum ego funus ero.
Tardũ etiã quartum eſt: ſegnem excuſare: futurus
Primum egomet funus; ſi licuiſſet, eram.
Talia lamentans, dum littora & equora teſtor;
Nudaque crudeli pectora plango manu;
Labor inops animi, tenebriſque repente coortis
Deſtituunt ſenſus luxque colorque meos.
Et geminos patrio ſuperobruo corpore natos:
Pondere credo illos hoc voluiſſe tegi.
Erigor a Socijs. Iterum inde iterumque relabor;
Cumque tribus cępiterque quaterque mori.
Vt ſenſus rediere tamen, vultuſque dolori
Non potuit lacrimas ſuppeditare nouas.
Intuor adſtantes, vt erant; gemituque repreſſo
Mandata ad ſocios hæc referenda dedi.
Vos ego Soſa meos, ò nomina chara, ſodales.
Quotquot adhuc eſtis, vos ego Soſa precor,
Viuite contenti proprijs, quas Bætica vobis,
Quaſque Tagus patrio flumine vectat opes,
Neu petite Heſperio peregrinum Nerea velo;
Eoo cupidi cymbam onerare lucro.
Hei mihi! qui vobis hæc ſuadeo ſerus amicis,
Cur eadem ſuaſi non prior ipſe mihi?
Lætus Vlyſſeo vobiſcum ego gaudia portu
Nunc agerem; noto gaudia tuta ſinu.
Saltem, ibi pane famem, vilique leuare polenta
Sperarem, & liquido pellere fonte ſitim.
Aut morienti oculos qui claudere poſſet, haberem;
Quiuè rudi corpus condere vellet humo.
Hic, neque littorea moriturus humabor arena;
Sed rapient Afræ corporis oſſa tigres.

Nec

Nec me terra ſitim lympha recreare lacuſtri ,
Nec ſinit inuenta paſcere glande famem.
Iamq; iterum vires,dum ſcribimus iſta,labaſcunt,
Deſtituuntque ægram brachia laſsa manum ;
Et noua diffuſis oritur caligo tenebris ;
Scilicet agnatam nuntiat vmbra necem .
Nil moror : Amiſſis vna cum coniuge natis ,
Res me nulla iubet viuere,multa mori .
Vos tamen exſequias abſenti ſoluite Soſæ , -
Iſtud & in vacua ſcribite carmen humo.
Ne Soſæ cineres hic quære , nec oſſa, viator;
Nam locus hic , Soſa nil niſi nomen habet.
Cetera Memnoniæ rapuerunt omnia tigres .
Et præ Memnoniæ tigride ſæua fames.
Diues opum fuerat , gemmaque grauatus & auro;
Hinc ſpolium terris æquoribuſque fuit.
Nunc ille ex opibus reliquum manet omnibus vnũ,
Ciuibus exemplum poſſit vt eſſe ſuis .

Finis Libri Secundi .

PRO-

PROGRAMMA
AD B. FRANCISCVM BORGIAM.

QVI partas Proauis opes & Arcas,
Et CERAS, & Imagines, & Aulas,
Et quas Sidonio recocta veſtes
Fucat Purpura nobilis veneno.
Et quos prodigus alteros parabat
Fortunæ ſinus hinc & hinc fauores;
Et mille altera, iuſſeras cupitis
Quondam cedere PAVPERVM lacernis:
Perge hunc, BORGIA, perge amare morem:
Et præ carmine Nobili Maronis,
Nos amplectere PAVPERIS libelli,
Vultu non nimis abnuente, verſus.
Iam mortalibus expeditus aulis,
Calcas ſidera; perditaſque gaudes.
Tam large tibi fæneraſſe gaxas;
Dum ſpreri DVCIS, vnicus, priores.
Penſauit titulos BEATVS, omnes.
O magnum tituli lucrum abdicati!
ILLVSTRIS minus eſſe crederetis
Iam, FRANCISCE; niſi approbante Cælo,
ILLVSTRISSIMVS eſſe deſijſſes.

HE-

HEROVM EPISTOLÆ
LIBER TERTIVS.
De Miſcellaneis.

I.

ARGVMENTVM.

ASOTVS *hic, profuſo per luxum patrimonio, ſuum porcis paſcendis operam locauit. Sed tum ibi ne furfures quidem domande fami ſuppeterent, animum ad paterna domus fortunas reflexit: memor, qua rerum copia vel vernulæ ibi abundarent. Patri ſuas ærumnas deſcribit; &, quondam filius, locum ſibi vel inter mercenarios depoſuit. Euang. Luc.*

FILIVS. Prodigus Patri:

DE CALAMITATE FAMIS.

ORDIAR vnde meas, Genitor longæue, querelas,
Ille paternarum vera Charibdis opum?
An tacitus lacrimas, & ſingultantia fundam
Verba prius? Mixtas his an vtriſque præces?
An potius calamo chartaque madente, fatebor
Conſcius, exſilij probra pudenda mei?
Sed calamos chartaſque manus cunctata recuſat,
Et meditata fugit ſcribere verba rubor.
Scribere dira tamen renuentem cogit egeſtas;
Illa rubore meo eſt fortior, illa manu.

Scribo PATRI. Titulo iam littera peccat in ipſo
Inſcribenda meo rectius eſſet HERO.
Nam quid ego Patrem voco, degener indole? vita
Hoc mea me genitum patre fuiſſe negat.
Fac tamen, agnoſcat genitor; res abdicat ipſa,
Peccatum eſt, tali dicere Patre ſatum.
Sed peccare iuuat: veniam hęc mea culpa meretur
Patris enim debes nomen habere pater.
Solus ego titulo ceſſabo priore vocari
Filius: & famuli nomen onuſque feram.
Hei mihi! cur abij? cur ditia tecta reliqui?
Omnia cum patria mi periere domo.
Inque vicem ſubiere nouæ, mala triſtia, plagæ;
Quas mea me prohibet diſſimulare fames.
Iam ferulæ ſubducta manus; nucibuſque relictis
Edomitos ætas apta regebat equos,
Cùm cupij terras, alio de Sole calentes,
Noſcere; materni iam ſatur orbe ſoli.
Inſtigabat amor; ſtimuloſque addebat amori
Degener, ad mores facta, inuenta, meos.
Sed numos poſcebat iter. (Nam diuite Patris
Aſſe saginandus venter abſotus erat.)
Ergo ferox (meminiſſe pudet) bona patria poſco:
Plangebas genitor pectora; poſco tamen:
Acceptoque amens ſemiſſe; larique patrique
Et fratri ſiccis dico valere genis.
Vt faſtidito miſer à Genitore receſſi,
Hoſpitaque incautos intuli in arua pedes,
Continuò comites &, pectora ficta ſodales,
Armarunt oculos ad mea damna ſuos.
Aurea mirantur pendere monilia: & ambas
Vndique gemmata luce nitere manus.
Et Tyrio miſſas, Serumque à littore, veſtes;
Quaſque patris dederat gaza, tuentur opes.
Hæc precium fecere mei. Sociæ inde cohortes,
Et paraſitorum, prodiga pompa, greges,
Hi ſtipare latus, operam hi præſtare togatam:
Gens

Gens vltro in clades officioſa meas.
Deniq; quicquid agi placuiſſet, quicquid omitti;
Vnicus iſta mihi turba Senatus erat.
Ergo dies epulis Saliaribus æſtuat omnis;
Continuatque ſuas feſſa culina dapes.
Potaque coguntur peregrino exſtinguere luxu
Non expectatam Cæcuba vina ſitim:
Nec cyathis bibimus, modiciſque infuſa culullis;
Ebria ſed totis mergimus ora cadis.
Luditur interea pereuntibus alea numis;
Et iacitur rarus Senio, ſæpe canis.
Ne mea damna tamen ſentire Canicula cogat,
Obſtat Arioniæ tinnula chorda lyræ,
Pectine quæ blando dum plurima perſonat, omnẽ
Auocat à damnis ſenſum animumque meis.
Inde chori, & choreę Pudet ah pudet vltima fari?
Maior erat, fierent cùm reticenda, pudor,
His primi ceſſere dies, ceſſere ſecundi.
His ſtudijs alter menſis, & alter ijt.
Sol duodena ſuo iam Signa peregerat ortu,
Biſque etiam Senas æmula luna vices:
Nec dum nota mihi violatæ damna crumenæ,
Nec ioca fortunæ, quæ ſtruerentur, erant:
Cum ſubitò ventis defecta carina ſecundis,
Reſtitit in medijs interijtque vadis.
Nam, ſimul exhauſti mihi copia vanuit auri,
Deque omni reliquum mi fuit Aſſe nihil,
Mutauit fortuna fidem. Fugere Sodales,
Et paraſitorum deſeruere greges,
Prætereunt veteres oculo nictante, clientes,
El ſemel affari, quem coluere, piget.
Iam noſci mihi nemo cupit, iam noſcere nemo;
Iam dare promiſſam nemo rogatus opem.
Tunc ego, quid fieret poſtremò denique ſenſi,
Pænituit, patria, tunc abijſſe domo.
Tunc odiſſe choros, & inertia damna choraulas,
Et procul Orpheas velle fuiſſe cheles.

Serò

Serò nimis ſapere Phryges. Iam rebus adeſis
Parcere conſilium ſegne; & inane fuit:
At nondum iſta meæ mala ſunt extrema querelæ
Altera me telo foſſa grauiore, ferit.
Ecce! nouæ ſubeunt agitatæ Mænades oeſtro,
Vnanimeſque in me, turba pudenda, ruuat.
Hinc digitos gemmis, hinc colla monilibus orbăt;
Hinc prædam è Tyriæ vellere veſtis agunt:
Expulſumque domo, grauibus riſerre cachinnis.
Stultitiæ fuit hæc debita pœna meæ.
Debita pœna fuit, ſed non fuit vltima: plecti
Pluribus, vt ſaperem, debuit illa modis.
Palida compenſant veteres ieiunia menſas,
Et macie lenta vindicat ora fames.
Imprandus traduco diem; ventrique ſoporem,
Pro veteri cœna, præparat atra Ceres.
Quid faciam porro? Per compita publica tendam
Gratuita inſuetas pauper ad æra manus?
Quique meas rapuere dapes, mendicus ego horũ
Mucida ſemeſi fragmina panis edam?
Erubuit ſua probra fames, Conſultius illi
Viſum, apud ignotos eſurijſſe, fuit.
Omnibus ignaris, damnoſam prodigus vrbem
Deſero, & obſcuri tecta requiro ſoli.
Deuenio poſt longa fugæ diuortia, ſerus
Hoſpes ad antique vile mapale caſæ.
Hic gelidæ valles; hic, edita culmina, montes;
Cætera non felix occupat arua ſeges.
Frondea ſiluarum circum querceta ſuſurrant,
Et pluit innumera fertile grande nemus.
Tum miſer audebam, poſita formidine, primam
Poſcere; iam nulli cognitus hoſpes, opem.
At mihi, cum Cererem lingua titubante precarer,
Quàm rudia ad tales verba fuere preces?
Vtque dein'fruſtum dedit atri villica panis,
Quàm rudia ad tales ora fuere dapes?
Credita maſſa mihi terræ fuit illa ſubacte,
Aut

Aut ſi quid terra nigrius eſſe ſolet.
Sed didicit condire fames ſua fercula: mollit
Corna, gaueſque vetat dentibus eſſe rubos.
Et morſu ſpoliare docet nemora; inque ferinos
Irruere, ſtomacho non renuente, cibos.
His vbi me ſperare fames meliora vetabat,
Cępi operam in vili corte locare meam.
Nec tamen aptus erã, aut validas librare bipẽnes?
Aut ruere i mpacto putre ligone ſolum.
Aut ſociale iugum domitis aptare iuuencis,
Finderet vt putrem vomer ahenus humum.
Paſcua reſtabant. Ego ſortior illa; pedoque
Paſcua Setigeros in ſua duco ſues.
Quis mihi tunc ſenſus, ſocijs ſi fortè viderer
Talis in immunda ſtare ſubulcus hara?
Ipſa ſuam quoties hic forma notauerat vmbram,
Lugubris eſt vmbra territa forma ſua.
Et mea iam nullis onerantur tempora cirrhis;
Lurida cæſaries, & ſine lege coma eſt.
Quoſque humeros torques hamato preſſerat auro
Scortea nunc vili pondere pera premit.
Et quondam armillis, gemmiſq; grauata, colurnũ
Circumfert, baculum, pondus agreſte manus.
Quique Roſam calcare prius violamque ſolebant
Aut aliquid Viola mollius, atque Roſa,
Illuuie pleni Saxeta per horrida, perque
Aſpera coguntur currere teſqua, pedes.
Calcatis refero veſtigia læſa vepretis,
Et malè vitatis crura notata rubis.
Tum, nimio vertex Hyperionis vritur æſtu,
Aut madidum lapſo torpet ab imbre caput,
Vtque fatigati gemuere laboribus artus,
Et ſaturum è paſtu depulit vmbra gregem,
Triſte cubile parat laſſis humus obuia membris,
Et macra ieiunus corripit ora ſopor.
Hic verò, ipſa famẽ mihi ſomnia noctis acerbant,
Fingere præſentes, nec dare, ſueta cibos

E Sæpe

Sæpe ſinu, toſte de promere fruſta farinæ,
Atque auidè impreſſo mandere dente iubent:
Sæpe pyrum videor prono mihi poſcere morſu,
Quærereque amiſſam, vel reperire, nucem:
At ſaturum hac fingunt dape dum mihi ſomnia,
ventrem,
Deliciaſque breues dentibus vmbra facit,
Excitor infelix, epuliſque fugacibus inſto.
Veraque nocturna de dape fruſta peto:
Nulla ducum ſpecies, menſæ pyra nulla ſecundæ:
Mobilis illuſo fugit ab ore Ceres: (ples?
Improba nox, dapibus miſerum quid inanibus im-
Non ſatis ærumnis lux erat ipſa meis?
Dum quæror, ecce, lies radijs properantibus vrget
In ſuo conſuetos ducere rura greges.
Surgo, manumq; pedo, peramq; accommodo collo;
Notaque cum Socia rura reuiſo fame,
Actus ibi ſine pane dies; in prandia glandem,
Et lecta in cænam de vepre mora, parat
Mox eadem cum nocte fames; eademque per ēnis
Siue oriente die, ſiue cadente, redit.
Ah, quoties vili deſidero furfure paſci?
Sed neque de vili furfure paſtus adeſt.
Ergone, quæ gregibus præbentur pabula brutis,
Non eadem eſuriens pabula paſtor habet?
Non habet. Vtque habeat; voti miſerabilis eſcas
Quis dignas lacrimis omnibus eſſe neget?
Verum egò iam tantis vota irrita perdo querelis:
Dura vel ad ſiliquas ſit mihi terra ſuas.
Interea patria, memini quàm largus in aula
Mendicis pateat ſeruitijſque penus.
Victus ibi, atque ingeas operas annona ſaginat,
Et mediaſtinos copia panis alit.
Faſtiditque ſatur plebeiam verna polentam,
Nec ſpatium venter, quò ſua condat, habet.
At peregrina meas tenuam ieiunia vires;
Inque dies cogis fata timere fames.

Quid

Quid moror ergo amens,nōdūq;reuertor ad illos,
Quos male deſerui,patre querente, lares?
Ire iuuat; iuuat. Ite pedes. Patria illa,meuſque
(Ah, meus!) eſt, ad quem vos iuuat,ire pater.
Vtraq;cauſa morã iubet omnẽ abrumpere.Surgo,
Et patriam,& patrię viſere pergo patrem.
Non feret ille meos macis palleſcere vultus,
Nudaque brumali membra pauere gelu.
Forſitan,& lacrimis manantibus ora rigabit,
Viderit ærumnæ cum ſimulacra meæ:
Occuretque libens & victus amore paterno,
Coget in amplexus me prior ire ſuos.
Nolo tamen NATI veteri me nomine dicat.
Excidit à nati conditione Nepos.
Sed famuli tantum, vel Serui nomine dicat:
Dummodo ſim PATRIS,quidlibet eſſe volo

II.

ARGVMENTVM.

PETRVS, *è ſpelunca, in qua ſeſe amariſſimè deflebat, ad B. Virginem ſcribit: & lacrimans, de ſcelere confeſſus, Matris patrocinium apud offenſum Filium: precatur. Euangel.*

PETRVS Pænitens, B. Virgini.

DE CHRISTO, TER NEGATO.

ACcipe VIRGO, mei Genitrix dilecta Magiſtri.
Mittitur è latebris quæ tibi charta meis.
Illam oculo dignere pio; licet impius auctor
Miſerit, auctoris nil habet illa ſui;
Quid velit, expectas, quidque oret Epiſtola? Ferre,
Quam prope ſola mihi tu potes, orat opem.
Mater es; affer opem: læſi tua pignora, læſi:
Auxilio Matris tam graue crimen eget.
Culpa fuit lacrimis ſi digna perennibus vlla,
Dilueret totis quam neque Nilus aquis;
Illa fuit, fuit illa, meæ (nihil abnuo) linguæ,
Illa fuit linguæ culpa pudenda meæ.
Hęc lacrimas, hęc poſcit aquas. Satis eſſe nec Iſtri,
Nec ſatis immenſæ, Tethyos vnda potes.
Non potes eſſe ſatis, ſcio non potes! indiget omni
Quæque fuit, quæq; eſt, quæq; erit, auctor, aqua.
Qualis, ais, tua culpa fuit? Pudor impedit illam
Prodere. Sed pudeat prodere. Culpa fuit,
Sit mihi, ter dixiſſe, ſatis. Quid ſæpius vrges

Dicere; lingua nocens fiat vt vna quater?
Tu tamen, vt crimē, quod prodere lingua recuſat,
Noueris; inuitam ſcribere cogo manum.
Cogo Repugnat enim manus ipſa, timetq; fateri
Sed quamuis renuat ſcribere, cogo tamen.
Hei mihi! quis mētem rapuit timor? Ille magiſtri
Quondam indiuiduus nocte dieque comes,
Præuia qui fueram celeri veſtigia paſſu
Ante alios (animo nil trepidante) ſequi.
Siue per apricos, excelſa cacumina, montes,
Siue humile in planis vallibus eſſet iter,
Qui ſimul audaces, ipſo duce, figere greſſus
In liquidis memini me didiciſſe vadis:
Pollicitus medios incurrere nuper in enſes,
Obuiaque impauidum mittere in arma caput;
Ille ego nunc (miſerum!) profugus iurata reliqui
Agmina: Sunt domini prodita caſtra mei.
Nox erat, & plenam tremula face DELIA bigam
Cœperat in medijs cæli agitare plagis;
Corpora nos mæſti virides abiecta per herbas
Sternimus irrepit lentus in oſſa ſopor,
Ter conatus eram languentia tollere cælo
Lumina; ter vigiles preſſerat vmbra genas;
Audiri interea fragor & crebreſcere; circaque
Omnia nocturno plena ſonare metu.
Excutior ſomno, Circùm, arma virique, faceſque,
Et bellum, & bello triſtius omen erat:
Ipſe ibi ſe Iudas ante arma viroſque ferebat:
Quid, miſer, hoc, Iuda, clamo, quid agmen aget?
Ille nihil contrà; ſed pallidus occupat ambas
In diuina (ſcelus!) mittere colla manus.
Oſculaque impingit cæleſtibus impia malis;
Et træpido ſæuum murmure dicit Aue.
Inde alij ſuper atque alij feriuntque trahuntque
Vnanimes captum turba rebellis, herum,
Hic ego, neſcio quò, per & auia & inuia lapſus

Indecorem vano tentò pauore fugam.
Et veniam fuga fortè aliquam meruiſſe. At illud,
Quod redij,crimen,quàm fuga maius habet.
Nam redij pulſa,vt licuit formidine; & hoſtes,
Non obſeruatus,quà præiere,ſequor. (lo:
Sed procul, heu! longo procul inſequor interual-
Quoſque petunt illi,clam,peto & ipſe,lares.
Debueram Scyllæ potiùs,vel inhoſpita Thracum
Tecta,vel Hircaniæ luſtra ſubiſſe feræ?
Ac,niſi læua mihi mens illa nocte fuiſſet,
Abditus in fætæ tigridis antra forem.
Nam domus illa mihi crudelior omnibus antris,
Sæuior & luſtris omnibus,vna fuit.
Vix ingreſſus eram; video atria feruere turbis,
Et media ſtructos nocte calere focos.
Aſſocior; gelidoque repello à corpore frigus:
Sed maiora meæ frigora mentis erant,
Fortè puella foco digreſſum vt viderat; hic eſt,
Certe,ait,hic IESV eſt de grege miles,hic eſt,
Falleris,exclamo, malè, falleris improba Nunquā
Vllo ego ſub IESV me meruiſſe ſcio.
Sic ego. Sic alius lateri vicinior: Audax,
Tun' ait, iſtius te comitem eſſe negas?
Eſſe nego,dixi,verbum ô lacrimabile dixi.
Et ſtupuit gemino territa lingua probro.
At ſatis eſt iam,lingua tace: caue lingua, ter eſſe
Perfida: Crimen erit inge,fuiſſe ſemel. (gè
Fruſtra ego. Voluor adhuc,ſcelerũq;per vltima lō-
Ad ſtygium præceps vſque barathron agor,
Ecce? ruunt alij diuerſa parte; probantque
Teſtibus vnum omnes pluribus, eſſe reum:
Ille timor te prodit, ait. Galileus es, alter
Inquit,& ex illo te grege lingua facit.
Rurſum alius; medijs errantem in collibus horti
Vidi ego te, IESVM cum caperemus, ait:
Excuſare nequis: plus teſte grauaris ab vno:
Res habet hic nullum diſſimulata locum.
Quid

Quid facerem? demens per ſidera conſcia, nuſquā,
Nuſquam oculis viſum, iuro, fuiſſe meis.
Atque adeò vindex, inquam, mihi terra dehiſcat,
Inque meum recidat fulminis ira caput
Pluraque periurus (pudor eſt meminiſſe) furebam:
Spretaque caſuri eſt fulminis ira mihi.
Sic ego, quem viui ſobolem laudare Tonantis
Auſus de Socijs omnibus vnus eram,
Iam neque dignabat mortalem agnoſcere, cuius
Crederet extrema parte fuiſſe comes.
Tertia finiet iam ſtolidæ periuria linguæ,
Et mea ter fuerat iam temeraria fides,
Cùm criſtatus adeſt, cortemque exſuſcitat, ales;
Finitimumque iugis nuntiat eſſe diem;
Tunc oculis depulſa meis caligo, patratum
Exhibuit, fruſtra nocte tegente, ſcelus.
Et ſubiere ægram, ſed ſerò, oracula mentem
Edita que domini voce fuere mei:
Excubias dum lucis auem cantare ſecundas
Audieris, ter me, Petre, negabis, ait.
Aſt ego; paſſurum me (magna & vana locutus)
Mille prius plagas ſpondeo, mille neces.
Spondeo: ſed galli didici Thraſo denique cantu
Vera nimis domini verba fuiſse mei.
Nam neq; mille neces, neq; plagas mille minatus,
Intenta ferri cuſpide, miles erat:
Sed, trepidum, verbo me fæmina debilis vno
Impulit ignaua vertere terga fug a.
Quis mea tunc, (Superi!) rapuit præcordia ſenſus?
Nuſquam erat exſangui viuus in oſse calor:
Protinus egredior; lunamque peroſus, & aſtra
Vito; mei teſtes quos pudet eſse probri,
Et vagus, inuentæ ſubeo ſpælea cauernæ:
Viuus ibi tumulo non renuente tegor.
Hic lacrimis inaduiſse iuuat; iuuat ora perenni
Flumine, & infames vſque rigare genas.
Hic cæli ſoliſque expers, damnabo tenebris

Lumina; & æterna membra domabo fame.
Quæque iter errauit, pœnas dabit improba mille,
Milleque cum dederit improba, mille dabit.
Hic vlulans, gemitu ſuſpiria mixta ciebo,
Et feriam cruda pectora dura manu.
At matutino cum cantus ab alite poſthac
Obſtrepet, in promptu lacrima maior erit;
Donec ab aſſiduo exeſa liquoribus ora
Permutent oculos perpete nocte ſuos.
Fabula Graiorum fuerit, Sypyleia mater,
Saxea quam nimius vertit in ora dolor:
At Solymis ego vera dabo documenta; perenni
In lacrimas verti poſſe dolore petram.
Interea, pia Mater, opem, quam flagito, præſta,
Et veniam à nato quam rogo poſce tuo.
Hoc precibus dabit ille tuis; neque vota parentis
Irrita abire ſuæ filius vlla ſinet.
Ipſe genu prenſare velim, pronuſque verendos
Terrarum dominos accidere ante pedes;
Sed prohibet prodire pudor; diuinaque coram
Vſurpare oculis fontibus ora, vetat.
Adde, quod acceſſum mihi circumfuſa negaret
Impia lictorum carnificumque cohors.
Nam talis rabies agit illam & tanta cohortem,
Quanta nec Armenias incitat ira feras.
Incubuere ſacris pugnorum pondera malis,
Oraque ſacrilegas ſuſtinuere manus.
Illa eadem ſputis, & olentis pure ſaliuæ
Oblita, vix formæ ſigna prioris habent.
Fluxa coma eſt, laceriſque capite lugubre capillis
Squallet, & auulſis barba ſoluta pilis.
Infinita vomunt ſpurcæ conuitia linguæ,
In patrijs Erebi ſcommata nata focis.
Ipſe tamen muto ſtat ibi patientior Agno,
Ignarus populi de feritate queri.
Hac facie poterat rabiem exarmare Leonum;
Hac poterat Pardos, hac domitare Tigres.

Hac

Hac quoq; dum ruerem grauis in periuria præceps
Hac, inquam, intuitus me ſimul ille fuit.
Amiſere ſuas periuri a territa vires.
Et vetuit linguam dicere plura dolor.
Saxea quin etiam rupit præcordia; verſaque
Indole, de petra currere iuſſit aquam.
Currere iuſſit aquam: neq; deſinet illa. Madebant
Hac oculi ſemper, donec erunt oculi,
Quondã etiã, ſculparuè, licet, pingaruè, madebunt
Ora mihi; & lacrimis ſemper IMAGO ſluet.

III.

ARGVMENTVM.

ALIPIVS *adoleſcens, in amphiteatrum a ſocijs pertractus, oculis aliquamdiu fortiter clauſis aſſederat: ſed repentino clamore concuſſus, cum ſuſpexiſſet, furorem hauſit; quo deinde ad ſpectacula per ſe ipſe ruebat. Reſipicens hiſce litteris ſuum periculum apud Auguſtinum deplorat. Confeſſ. S. Auguſt. lib. 6. cap.* 8.

ALIPIVS reſpicens, AVGVSTINO.

DE PROFANIS SPECTACVLIS.

PArs animæ Auguſtine, meæ; Patieris vt aures
Pauxillum obtundat noſtra querela tuas?
Non aliena querar. Sed ego, te iudice, ſolus
Et reus, ipſe meæ litis, & actor ero.
Me miſerum! quæ cauſſa duos violenta ſodales
Tam procul & terris, & procul egit aquis?

Te libycus rigua delectat Bagrada ripa,
Spectat vbi Tyriam Punica Byrſa domum,
At mea me patrio rapuerunt Carbaſa portu,
Et tulit in Latium ventus & vnda ſolum,
Tibris vbi infuſo dominos Aniene Quirites
Alluit,& Septem eſt edita Roma iugis.
Hei mihi! cur ſine te Tarpeia culmina vidi?
Indiguit ductu noſtra iuuenta tuo.
In Sicula poteram diuertere tutius Aetna;
Non ibi ſæua magis luſtra Cyclopis erant.
Et nocuiſſe minus potuiſſent littora,Nautas
Attonitos cantu ſueta ligare ſuo.
Inſidet hic Siren iuga bladior omnia;& omnes
Occupat illecebris inſidijſque vias.
Nexuit iſta mihi laqueos;& nulla timenti
Damna,ſuis peperit grandia damna dolis.
Namq;ego,(qui Circi deceptos amore,peribam,
Dum rota quadrijugis acta volabat equis.)
Te retuli reuocante pedem;ceſſique monenti:
Et iuſſa eſt oculis meta valere meis.
At Capitolinos dum rurſus obembulo colles,
Romaniqúe tero Martia ſepta fori,
Alter ibi incautu, rapuit me turbo.Nec altes
Auguſtinus ibi, qui reuocaret,erat.
Agmine denſato iuuenum globus obuius ibat,
Flauia qua ſurgunt Amphiteatra via.
Munus ibi populo crudelis Arena parabat,
Mutua fædaret quo ferus ora cruor.
Iam fora concurſu plateæque viæque calebant:
Inde frequens,plebes, inde ruebat eques.
Implentur cunei:Podio pars ſpectat ab imo:
Pars Caueæ ſumma de ſtatione videt.
Hic aliquis noſtrum,reliquis audentior:Imus
Vna omnes;ſupereſt dum locus,imus,ait.
Excipit alter,eo.Mox alter & alter,eamus.
Atqui ego vobiſcum;parcite nullus eo.
Ibis enimuero.Neque tu damnabis id vnus

Quod populo toti munus Arena dabit.
Non iubet ire:Geram vobis ego cetera morem :
Nunc mihi nec lubet illò ire,nec ire licet.
Rumparis,licet ibis.Et inter verba minati
Verbera,luctante,quò voluere trahunt.
Ducite,clamo;pedes ſi libertate carebunt;
Noſtra ſui certè lumina iuris erunt.
I licet ingreſſos, media inter equeſtria iuſſit
Lectius aptato quemque ſedere gradu.
Sedimus. Arrecto Socij in ſpectacula vultu,
Hoplomacoſque dari, Pinnitrapoſque vident.
Mox,ſua,quæ pauido præludat parmula Threci :
Mox ſua,quæ Samnis ventilet,arma notant.
Hinc Mirmilloni qua retia parte minentur;
Inde Secutorem qua petat arte Tridens.
Confuſiq; fauent, iraſcunturque: Cachinnos
Plauſumq; alterno turba furore ciet,
At meus intera labor eſt,diuertere mentem,
Et matura oculis obdere vela meis.
Aut intenta libro defigere lumina;& illic
Seria priſcorum voluere facta virum.
Scripſerat Euganeo quæ quondam pota Timano
Penna,Antennorij docta miniſtra Tiri.
Hæc mihi Barchinnos Itala inter ſigna furores
Rettulit,& luſci Punica bella ducis.
Et Trebiã,& Latio ſtagnantes ſanguine Cannas,
Et Fabij lentas,hoſte vagante, moras.
Hæc oculos tenuit ludo meliore voluptas,
Et gladiatorum mille mihi inſtar erat.
Inde die nuſquam mihi ſica furentis Arenæ
Viſa;diu ſtrages obuia nulla mihi.
Donec ab effuſo populus clamore cachinnum
Suſtulit.Hoc Dorylas,hoc Periander habet.
Tunc mihi quis ceras Ithaci de naue petitas,
(Opportuna meis auribus arma)daret?
Tunc egui,tunc nemo dabat. Suſpecta tegebam
Lumina nequicquam: proditus aure fui.

Illa tegenda fuit. Quia dum reboante theatro
Vox eadem toties ingeminatur, Habet,
Inſequiturque fragor: ſimul omnia viſa moueri,
Me circùm, inque ſuo nemo manere loco:
Excidit hic oculis conſtantia. Clauſa reſigno
Lumina; viſurus, quid noui Arena ferat;
Et video Dorylam (quem pinguior ante Sagina
Pauerat, ac multus ventre grauarat adeps),
Extentum recubare ſolo: dum craſſus hianti
Vulnere maneret, non minor amne, cruor,
Is populi imbellem renuens orare fauorem,
Indecorem preſſi pollicis odit opem;
Victoremque iacens irritat, & ocyus enſem
Porrecta iuguli mergere parte iubet.
Nec mora, ſæuit atrox repetito vulnere victor,
Et punctim immerſo traijcit enſe gulam,
Triſte nefas oculis, dignumque perennibus vndis
In mera plaudentis gaudia plebis abit.
Quid miſera de plebe queror? vicinior vrget
Materies. Probro torqueor ipſe meo.
Nam veluti magnis aucti torrentibus amnes
Prata per, & nulla per ſata lege ruunt,
Mox ſolidas quercus, & celſa cacumina pinus,
Grandiſque inſueto pondere ſaxa rotant,
Raptantur fragiles etiam inter magna myricæ.
Nec ſeruare locum victa geniſta poteſt.
Sic vbi diffuſus per hiantia vulnera, (numquam
Ante mihi viſo,) bullijt amne cruor,
Æneadas rapuit magnos furor: abſtulit idem
Me calor: & magnam pars ego parua ſequor.
Continuò tædis mihi pectus Erynnies atris
Cingere; & arma oculis arma placere meis.
Claudo repentè libros; & prælia lecta peroſus,
Ad fera, quæ poſſim cernere, bella ruo.
Iam Mirmillo placet, criſtæque inſignia Piſcis;
Et iactum Gallo rete cauente placet.
Threcibus applaudo prior; & mox pollice verſo

Pin-

Pinnirapos,icti cum cecidere,premo.
Me,gladiatorũ genus omne ab origine ; Nomẽq;
Et famam,& vires diſcere,& arma,iuuat:
Quas numeret palmas;quot vulnera quiſque:
Merenti
Quam dederit tardus cuique laniſta rudem?
Tota dies teritur Caueæ inter, & inter Arenæ
Dedecora:& longam ſe negat eſſe dies.
Nam licet edantur ſpectacula plurima, votum eſt
Plura dari. Saturum copia nulla facit.
Creſcit amor ferri : Cumque auctorata quieuit
Sica;auctoratus gaudia Culter habet.
Diuiſere diem Mars, & Diana:ſuoque
Ille gregi alternas ſeruat, & illa,vices.
Hinc matutinas Gladiator ſutripit horas;
Tempora Venator poſteriora,mihi.
Quando Cleoneum venabula fixa Leonem
Excipiunt:rabidam quando machæra Tigrim:
Luctanteſque reos immanibus obijcit vrſis,
Aut alios alijs terret Arena feris;
Tunc oculis, tunc ore libet,tunc corpore toto
Indulgere; meaſque eſſe putare dapes
Et iocus eſt,ſtrages,faciunt quam cornua Tauri,
Dum vacuas iactat vanus in aſtra pilas:
Empta furore placent;rabidi cum vera biſontes
Prælia,venantum pacta cruore,gerunt.
Nec ſatis, illa ſemel ſpectaſſe:redire voluptas
Vſque pedes,oculos vſque videre iubet.
Sic,Iuuenum quò turba prius violenta nequibat
Pertrahere, huc,animo ſponte ruente,feror:
Adſcitasq; traho mecum ad ſpectacula turmas ;
Et doceo,exemplo quemque perire meo.
Hei mihi !quàm ſubita mutata libidine mens eſt ?
Ante,minus ſitiens nemo cruoris erat.
Horror erat,pauidas cum,me ſpectante,bidentes,
Aut feſſos traheret carnificina boues.
Viſa Thyeſtea dape res immanior,olim
Son-

Sontibus illatam cernere poſſe necem;
Nũc, etiam inſontes vbi barbara ſica trucidat,
Rideo, & innocuum gaudia funus alit.
Hinc ego me (fateor) primæ memor indolis, odi,
Diſſimilemque mei nunc nimis eſſe pudet.
Tu quoque ſi videas talem, Auguſtine; Negabis
Talem de ſocijs ante fuiſſe tuis.
Non ego talis eram; dolet, Auguſtine. Precanti
Parce modò; & nunquam poſt ego talis ero.
Atque adeò, mecum ſi Romam nuper ijſſes,
Talis ego nunquam, credo futurus eram.
Sed dum lenta tuos illic Carthago moratur,
Implicuitque meos hic ſibi Roma pedes,
Incepere tuas fungi bona ſidera partes,
Et faciles lapſo ſuppoſuere manus.
Meque mihi; &, longi poſt interualla furoris,
(Quod prope pluris erat) reſtituere tibi.
Namque vbi ſacrilegæ, ſolique intentus Arenæ,
Nullã operam ſtuduis, queis dederã antè dabã,
Fortè quieſcenti cuneis in equeſtribus, illud,
Quod quondam memini te monuiſſe, ſubit.
Vt mea, Circenſi nimio plus dedita ludo
Ad ſolitos vellem vertere ſenſa libros.
Verti ego tum certè; & Piſeo à puluere vultus
Conuerti ad fontes, Aonis vnda, tuos.
Vtque prius bijuges tua vox vileſcere currus
Iuſſit, ita Hoplomachi nunc iubet arma mihi.
Nec mora, iuſſa ſequar. Caueæ exſecranda faceſſat
Fuſcina; damnati parmula Threcis eat.
Vana Secutorem tollant ſpectacula; ceſſet
Ferro agitare ſuas ſera Diana feras.
Quæ plaudente prius me fecit Arena, relinquat:
Exſpectant lacrimas Amphiteatra meas.
Denique vos ſocij, caput horum, & cauſſa malorũ
Ite, meiſque omnes moribus eſte procul.
Plus ſatis eſt, ha ſiſſe ſemel Veſtra omnia, quantũ,
(Heu quantum!) in falſo nectare virus habent.

Voſ-

Voſque alij, quos aura meæ vehit æqua iuuentæ,
Hos Zephyro veſtram flante inhibere ratem
O iuuenes. Vbi triſte minis furit æquor apertis,
Cautior iratas nauita ſulcat aquas:
Subtrahit Æol js maturè lintea flabris,
Et puppim tota prouidus arte regit.
Hinc fragilis vaſtas, Nereo mirante, per vndas
In patriæ portum ſalua carina ſubit.
Aſt vbi decepto blanditur remige pontus,
Et Zephyri nullos incutit aura metus,
Vela volant; clauoque obdormit rector omiſſo,
Merſa perit cæco cymba repente vado.
Tunc facies mentita maris, tunc illa Fauoni
Ira, per inſidias diſſimulata, patet.
Sera quidem Nautis, qui ſubſidente carina,
Iam coram, & ſcopulos, & vada cæca vident:
At vobis non ſera; quibus licet æquora longè
Diſcere, & è noſtris veſtra cauere malis.

AR-

IV.

ARGVMENTVM.

BERNARDVS rebus humanis valere iuſſis,plures è fratribus ſecum abducebat: relicto ad patris ſororiſque ſolatium, NIVARDO, etiamdum puero; cui omnem hæreditatem ſoli obuenturam oſtentabat. Puer, queſtus ſibi terram, *fratribus* cælum *relinqui, cum Bernardo expoſtulat: ſimul de arcta cuſtodia,è qua erumpere cogitet,vt fratres imitetur,commemor. Sur. in vita S.Bernard.20.Aug.*

NIVARDVS, è Cuſtodia paterna, BERNARDO fratri germano.

DE DESIDERIO IMITANDI.

CVia ſit hæc,lacrimis inſignis,epiſtola,quęris?
Inque tuas à quo venerit illa,manus?
Eſt calamo,Bernarde,tui perarata Niuardi;
Et tibi de patria,clam patre,miſſa domo.
Clam patre.Nā vigiles ſenis(vt timet omnia)vultus;
Vix mea,quicquid agam,fallere cura poteſt.
Ille meos ſeruat ſuſpenſo lumine nutus:
Nec ſtudio ſeruat cauta minore ſoror.
Atque ego ne fratres ſequar æmulus, altera & alter
Excubijs obſtant fæmina,virque ſuis.
Non odio,ſed amore,nocent:vnoque relinqui,
Poſt quàm omnes alij deſeruere,timent.
Sæpe ſuos genitor,cano mihi vertice crines
Exprobrat,& Pylia tempora facta niue:
Et tremulos artus,& genua labantia monſtrat,

Et

Et quicquid ſenium triſte coloris habet.
Hæc per, ait, quæcumque precor, miſerere relicti;
Nec, mihi quod reliquũ eſt de patre, tolle mihi.
Sex modò mi fuerant, felicia pignora, nati;
Vix hodie nomen reſtat inane patris.
Ac, niſi tu numeri pars manſeris vltima tanti,
Cras, patre de toto, nil mihi patris erit.
Si tamen vſque adeò fraterna per omnia, certũ eſt
Ire tibi, & patrijs tam procul eſſe plagis;
Ne propera; ſuper alter adhuc eſt menſis, & alter,
Altera vix imò atque altera forte dies,
Cùm mea tu ſolito curabis funera luctu,
Et ſuper iniecta contumulabis humo;
Tum propera, quacũq; voles, nullo obice, tutamq;
Ipſa tibi capito per patris oſſa fugam;
Nulla ego voce querar: calcato impunè ſepultum:
Exiguum intererit, pectus an ora premas.
Ignoſcetur & hoc, Oculis vbi fortè paternis
Inſultare tuos ſenſerit vrna pedes,
Quicquid erit, patiar: Spiranti animamq; trahenti
Dum prius hanc operam gratificere Seni.
Has vbi mille preces, & mille mouere querelas
Deſijt: has pergit mille monere Soror.
I, licet, i, pertæſe tuos: fuge dure, Parentis
Ora, ſilex: Oculis eſt grauis ille tuis.
Et grauior fortaſſe Soror, Cognata relinque
Limina; ad ignotæ littora gentis abi:
Longa vbi te generis capiant obliuia noſtri;
Sitque Soror lacrimis nulla moleſta ſuis.
Si tamen vlla pij ſuper eſt tibi gutta liquoris,
Admittitque breues auris aliena preces,
Te Soror, hanc per ego oro fugam, quam præcipis vnam,
Me patremq; tua lædere parce fuga. (ambo;
Lædimur ambo: parum eſt; ab eadem occidimur
Vna ea funeribus cauſſa duobus erit.
Scilicet in fratres pius vt ſemel eſſe puteris;

Im-

Impius, in patrem, meque, bis eſſe voles?
Quin agis, & mihi te patrique Niuarde, reſeruas?
Hac potes, hac vna, bis pius eſse, mora.
Te penes omnis erit, generiſque domuſq; vetuſtæ
Gloria; te patrius verna clienſque colet.
Solus & hæc (viden'? inquit) & hæc opulentus habebis;
Nec minuet cenſus æmula turba tuos.
Fratre cares; certuſque domus non pauperis hęres
Quæ bona ſufficerent pluribus, vnus habes.
Finge, alium iam iamq; domo fugiſſe! rediret
Quilibet ad tantas, non reuocatus, opes.
Tu prece, tu lacrimis locuplete retentus in aula,
Diffugere ex aula tam locuplete paras?
Nempe Soror merui! Merui fortaſse, quid vrges?
Aio, tuum certè non meruiſse patrem.
Talia vociferans, paſſis ſoror ægra capillis,
Vngue fero frontem ſauciat, vngue genam.
Quæris in hac quid feſsus agã, Bernarde, procella?
Nunc lacrimata meam ſubruat vnda ratem?
Iactor adhuc, medio veluti cum nauita ponto
Per coniuratas velificatur aquas;
Et procul à portu, quem vos germana tenetis
Pectora, naturam poſtulo frater opem.
Maturare: videt ſcopulos mea cymba, tremitque
Et Pelagi Syrtes, & vada cæca timet.
Vix ſcio, quà pauidã liceat modo flectere puppim
Quidq; miſer fugiam vix ſcio, quidque petam.
Vox mihi, qui Clara ſecuri in Valle ſedetis,
E veſtra fieri valle iubete Pharon.
Et proferre citam de claro lampada portu,
Vt mea monſtratam ſentiat vmbra facem.
Vincula tunc obſtẽt adamãtina, Dædalaq; omnes
Implicet ambiguo tramite Creta vias;
Quà dabitur mihi rima, ruã, patremq; ſororemque
Effugiens, fratre, quà præiere, ſequar.
Hæret adhuc. Dũ fortè pares vagus inter ephebos.
Mitto

Mitto pilā,aut celerem turbine verſo trochum,
Aut nuce,neſcio quos,aut curſu exerceo ludos
(Qua pueri totos fallimus arte dies)
Hæc ego dum ſecors,ridenda crepundia,ſector;
Et pueros inter ludere pergo puer,
Seria tum vobis animi,tum ſeria cæli
Cura,ſed excluſo fratre minore,fuit.
Iam coniuratum,ſpret s mortalibus,agmen
Pectora ad æternas transtuleratis opes;
Iam fuga,iam tacito vobis quæſita receſſu
Et Nemora, & Claræ gaudia Vallis erant;
Iam genitoris amor,calidusque remiſerat imber,
Fuderat ex oculis quem ſoror ægra ſuis.
Iamque dies ſuberat, qua vos mutare paternos,
Expectata diu iuſſerat hora lares:
Tunc ego ter centum Fabios exire putabam;
Viſa nec eſt numero veſtra minore cohors.
Quid facerem?cecidere manus mihi tela, pilæque
Et trochus, & ludi tota palæſtra mei. (quam:
Et lacrimans,Sine me, Sine me, quo tenditis? in-
Sanguine de veſtro me quoque ſanguis habet.
Noſcite concordem, & fugituri iungite fratrem:
Appendix veſtræ parua cohortis ero.
Seu petitis vicina iugis ſilueſtribus antra,
Horrida ſint quamuis antra,ſubibo prior.
Seu procul Eoos ſedem inter quæritis Indos,
Quærenda eſt ſedes & procul Inda mihi.
Nil metuo ſcopulis habitabo colonus in ipſis,
Seu locus vſquam vllis durior eſt ſcopulis. (uis
Quæ vos cūq; domus capiet, domus horrida quā-
Illa ſit,illecebris plena erit illa ſuis.
Hæc ego ſi verbis totidem non omnia dixi,
Omnia ſunt lacrimis pluraque dicta meis.
Tum ſimul iniectis fraterna in brachia palmis
Diſtinui veſtras ſarcina parua manus.
Ter reiectus ego,ter ego violentior hæſi,
Terque nouas vires ipſa repulſa dedit.

De-

Denique Guido meus (Guidoni ignoſcite) blanda
Oppugnare meam cæperat arte fidem.
Nos procul imus, ait tectiſque Niuarde, paternis
Cedimus; inque alio quærimus orbe locum.
Tecta laremque tibi, tibi culta relinquimus vni
Prædia, frugiferi iugera mille ſoli.
Vnus habet, quas cernis opes: nihil iſta repoſcet
Turma: frui toto tu patris aſſe potes.
Nos iuuat ire; Vale: manuũq; hæc vincla remitte:
Arctius his patris ſtringere colla licet.
Hæc itetũq; iterumq; meus dum Guido canebat,
Plus ſolito, blanda voce diſertus erat.
His puerum ſperet quis poſſe reſiſtere donis,
Sæpe ſolent viſæ quem ſuperare Nuces?
Me nequirere tamen nec ſparſa papauere verba,
Nec promiſſarum fallere fucus opum.
Nam mihi, neſcio quis tacitè nouus omnia labi
Membra per; & ſubitus tota per oſſa calor,
Et nuſquam in puero puer eſſe; ſed omnia miro
Verſa modo, in ſenſus mecum abiere nouos.
Egregium, exclamo, donum & memorabile! vobis
Aurea ſeruentur ſidera, Terra mihi?
Et mihi ſenſus ineſt. Quid inanibus æra lupinis,
Quid Cæli à Cæno differat aula, ſcio.
Terram habeant quicũq; ſibi: mihi ſidera ſeruẽt;
Plus ſatis, hoc ſolo mi dabit aſſe pater.
Omnia quia etiam vos cetera tollite: ſola
Hac fieri vobis parte iubete parem.
Sic ego vociferans, dum fratris inhæreo palmis,
Viſus eram veſtræ iam comes ire viæ.
At mea tum nullam metuentia brachia fraudem
Auulſit veſtro vis inopina ſinu:
Inuitumque patri puerum, fratremque ſorori
Retulit, Hic clauſas ſeruat vterque fores.
Interea caſtris procul arceor; ardua pugnat
Maior vbi noſtræ pars, meliorque domus;
Et cælum precibus, lacrimiſque perennibus vrget,
Vim-

Vimque audita Deo cælitibuſque facit.
Felices! quos arma tegunt adamantina, quando
  Iuſta triumphanda cum ſtyge bella gerunt.
Surgite concordes, & me quoque iungite. Diſcam
  Vt pia cognato cum grege ſigna ſequi.
Tuque prior, fratrum ſi cetera turba moretur,
  Tu, Bernarde, tuam mi prior affer opem.
Exorare Senem blando potes ore parentem;
  Non renuente pias audiet aure preces.
Fac tamen ille preces vt ferreus abnuat; ille
  Vincetur lacrimis, fratre iuuante, meis.
Finge nec his flecti: quid agã, Bernarde? Docebo;
  Et patre tunc aliquid charius eſſe mihi.

V.

ARGVMENTVM.

THOMAS Aquinas fratrum inſidijs exceptus, in arce cuſtodiebatur. Vbi impuratam Sirenem cum effugere nequiret; correpto titione, quem focus ſuffecerat, fortiter abegit. Pugnam hic omnem Alberto Doctori ſuo renarrat; adoleſcentibus cenctis æmulandam. Sur. Vita S. Thom. 7 Mart.

THOMAS Aquinas, è Carcere, ALBERTO Magno.

DE SVA PRO CASTITATE PVGNA.

VInctus, in obſcuro fraternis carceris antro,
Exaro captiua paucula verba manu.
Plura velim: ſed dura metu cuſtodia terret;
Vix etiam iſta ſinit ſcribere pauca locus.
Nam mea qui curat Lynceus ad oſtia cuſtos,
Non exorandas obſerat ære fores.
Omnia tuta timet. Sed enim, quæ crimina, tali
Reddiderint dignum carcere, noſſe cupis?
Accipe. Calcatis ego iam mortalibus, ibam
Subdere diuino libera colla iugo:
Inſcia mater erat. (Nec enim, ſignata fuiſſet,
Magna erat inceptis fulcra datura meis.)
At mihi Parthenope, mihi tunc Sebethidos vndæ
Hoſpita mutatam ripa dedere domum.
Hic ego tiro nouis aſſueſcere legibus; &, qua
Sacra mihi præijt turba, meare via.
Donec ad Aonios, Muſarum gaudia, colles
Mittor, vbi doctis Sequana ludit aquis:

In-

Inde Alberte,tuo ſtudia ad ſublimia ductu
Facturus properos (ſpes erat iſta) gradus.
Ecce tibi ! patrio temerè vicinus Aquino,
Non expectatas labor in inſidias.
Vis armata viam ſtricto occupat enſe;miniſque
Inde duos comitum pellit, & inde duos.
Solus ego, iniectis vepreta per inuia vinclis,
Abſtrahor,à Socijs præda relicta meis.
Abſtrahor: & valido circumdatus aggere,cæpta,
Qua tecum optaram,viuere lege vetor.
Obſtat amore parens, vterique moleſta labores
Exprobrat;& lactis me meminiſſe iubet.
Accedunt geminæ,lacrima pugnante,ſorores;
Spemque ſuam,querulo carmine, remq; vocat,
Ariete maiori quatiunt mea mœnia fratres;
Et noua,neſcio quo,bella furore mouent.
Duro tamen,matremque puer,fratreſque triũpho;
Blandaque vim nullam tela ſororis habent.
Ergo nihil metuens,porro fore lenia duxi
Vincula : nec durus iam mihi carcer erat?
Cùm ſubito crepuere meæ (quas indita more
Fecerat inſueto clauis hiare) fores;
Ingreditur (ſuperi,terris auertite monſtrum!)
Ingreditur,ſtygio fœmina digna lacu:
Thaidis illa Soror, vel Thaide nequior; auſa
Ferre Dionæas in mea damna faces.
Terreor aſpectu; Veneriſque à nepte reuulſus,
Suppetias hominum cælitumque voco.
Defuit humanus capto fauor omnis;& omnem
Hinc locus,hinc cuſtos ferre negauis opem.
Illa ter,illa quater pede calcitrante repulſa,
Reppulit iratum terque quaterque pedem.
Sæpe ſuas,& ſæpe,manus inferre paranti,
Sæpius iniectas ipſe repello manus.
Quid miſero reſtaret adhuc? Animabat Erinnys
Impia Tartaream perpete folle pyram.
Sæuibatq; calor. Fuga nuſquã erat vlla,nec vſquã
Tam

Tam validas contra tuta latebra laces
Æmula Nicetæ tentaſſent vulnera dentes,
Si ſperata pari vulnere palma foret.
Nuda volutaſſem lacerantibus oſſa vepre vepretis,
Area Nurſinos ſi daret vlla vepres.
Si, Bernarde, tuas cælo glaciante paludes,
Aut, Franciſce, niues fas habuiſſe tuas;
Tecum ego frigentes voluiſſem nudus in vndas
Nudus in hibernas tecum ego abire niues.
Aut ieram præceps de caligante feneſtra,
Si daret in præceps vlla feneſtra viam.
Nunc vbi nulla fuit dictarum copia rerum;
Si qua mea capiam tela, requiro, manu:
Quæro: ſed omnis abeſt, qui cominus arceat enſis;
Qui procul inſidias arceat, arcus abeſt.
Saltem aderunt, dixi, Silicis mihi fragmina duræ,
Quæra manu Silicem: Nuſquam erat vlla ſilex.
Torris adhuc, moriente foco, reſtabat. Is haſta
Et lapis, & gladius, tunc mihi, & arcus erat.
Corripio: tædaque hoſtem fumante laceſſo;
Totaque cum ſparſis crinibus ora cremo.
Non tulit hæc calamiſtra Venus; ſed Mænados in-
Summa per, incerto, fugit & ima, gradu, (ſtar
Non expectata face territa. Liber ego illa
Peſte, citas verſo cardine claudo fores.
Deterſoque oris ſudore; Supinus ad aſtra,
Incolumes Superum munere, tendo manus.
Tum ſubitus defecta mihi per lumina fundi
Somnus, & illabi lenis in oſſa quies.
Ecce fatiſcentes viſæ diſcedere nubes;
Et grauis in medijs nubibus eſſe puer.
Is propere cęlo diſcendere iamque propinquus.
Ante meos nutu ſtare fauente pedes.
Nunquam obiecta mihi ſpecies formoſior vlla;
Nec facies oculis blandior vlla meis.
Candida veſtis erat; croceis coma pendula cinnis;
Frons, radijs ſtellæ, lumina; vultus ebur.

Fa.

Faſcia cingebat latus aurea; cuius adunca
  Fibula, cęlati pars adamantis erat,
Hanc vbi cæleſtis lateri detraxit ephebus;
  Immortale, mihi, donum, ait, iſtud habe.
Cingulaque ambitis circumdedit aurea lumbis:
  Nec viſum Zonæ pondus inane fuit.
Omnis enim flagrante calor de corpore ceſſit:
  Conualuitque nouo tacta medulla gelu.
Excitor; atque oculis obeo vigilantibus omnem,
  Preſſerat aligeri quem modo planta, locum.
Hei mihi! Nullus adeſt oculis vigilantibus Ales;
  Quodq; datum eſt ſomni tempore, munus abeſt.
Sed patiar, donata mihi ſi faſcia deſit;
  Munera dum maneant interiora mihi.
Et manſura reor. Nec enim donantis Ephebi
  Dicta volent pactam fallere verba fidem.

VI.

ARGVMENTVM.

CAROLVS V. *exemplo memorabili, Imperium abdicarat, vt reliquam vitam in Dei obſequijs traduceret. Qua de re ad Franc. Borgiam ſcribit: laudatque eius conſilium, quo & ipſe iam antea curis mortalibus renuntiarat. Hiſtoria Surij.*

CAROLVS V. Cæſar. FRANCISCO Borgiæ.

DE ABDICATO IMPERIO.

CAROLVS ille, ſuos qui fulmina nuper in hoſtes
Suerat, & in Ciues ſpargere dona ſuos,
Iam ſolitas Regni diſcedere pectore curas;
Sceptraque pertæſa iuſſit eburna manu;
Et Martem poſitis inglorius exuit armis;
Calcataſque inter viuit egenus opes:
Et faſtiditis nudatus honoribus, Aulam
Damnat, & anguſti ſepta mapalis amat.
Tam ſubitam rerum faciem, Franciſce, mearum
Quæ noua mutarit, diſcere cauſſa, cupis?
Illa eadem; quæ cauſſa fuit tibi nuper, vt Aulæ
Ipſe tuæ fugeres tædia, cauſſa mihi eſt.
Nam tua, conſpecto non dudum funere noſtræ
Coniugis informis terruit ora color,
Cùm prius illa oculis mortalibus immortalis,
Dignaque vel ſuperis credita forma foret,
(Talis enim fuerat, qualis cùm mala decorus
Inficit alterna candida parte rubor)
Sed Libitina ſimul Lethæa de color vmbra

Au-

Aurea funeſta contigit ora manu,
Natiuum abſterſit generoſa à fronte nitorem,
Et veteres tex t lurida forma genas.
Pallida mærebant fugiente rubore labella;
Implebantque duos lumina caſſa ſinus.
Omnia mortis erant: nec ibi color vllus in illo
Funere quem poſſes noſcere teſtis, erat.
Tum perhibent, riguiſſe tibi, Franciſce, capillos,
Et tenuiſſe oculos te, ſine voce, tuos:
Et fragilem formæ ambroſiæ expauiſſe ruinam;
Et vanam in magno ſtemmate fleſse fidem.
Hæccine, tot proauis illa edita Regibus? illa
Cæſarei conſors eſt ISABELLA tori?
Eſt illa, eſt ISABELLA quidẽ: ſed vt ipſa rogetur;
Ipſamet eſse illam ſeſe ISABELLA neget.
Languet adoratum populis caput. Æmula Lunæ
Lumina, Cimmeria nocte ſepulta iacent.
Frons inhonora (meris quōdã prętexta Smaragdis)
Oraque ſunt oculis ipſa timenda ſuis.
Heu: magnũ humanis in rebus inane! Quid vnus
Vertere mortali ſueuit in ore dies?
Hæc ibi voluebas animo, Franciſce; fuitque
Principium vitæ, mors aliena, tuæ,
Nam fragiles exoſus opes, æterna caducis
Gaudia cæpiſti præpoſuiſse bonis.
O factum ſapiens! ò dignum inſonte magiſtrum
Inuidia! Ex ipſa viuere morte doces.
Sint, vtinã, (ò vtinã!) factũ qui imitentur, alumni:
Ipſe ego primus eos inter Alumnus ero,
Ac, niſi tu tantis properaſses paſſibus, ipſe
Auctor ego facti, te prior, huius eram.
Nam tua, ceu viſo REGINÆ funere, teter
Vultus, & informis terruit ora color;
Sic, ſimulacra mei eum vidi ego pallida REGNI,
Inſolitos REGNI territus ore fui,
Quæ facies illi? quæ forma? Colore; nec ipſum
Exilium pingi deteriore queat.

Anxia ſuſpenſo vigilant duo lumina ſomno;
Et latus obuallat iugis vtrumque Timor.
Obſeruata premunt pauidæ veſtigia CVRÆ;
Et mille Inuidias, inſidiaſque trahunt.
Heccine, clamabam, ſpecies eſt illa, tot olim
Regibus (ò votum triſte!) cupita procis?
Quis furor eſt, hanc Marte ſibi depoſcere formã,
Cognita quæ toto Marte fuganda foret?
Vix mea bis denos ætas impleuerat annos,
Obuia cum ſpecies iam fuit illa mihi,
Et placuit cæcæ (nihil excuſabo) iuuentæ:
Falſus enim rapuit lumina capta nitor.
Ipſa ſuos faſces fuco mendace tegebat,
Quodque inerat Sceptro, diſſimularat onus,
Et trabeas oſtro, & diademata pinxerat auro;
Sternebatque ſuas flore, roſaque vias;
Circũ, hilares RISVS, & ameno GAVDIA vultu,
Trinaque cũ blandis GRATIA picta IOCIS.
Ergo ego riuales ante omnes occupo REGNVM;
Viſaque ſunt votis omnia parta meis.
Ah! male deceptis, formaque illuſus inani!
Non decor in REGNO, non color ille fuit:
Sed LABOR, & denſo coeuntes agmine, CVRÆ;
Et mala, quæ verus plurima Carcer habet.
Barbarus Odryſio ruit, ecce, Gradiuus ab Hæmo;
Thraciaque in fines intulit arma meos.
Atque alibi Libyca me claſſe laceſſit Enyo;
Atque alibi armatis Celtica ſigna minis.
Hinc Italæ traxere manus: hinc perfida Cattus
Iuſſit excuſſo bella mouere iugo:
Saxones, ante alios: quorum de ſanguine vidi
Iure cruentatas concolor ALBIS aquas.
Otia turbabat Rheni modò ripa, modò Iſtri:
Nec plaga Germanæ conſcia pacis erat.
Denique Lerneam pugnare videbat in Hydram,
Viſaque de bellis ſunt noua bella ſeri.
Scilicet ex alijs alias diademata ſemper

In-

Inſidias capiti progenuere meo.
Hæc mihi ter denos ierant neglecta per annos,
Viuida dum fuſus paſceret oſſa calor,
Poſt,oculis tot monſtra meis vbi viſa fuerunt,
Concuſsere graui territa corda metu,
Abiecitque manus Sceptri graue pondus eburni;
Et poſuit feſſum gemmea ſerta caput.
Ite procul,dixi,Regnique faceſſite curæ;
Atque alios porro ſollicitate ſinus,
Me ſatias formæ huius habet. Poteratis amari,
Tectus adhuc veſter dum mihi vultus erat,
Nunc vbi ſe ſpecies nudauit veſtra, valete:
Me rapiet formæ nobilioris amor.
Talia dicebam; verſoque ad ſidera vultu,
Regna ſtatim iuſſi res ſibi habere ſuas.
Tectaque mox ſocijs turbiſque remota, petiui,
Hic vacuus totos iam mihi ſumo dies:
Seceſſuque fruor; placitæque intenta quieti
Pectora cognatis abluo creber aquis.
Nec Martis tunicas,adamantinaque induor arma;
Qualibus vſa ferox antè iuuenta fuit;
Sed latus arctatis,amor eſt,circumdare ſetis;
Nudaque contextis membra ligare pilis.
Et mea nodoſo contundere tergora loro,
Donec ab innumero vulnere ſanguis eat.
Inde preces,noctisq; bonam vigil, exigo partem;
Vt veniam culpis impetret vmbra meis.
Impetret ô vtinam! Quod enim decepta iuuentæ
Gaudia peccarunt, meſta Senecta luuit.
Quanquam ego, cur mæſtam queror hanc. adeò
eſſe ſenectam,
Quæ toties lacrimis læta fit ipſa ſuis?
Tunc ego mæſtus eram, cùm REGNI mole pre-
mebar.
Cùm Tyrio ardebam murice, mæſtus eram.
Nunc nihil eſt mæroris,vbi me nulla caduci
Nec bona ſollicitant,nec mala vota,boni:

Sed rapiunt animum cæleſtia: quaſque recondunt
Sidera mens illas tota requirit opes.
Ite profana tamen, ſtudiumque hoc ludite, turba,
Sunt oculi vobis ad bona noſtra rudes.
At, Franciſce, (ſuas eadem cui ſidera gazas.
Illecebraſque meis exhibuere pares.)
Tu ſtudijs gratare meis. Erit, vt tua quondam
Facta ſecuturos ſint habitura DVCES:
Et mea fortè trahent aliquo veſtigia REGES.
O quantum hoc voto Regibus opto boni?

VII.

ARGVMENTVM.

CONSTANTINVS M. *Romam, nouis pulchriſque operibus quotidie creſcentem intuitus; ſibi ciuibuſque ſuis gratulatur. Theſaur. Mirabil. Rom.*

CONSTANTINVS Imperat. è Cælo, VRBANO VIII. Pont. Rom.

DE VRBE AB IPSO EXORNATA.

MAxime Tarpeiæ pater vrbis, & Arb ter orbis,
Cui par terra nihil, par nihil æquor habet:
Seu Vaticano de culmine proſpicis; omneque
Imperio claudis cælum, aperiſque, tuo;
Seu placidè monſtras, vicino è colle Quirini,
Inconnixa tuo peruigil ora gregi;
Ælia ſeu moles te deſtinet: vnde Quirites
Prouidus æterna viuere pace iubes;

Seu

Seu magis Albana ſublimis ab Arce, tueris
Per iuga deductos prodigioſa lacus;
Siue alia de parte, nouis labentia firmas
Legibus; & populos iura fidemque doces:
Solue grauatis animi pauxillo tempore curas,
Pondere quarum ingens preſſus anhelet Atlas,
Vt mea, quæ medio ſtellantis in æthere mundi
Verba, inter ſuperos, dicta fuere, notes
Helleſpontiacas cùm mœnia primus ad vndas
Fundaſſem, à muris, Roma, ſecunda tuis,
Cæleſtes petij, pertæſus cetera, ſedes:
Sic tamen, vt Romæ tangar amore meæ.
Tangor adhuc; faueoque tuis VRBANE, meiſque
Ciuibus; & partes tecum ego patris ago.
Fortè petro ſtabam Pauloque propinquior, inter
Alituum innumeros cælituumque greges
Nuper: ibi, è noſtra, ſtudijs concordibus, Aula
Vertere ad Auſonias cæpimus ora plagas.
Præcipuè partes auidi reſpeximus illas,
Thuſca vbi ſeptenis obſtrepit vnda iugis.
Attonitus fulgore loci, dum ſingula luſtro,
Alloquor hac Socios demum ego voce meos:
Quas, ſuperi, ſpectamus opes! quæ tẽpla? Videri
Aut cælum, aut cæli Roma gemella poteſt.
En Vaticano quæ ſurgat in aggere moles!
Ardua vicinus ſidera terret apex.
Quàm facies Auguſta loci? Rubet omnis ab auro,
Et vario pictus lucet Apelle Tholus.
Arte ſua pars nulla caret. Latera omnia, gemmæ:
Sed precium gemmis forma, laborque facit.
Hic ego tot numerem licet in penetralibus aras;
Pulchrior ex alis omnibus illa placet,
Quæ mihi de ſectis cæleſtia bella lapillis
Exhibet; aligero bella parata duce.
En, quantam aſſurgat volucer diuinus in haſtam!
Quam ſua calcatus torqueat ora draco?
Spirat vterque; ſuis tamen ille ſimilimus aſtris;

Et facie flammis æmulus iſte ſuis.
Ecce iterum Iſthmiaco radiantes ære columnas
Quattuor! æternæ mollis & artis opus!
Pæne ſuas Temeſe vacuauit Graia fodinas,
Laſſaque mittendo tota erat ære Cypros.
Machina ſi cæli timeat labefacta ruinam,
Impoſitumque Atlas ferre recuſet onus;
Poſſit in hoc moles ſecura quieſcere fulcro;
Expleretque ratas iuſſa columna vices.
Quattuor hic Phrygio lucentes marmore Cellæ:
Et totidem Cellis Signa repoſta ſuis.
Inde pluunt madidi diuino ſanguine VVLTVS.
Inde rubet ſacro LANCEA fixa ſinu.
Hinc Helenæ ſimulacra tua CRVCE, Chriſte, triumphant:
Andreæ monſtrant hinc ſimulacra ſuam.
Sed quali cælata manu? Myrmecide dignus
Quiſque ſuo; dignus quiſque Bryaxe labor.
Hic iterum argenti video graue pondus, & auri;
Hic iterum bimari fuſa metalla foco.
Hic mera (quid numero?) mera ſunt miracula; Poſſet
Omnibus hæc ſuperis vna ſat eſſe domus.
Iam Laterana ſuis vicina Palatia templis,
Quam faciem, & quantæ Religionis habent?
Noſco ſitum. Hic ſtructis fuerat mihi ſanguine thermis.
Abſterſura meam turba Quirina luem.
Mutauit Silueſter opem: morbique peritus
Balnea de ſacris hic mihi fecit aquis.
Hic, memini, hic locus eſt. Sed quàm mutatus ab illo?
Antè, rudis fuerant iſta ſacella lapis.
Diuite nunc radiant laquearia fulua metallo;
Et precioſa locus marmora totus habet.
Hic ambit niueo vacuum Paros aera gyro:
Hic Nomas impoſitum purpura fulcit onus.

Hic

Hic habet Eôam medium penetrale Syenen,
Quodque laboratum Synade marmor erat.
Ipſa ſuperbit humus: Seque hic miratur Ophites;
Et pede calcari pænè recuſat Onyx.
Ecce! pauimentum non vno Sole relucet!
Perque Aſarota piæ ſacra vagantur Apes!
Fallor? an VRBANI mihi ſunt ea ſymbola Magni,
Sunt certè: VRBANI ſunt ea ſigna mei;
Ille meæ ſolus cunabula prima ſalutis,
Et totam hanc gemmis talibus ornat humum.
Principe iam locuples VRBANO Roma vocari
Incipe: Me quondam Principe pauper eras.
Talia cælituum memorabam adſtante Senatu;
Curiaque in laudes tota ijt illa tuas.
Atque aliquis, Molem, viden' hanc? ait. Ælia quondam eſt,
Maius ab VRBANO nunc ea nomen habet
Hanc circum & vallis, & munijt vndique foſſis;
Liminaque ætatis ſepſit ahena feris.
Omnibus è pinnis Siculum Baliſta minatur
Fulmen, & immani murmure tela vomit.
Tarpeia tonuiſſe Iouem de rupe ſinamus:
Hac hodie VRBANVS maior ab arce tonat:
Quod ſi iterum Brenno trepident redeunte Quirites:
Certus in hac illis arce Camilus erit.
Sæpe labare ſuum ſenſere iuga Ælia pontem,
Turbida cum Tuſcas volueret vnda niues;
Cùm Tybris aſſuetos renuens tranſire per arcus;
Reſtagnante nouas quæreret vrbe vias,
Et pontis ſuper alta ruens faſtigia, Pyrrhæ
Fingeret haud vano ſecla redire metu,
Et refugos ageret ſuper arua natantia fluctus,
Naufraga dum medio naret in amne ſeges.
Hæc Tyberi facies hos vſque remanſerat annos;
Nuper ab VRBANO Principe verſa fuit.
Ille nouos alijs ſuperaddidit arcubus arcus;

Laxauitque arctas per iuga plura vias
Iamque redux aderat Tuſcis è montibus amnis,
Parturiens plenas & niue,& imbre,minas.
Tum ſtagnare ſuos credebat Martia campos,
Perque forum effuſos currere Roma lacus:
Pons etiam,pridem Tyberinæ conſcius iræ
Viſus erat pilis ipſe timere ſuis.
At, propriora rotans iam iamq;volumina Tybris
Rapturus ſolitis obuia quæque minis,
Vidit in antiquo iuga,iam non Ælia,ponte;
Plura ſed VRBANA iam iuga facta manu:
Detumuit, mora nulla,Tybris,placideque ſubire
Tam veneranda ſuas ſub iuga iuſſit Aquas.
Diſcuſſoque metu,Romana,dixit,in vrbe
Nulla meæ poſthac ſigna paludis erunt.
Indignabar enim,quos fecerat Ælius,arcus:
Paruus erat lymphis tranſitus ille meis.
Nunc alios arcus domini maioris adoro,
Et nouus VRBANVM diſco ſubire iugum.
Finierat;plauſuque dato,ſic cæperat alter:
En,aqua flaminiæ prodigioſa viæ!
Hic,vbi deductos immiſſo Tybride vidit
Feruere ſub Caluo Roma Nerone lacus,
Currereque infeſtas per Martia prata biremes,
Nereaque in medio belligerare foro:
Deſpiciunt placidas ibi nunc iuga Pincia valles;
Securoſque inter compita plana lares.
Non ibi nec Thetidos manant, neque Tethyos vndæ:
Sed rigat VRBANVM Virginis vnda locum
Nam vetus vt ſigno ſibi Roma ſuperſtite viuat,
Auditaſque,oculis præſtet imago,rates,
Huc VRBANVS aquã de Virgine fõte perennem
Docta per artificum currere ſaxa iubet;
Currere iuſſa, ſubit rorantia SOLIS in ora:
Frigidiorque illo in SOLE manere ſolet,
Vtq;ſuo mellis trahat hauſtum è fonte ſaporem;
Vnda;

Vnda ; per VRBANAS prouida tranſit APES.
Subtèr hi ante labro ſtat ſaxea puppis; & imbrem
Continuum patulo captat auara ſinu :
Inque ſinu dum ſeruat aquam ? ſimul ipſa,refuſæ
Virginis ambitur ſepta carina lacu .
Atque ibi,ſiue natat,ſeu viſa eſt nare,vetuſtam,
Flauia quam dederant tempora , ridet aquam .
Nã mea Virginis eſt;erat altera Tybridis, inquit :
Purior hæc illa limpidiorque fluit .
Hanc dedit VRBANVS,ſed Flauius vltimus illã ;
Paruus ad VRBANVM Flauius ille fuit .
Denique ſi geminas etiam contendero naues,
Vincam etiam naues,Flauia lympha,tuas.
Quipp tuæ;mera pinus erant. Quis neſciat,vndis
Impoſitas vltro poſſe natare trabes ?
At mihi prora , lapis;lapis eſt mihi puppis:& ima,
Summaque cum media ſunt mihi parte , lapis .
Et tamen, ecce,lapis mirante ſupernato Roma:
Saxeaq;in liquida numquam ego mergor aqua:
Indole tam placida , dominoque ſimillima, lympha eſt:.
Mergeret,VRBANVS ni foret ille latex .
Adfremuere omnes.Superos ego denique cætus
Ad repetenda Petri maxima templa voco:
Quà Vaticani patet ingens area campi,
Vnaque cæleſti ſtat minor orbe domus.
Stabat ibi PETRI,ſed cælo ſtabat aperto ,
Parrhaſia pingi digna Carina manu.
Teſſellata metis,& vermiculata lapillis,
Et ſimilis gemmæ quiſque lapillus erat ,
Hic rabies Euri,Boreæque procella furentis ,
Et facies,tumidi quam maris æſtus habet ,
Nautaque & pauidi pendentia carbaſa mali,
Et quicquid veri rebus ineſſe poteſt ,
Omne laborati ſimulatum erat arte lapillis
Reddiderat molles pæne lapillus aquas .
Hanc tamen Olenij vexabant imbribus Hædi

Sæpius; hiberno ſæpius Vrſa gelu.
Nunc Aquilone frequens; nũc cana ſparſa pruina:
Nunc pulſata fera grandine puppis erat.
Denique Romano iam pæne fatiſcere nimbo
Cæperat, aſſiduis vſque grauata notis.
Tendere proinde manũ; & naui, iam iamq; labanti
Viſus erat properam poſcere PETRVS opem.
Attulit VRBANVS: raptamque minantibus vndis
Viuere PETRE, tua iuſſit in æde ratem.
Hic neque Tyrrheni timet ęquoris illa procellas,
Deucalioneo nec tremit vda metu.
Sicca ſed vndantes rupto cadere æthere nimbos
Audit, & VRBANI tuta ſeneſcit ope.
Hæc fortuna tuæ nimirum, Petre carinæ eſt;
Inſidias illi ventus & vnda facit.
Quæq; prius fuerat lymphis propè merſa marinis,
Obruta nunc pluuijs pænè periſſet aquis.
Sic ego mox oculis monſtrat noua Templa SEBASTVS,
Templa PALATINO ſuſpicienda iugo:
Mox alio noua Templa iugo BIBIANA, ſitosque
Gaudeat ibi Cineres, per tua dona, ſuos.
Parte alia ſpectat poſiti noua culmina Templi
CAIVS; inque tuo ſe quoque colle videt.
Quid meritis VRBANE iubes dare ſidera tantis?
Exige: ſunt votis PLVRA datura tuis.

Omnia ad maiorem Dei, Virginiſque Matris, Gloriam.

P. IA-

P. IACOBI
BIDERMANI

E Societate Iesv

HEROIDVM
EPISTOLÆ.

VENETIIS; M. DC. LXVIII.

Apud Paulum Balleonium.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

AMICE LECTOR.

Aliquot adhinc annis, cum HEROVM epiſtola, publicarem, cupiebant amici, vt eas HEROIDVM epiſtola comitarentur. Mihi contrà, conſultiùs viſum, ſi aliquo poſt interuallo ſequerentur; nec illa iſtarum mole (quam faſtidimus) premerentur. In vtriſque ſeorſim edendis, quid cauere ſtuduerim, paucis monebo.

Principio, nolui materiam mihi ſumere, iam aliàs alibi vulgatam: ac proinde Virginum noſtrarum copias, etſi ſuppetebant, tamen quod in Epigrammatis iam ante pleraſque attigeram, reducendas hic non exiſtimaui. Tum deinde Magdalenæ *lacrimis, &* Sponſæ Romanæ *querelis, & hoc genus aliÿs argumentis, per mille poetas, millies decantatis, quid noui nos adderemus?*

Ad hæc, affectibus, *(quos appellant) parcius, at nonnulli volebant, indulſi; ÿs ferè contentus, quos ipſa mihi hiſtoria narratio ſuggerebat. Sponſorum colloquia, aut Coniugum deſideria, quamuis honeſta, nihil ad inſtituti mei ſeriem faciebant. Seria malui, & lectori meo profutura.*

Poſtremò, ne in fabulis profanis epiſtola plus nimio laſciuiſſent, argumentum & decorum prohibuere. Quis enim ferret, ſi Euam *de Phaethonte, loquentem, audiret? Maluit epiſtola, hoc carere fuco, ne iudicio videretur caruiſſe. Vale.*

B. PAV-

B. PAVLO IAPONIO
Societatis IESV,

RELIGIOSO
QVONDAM MILITI
MOX APOSTOLICO
PRÆCONI
POST FORTISSIMO
MARTYRI
ET PRIMO SOCIORVM
DE IAPONIA
TRIVMPHANTI
NVNC
INTER CÆLITES RECEPTO
IMMORTALI MORTALIVM
PATRONO
HOC PRIMVM HEROIDVM
VOLVMEN
SEQVE IPSVM
VOLVMINIS AVCTOR.

HEROIDVM EPISTOLÆ.

LIBER PRIMVS.

I.

ARGVMENTVM.

ABELO, filio natu minori, identidem percontanti; quis, Orbe naſcente, parentum ſtatus, quaque rerum omnium facies fuerit; Mater EVA, non ſine lacrimis, reſcribit: eique primos Cæli, terraque natales, ex nihilo: *tum alteram Adami*, de Limo; *alteram ſui ipſius* de COSTA *originem*; *ac poſtremò, amæniſſimę VOLVPTATIS hortum; vitaque ibi inſtituta felicitatem, verbis, quibus homini, exulique licuit, velut in vmbra repræſentat*. Liber Geneſeos cap. 5. & 2. Cornelius à Lapide ibidem, Iacobus Salianus, anno mundi 1. die 3. alij de opere ſex dierum, &c.

EVA Mater, ABELO filio.

DE VOLVPTATIS HORTO.

EXule quæ toties lacrimans à patre requiris,
Dicere præ lacrimis, quæ tamen ille nequit,
Illa tibi calamo Genitrix interprete pandam,
Pandere præ lacrimis ſi tamen ipſa queam.
Quæris enim (& veniam potes huius. ABELE, mereri:

No-

Noſcere vis cauſſæ non aliena tuæ.
Quætis;amata mei Nemoris viridaria quare
Liquerim ego,Elyſiæ prima Colona plagæ?
Quæque loco facies?quæque illic vita duobus!
Quæque patri fuerant gaudia,quæque mihi!
Hæc audire placet. Quanto maiore placerent
Iure,forent oculis hæc vbi viſa tuis?
Viſa fuere meis. Sed quò mage viſa fuere.
Hoc ea me video ſcribere poſſe minus.
Aggrediar narrare tamen. Qua parte licebit,
Tu valuiſſe tuas experiere preces.
Omnia torpebant informibus atra tenebris,
Nec ſpecies noſtri,nec color, orbis erat.
Nec quadrupes curſu,nec præpete laſſa volatu
Flectere præſcriptum penna ſolebat iter.
Nam nec erat pontus,nec terra,nec aſtra:ſed vnũ
Omnia complebat nocte ſilente chaos.
Rerum opifex aderat: Sed rerum copia nuſquam
Vnde repentinum fingere poſſet opus.
Quid faceret?Nihil,inquit,adeſt.Nihil adſit,& arti
Sed ſua materies,artificique neget:
Ex nihilo prodibit opus: quod cudere nulla
Æmula tentabit poſteritate manus.
Dixit; & è NIHILO terras eduxit, & vndas,
Aeriaſque domos,ſtelliferoſque globos.
Mox nitidum Cæli mirata eſt machina Solem,
Pallentemque die nox abeunte facem.
Hic ſeges; hic grauidi maturo pondere rami
E patulo Terræ proſiliere ſinu.
Quadrupedes hic ſilua feras;hic arua iuuencos;
Hic ſtupet infrenes currere campus equos.
Hic ſua ſecurus ſalit inter paſcua Ceruus,
Hic placidas inter Bucula mugit oues.
Hic proprios armata trahit Teſtudo penates;
Labitur hic vdo fuluo Lacerta ſolo.
Ludere cæruleos Aqua ſentit in æquore Piſces;
Plumigeras aer plaudere ſentit Aues.

Iam

Iamque redundabant animalibus omnia: ſed cui
Cetera parerent omnia, deerat Homo.
Deerat: & impatiens aliquod Natura volebat,
Ne qua parte foret manca, videre caput.
Fortè aderat, lento mollique ſimillima limo,
Ad volucrem figuli maſſa parata rotam.
Suſtulit inde rudem, madido cum puluere, glebã,
Et ſubitum Plaſtes fingere cæpit opus.
Mollis in oblongum tenuatur imago cylindrum,
Et coit in teretem ſumma figura globum.
Huic ſua Cæſaries, nareſque, aureſque genæque
Luminaque, & iunctis labra propinqua labris.
Additur his ceruix: Humero tenduntur vtroque
Brachia; cùm digitis vtraque palma ſuis.
Adduntur medio præcordia lutea trunco;
Obſerat ima cauus pectoris antra penus.
Iungitur & duplex duplici cum femine poples;
Et duo, ſuſtentent qui duo genua, pedes.
Intextis laterum firmantur mollia Coſtis;
Fictaque ſunt ſimili cetera membra luto.
Hæc Hominis poterat iam forma gemella vocari,
Prædita ſi motu forma, ſonoque foret.
Non erat. Ergo leui ſimulacra iacentia flatu
Numen ab agnata ſurgere iuſſit humo.
Surrexere pedes, Stetit inclita machina; ſurſumque
Ardua ad ætherios ſuſtulit ora lares.
Senſus ineſt oculis; calidis præcordia venis
Pulſa vrgent; motu brachia; lingua ſono,
Denique prodit Homo. Fabrica diuinius illè
Ante nihil tellus viderat, vnda nihil.
Tota putabatur iam mundi condita moles.
Ipſeque res alias condere nolle faber;
Cùm volucrem volucri, pecori pecus ire gemelli
Conſpicit, & paribus ſe ſociare pares;
Solam Hominis, forma video ſine cõpare, formã,
Inquit; & hac operi debet adeſſe meo.
Excudenda ſtatim eſt, nec ea, quæ cetera nuper

Fe-

Fecimus, arte. Nouo res eget iſta modo.
Inde igitur placitis dum ſolus inambulat aruis
Et maria,& terras hoſpes & Aſtra videt,
Et meditata feris imponit nomina; cæpit
Laſſa ſoporifera lumina nocte premi.
Nec mora,procumbit: viridique reclinis in herba
Somniat,oſſa ſuo mota labare ſinu.
Haud ludebat ea deceptor imagine ſomnus;
Conſcius euulſi ſed ſopor oſſis erat.
Nam DEVS exempta ſopito à corpore coſta,
Oppleràt vacuum carne recente latus.
Protinus ex illa prorepo egò fæmina coſta,
Et video primum fæmina prima virum;
Virque ſuos cæpit cognato in corpore vultus,
Inque viro vultus cæpi ego noſſe meos.
Inde pares læto ſpaciamur in æquore; nuſquam
Obice ſecuros impediente gradus.
Nam noſtra Elyſij ceſſere in prædia campi,
Quæ data pro prima dote fuere mihi.
Hic ego qualis eram? quas rerum prodiga tellus,
Quas natura mihi tota ferebat opes?
Non calamos centum mihi ſi manus vna fatiget,
Vnàque plus centum laſſet arundo manus.
Sufficiam. Vinci numerandis lingua fatetur
Diuitijs prati,delicijſque, mei.
Ampla per Eoos protenditur area colles;
Areà pomiferis vndique ſepta iugis;
Lutea quà pulſis Aurora renaſcitur vmbris,
Exortumque videt conſcia terra diem.
Intus opima patent rigui viridaria campi,
Omnia diuina culta vireta manu.
Ipſa locum totum ſi quærat in orbe VOLVPTAS,
Non alium toto malit in orbe locum.
Ver ibi perpetuis pubentia floribus arua
Pingit;habentque ſuas omnia prata roſas.
Et viola tellus,thymbraque,thymoque,crocoque
Fragrat;& hoc totus gramine vernat ager.

Pars

Pars folio monſtrat candentia lilia pando.
 Tegmine pars croceo,purpureoque iubet.
Angulus ingenuo prætexitur omnis Acantho,
 Vicinumque omnis planta Amaranthon habet.
Quid memorem celſas poſito quincunce Cupreſ-
 Lignaq; famoſas inter odora Cedros? (ſos?
Sunt ibi pampineis implexæ frondibus Vlmi;
 Et grauido gemmas palmite Vitis agit.
Regia laurus ibi eſt,& amans ſua littora myrtus;
 Adſitaque eſt Cerafo malus, olyua pyro.
Arborei longo dependent ordine fœtus,
 Atque opibus ramos poma Volema grauant.
Fertile vbique ſolum, & læto nemus vbere quic-
 quid
 Parturit,aut mel eſt,aut bona mellis habet.
Omnibus vna tamen procerior eminet arbos,
 Quæ folijs totam ſubter opacat humum,
Pomaque confertim vitalibus aurea ramis,
 Miro,neſcio quo,tincta ſapore,parit.
Fælices nimium,quibus illa capeſſere fas eſt,
 Et conceſſa ſuo condere poma ſinu!
Æternam guſtata iubent durare iuuentam,
 Corripiat feſſos ne qua ſenecta pedes.
Nullum à morte malum;neq; lenti tædia morbi,
 Fortunæque nihil triſte timere ſinunt.
Quis mihi nunc illa præſtabit ab indole fructum!
 Quis dabit ô manibus poma negata meis!
Prætereo genus omne dapes. Inarata ferebant
 Arua ſuas fruges, arbor inempta ſuas.
His inerant omnes,quos vellent ora,ſapores;
 Sedabantq; datam quiq; dabantque famem.
Par oculos aureſque meas mulcere voluptas,
 Par alia ſenſum parte ſolebat odor.
Huc rapiebar,& huc,dubio per ſingula voto,
 Vnus erat,viſis abſtinuiſſe, labor.
Ecce autem! in medios penetro dum libera cãpos
 In caua lunatus viſitur antra locus!

Inde profunda ſinus aperit,largeque recluſas
E vitreo tellus gurgite fundit aquas.
Excipit effuſam veſtita crepido liquorem,
Subiectoque fouet iuſſa cauerna lacu.
Illa ſuis ſpatium rigat omne canalibus vnda,
Et ſacra fœcundo temperat arua gelu.
Hinc alij fontes;alioque diſerta ſuſurro,
Atque repercuſſo garrula ripa ſono.
Innumeræ circùm pecudes innoxia carpunt
Pabula. Vicinum non timet agna lupum.
Non leporem latrare canes,ceruamque moloſſi:
Non ſolet in paſtos ire leæna boues.
Sed facilem iungit concordia mutua gentem;
Et leuat vnanimem fluminis vnda ſitim.
Hac ego ter felix Regina vagabar in aula,
Omniſque imperio paruit aula meo.
Certabant placidæ veſtigia lambere tigres,
Et leo dimiſſis ſubdere colla iubis,
Ad nutum volucres,& turba canora vocatæ,
Inſedere meas,nec timuere,manus.
Cùm volui,venere grues,venere palumbes,
Venit ab ipſe ſuis cygnus,& anſer aquis.
Cùm mulcere modis libuit reſonantibus aures,
Fecit aedonios auribus aura modos.
Pſittacon optabam noſtro ore audire loquentem;
Audieram noſtro Pſittacon ore loqui.
Votum erat,vmbroſas aliqua percurrere valles;
Ad votum vmbroſæ copia vallis erat.
Quà placuit colles adſcendere;copia collis;
Viſere quà ſiluas;obuia ſilua fuit.
Spirabant Zephyri;dominæque fauere iubenti
Certabant ſtudijs ventus, & aura ſuis.
Et Soles aderant,ſed nulli in Sole calores;
Et ſine conſueto florida bruma gelu.
Deniq; quicquid erat,quod amari poſſet,habebã:
Et procul aſpectu, quicquid obeſſet,erat.
Intus ego interea fructu meliore fruebar,

Am-

Ambroſio totos perlita rore ſinus.
Magna quies animi;mens imperterrita:nuſquam
Corporis vlla mei prælia,nulla Stygis.
Omnia parebant rationi;& fœdere ſancto
Hanc ſua ſunt vnam membra ſecuta ducem.
At Ratio,duce tuta DEO,Rectum omne videbat,
Puraque cæleſtes ſuſpiciebat opes.
Mille alias rerum ſpecies,& mille recordor
Gaudia: Sed folijs ſcribi ea mille volunt.
Plura rogare proin illis de rebus omitte,
Aut deerunt aures iam tibi,verba mihi.
Nam ſi plena voles totius commoda prati
Noſcere,erunt oculis tota obeunda tuis,
Longe illis color eſt alius,cùm viſa probantur.
Pænę nihil formæ,dum memorantur habent.

II.

ARGVMENTVM.

CAINVS, natu maior, fratre per inuidiam obtruncato, paricidium ſuum parentes aliquandiu celarat: mox malè conſcius, indicto ſibi exilio profugit. ABELI manes interea matri per inſomnia eadem prodidere. Quæ liquidò comperta, mater eiulans, cum filio paricida per litteras conqueritur. Eum dein' ad veniæ ſpem, reditumque hortatus. Gen.cap.4.

EVA, CAINO Filio.

DE ABELI CÆDE.

EVA ſuo mittit, iam plus ſemel orba, CAINO
  Hæc procul à patrio verba legenda ſolo.
Adſcriptura locum fuerat; quo currere certo
  Tramite quæſitum littera poſſet iter.
Neſcijt EVA locum. Veniam dabis: Ipſe parenti
  Ignotam voluit filius eſſe fugam.
Nunc vbicunque lates, ibi te tua Mater auere
  Et iubet, &, redeas ſoſpes, vt inde, vouet.
Sed quid ego hoc quondam mihi nomine blandior? Huius
  Forte tibi MATRIS iam graue nomen erit.
Suſpicer vnde, rogas? Ego ſuſpicer vnde, fatebor.
  Tu me, vtinam, falli ſuſpicione ſinas.
Fratris enim fuerat dum nomen amabile fratri,
  Maior apud natos gratia matris erat.
Verùm vbi verſa fidem rupit natura; menſque;
  Triſte ſui ſpecimen fratris ABELVS habet;
Mater idem metuit. Facilè eſſe alienus ab ipſa,
  Qui potuit fratrem perdere, matre poteſt.

Pin-

Pinge tuum facinus,quocunque colore : tuumque
Id mihi,periura voce,fuiſſe nega ;
Eſſe tuum fuga muta probat ; claroque nocentem
Murmure fraternus te facit eſſe cruor
Aſſiduo cruor ille DEVM clamore ; paternaſque
Ille frequens aures flagitat,ille meas.
Nuper .n. occiduas cum Sol properaret ad vndas,
Tempore quo paſtas nox reuocabat oues,
Sponte ſua viſæ temeare ad ſepta bidentes ;
Nemo ſequi comitum,nemo præire ducum.
Territa,quæ,Superi! quæ ſunt hæc omina? dixi :
Ipſe ſuo cuſtos à grege paſtor abeſt.
Non ſolet hoc alios Placidum pecus ipſe reducit
Semper, & extremum prouidus agmen agit
Cauſſæ aliquid,quod mutet,erit.Fugit interea nox
Et noua Sole venit cum redeunte dies.
Egredior ; nulloque errans comitante,locorum
Per vicina diu,perque remota,vagor.
Atque ibi plus decies lugubri Mater ABELLVM
Arua per,& nemora, & paſcua,voce voco.
Reddita plus decies querulis mihi vocib.Echo eſt
Quemque ego quæſieram,quæſijt illa magis,
Nullus ABELVS erat.Rurſũ nemora omnia tẽto ;
Quid reſponderet,rurſum ibi nullus erat.
Ergo domum inuenta mærens ſine prole reuertor;
Quidque mea fiat neſcia prole,queror.
Et ſuſpecta quidem ſuberant veſtigia cladis;
Abdita ſed cladis cauſſa,moduſque fuit.
Hic ego dum cæptis iterum premor anxia curis,
Altera ſubductum condidit vmbra diem.
Sternor humi.At lacrimis defeſſa mãdentibus ora
Obruit infuſo vincta ſopore quies,
Mox facies mutata loci.Meus, ecce, repente
(Neſcio quid metuens fratris) ABELLVS adeſt.
Liuidus, & mæſta deformis imagine ; qualem
Ipſe,ſibi viſam,neſciat eſſe ſuam.
Membra labant;fracto vacillant poplite greſſus ;

G De-

Detrectant ægri pondus inane pedes.
Vulnere non vno fiſſum caput omne fatiſcit:
Deformatque frequens ora decora tumor.
Turgida ſuffuſis rorantur lumina guttis.
Mixta natant binis vnda cruorque genis.
Quis color! exclamo, queue hæc tam barbara formæ
Gratia! quis faciem turpat,& ora,cruor?
Me ſine,perfundam quæſito vulnera ſucco:
Tubera materna de medicanda manu.
Ille nihil; Sed triſte ſilens,expaſſa refugit
Brachia? & oblatam reſpuit æger opem.
Denique cum gemitu,Nihil hac,ait,arte mederis,
Sera parens; frater fortior arte fuit.
Intulit ille graui,quæ conſpicis, omnia claua,
Illa colorem oculis hunc dedit, illa genis.
Inde recens formæ ſubijt mutatio, ſanguis
Germanos rubuit cùm meus ante pedes.
Hæc ſumma. At,cauſsã ſi fortè,modumq;requiris:
Iſta fuit cædis cauſſa,moduſque mihi.
Sacra parabantur. Geminas extruximus aras;
Inſtitimuſque ara quiſque litare ſua.
Ille manu parca graciles collegit ariſtas,
Impoſuitque ſuo vilia dona foco.
Mens diuerſa mihi. Grege de meliore bidentem
Immolo,& electi ſanguinis exta lito.
Continuò ſenſere DEVM pars vtraque, ſacris
Hæc procul eſſe ſuis; iſta fauere ſuis.
Vidi ego lætantes glomerare volumina fumos,
Perujaque erectas tendere in aſtra faces;
Ille ſuas piceis vmbrari nubibus aras;
Obſcenaſque ſuprà ludere vidit aues.
Infremuit viſo,ſpretaque CAINVS ab ara
Ad ſua moroſos rettulit arua pedes.
Hæc odij ſementis erat: neque fratris ab illo
Tempore ſe dubijs prodidit ira notis.
Nec tamẽ inde metus,Quid enim grauiora timerẽ
Ne-

Neſcieram noſtras poſſe nocere manus.
Nunc potuiſſe ſcio: docuit me cumine facto
Frater; & hac alijs prodromus arte fuit.
Ecce tibi media dum fortè cubamus in vmbra
Ante fores patriæ pranſus vterque, caſa;
Ille prior, ſurgamus, ait; me expectat aratrum,
Iungendoſque monent arua colenda boues.
Te quoque lanigerum pecus, & tua paſcua nudū
A timido cupiunt non procul eſſe grege.
Ingrediamur iter. Nihil eſt, germane, quod inſtes;
Sponte ſuum, par eſt, quiſque reſumat opus:
Dixi ego. Mox præeo. Iamq; in conualle profunda
Viderat errantes ire CAINVS oues,
Cùm leuat immmani nodoſam pondere clauam,
Inque meum illidit terque quaterque caput.
Præcipitans ego labor humi, & fratrem inſcius ipſum,
Vt fratri aux lio currat adeſſe, voco,
Adfuit auxilio: repetitaque fulmine querno
Inter anhelantes contudit ora preces.
Tunc totum occubui; nudaque extenſus arena,
Hæc ſpolia fratri frater opima dedi.
Talia per noctem memorabat ABELLVS Auebā
Plura quidem, & multo plura rogare parens.
Ille tamen tenues abijt dillapſus in auras,
Eluſitque meas, ceu ſolet vmbra, manus.
Euigillo, parteſque oculo rorante per omnes,
Quà ſimulacra prius viſa fuere, vagor.
Nulla vſquam ſimulacra ſuper: ſolumq; ſuperſtes
Viuit ab exſtincta prole, vigetque dolor.
Cur peperi, infelix! aut, ſi peperiſſe iuuabat,
Cur peperi fratres fertilis EVA duos?
Plus ſatis vnus erat. Socio ſine fratre CAINVS
Eſſet, adhuc belli neſcius orbis erat.
Nunc geminos inter rubuerunt prælia fratres.
Hei mihi! creſcentis quid furor orbis aget?
Sed malè queſta fui, de natis Eua duobus.

Eſt potius,nullos cur peperiſſe querar.
Nam fugitiuus abeſt geminis de fratribus alter:
Frater in ignota conditus alter humo eſt.
Orba relicta parens.Potes hunc leniore dolorem,
Altera tu reditu pars fugitiua tuo.
Nullus adeſt à fratre metus.Quæcunq; placebunt
Prælia,cum nullo prælia fratre geres,
Fortè patrem metuis? Patrem metuiſſe decebat,
Cum tua cognatus ſpargeret arma cruor,
Cum grauis infeſto ſæuiret claua lacerto,
Barbaraque immeritum finderet ira caput.
Nunc veniam ſperare potes; ſi crimen amatum,
Criminis auctori diſplicuiſse poteſt.
Fas redijſse puta. Quid proderit vſque vagari,
Et toto incertos quærere in orbe lares?
Plus abes Elyſijs;ah plus ſatis,exul ab hortis!
Vin'etiam patrijs, exul abeſse focis?
Verte,CAINE, gradus.Nam ſi cupis Exul haberi,
Hic, licet in patria manſeris,Exul eris.

III.

ARGVMENTVM.

EVA, generis humani Mater (an Nouerca!) ſui ſibi delicti conſcia, per lacrimas litteraſque non tam purgare ſe poſteris, quàm vltro accuſare, damnareque aggreditur. Mox, origine, cauſaque mali deſcripta, ad deplorandas, ſui aquè, ac noſtri, exilij ærumnas, digreditur: quas magna demum VIRGINIS, *ſed olim naſcitura, magno beneficio, ſubleuatum iri, praſcia vaticinatus.* Geneſ. c. 2. & 3.

EVA Mater, Generi Humano.

DE PRIMI PARENTIS EXILIO.

ILLA ego, quæ pomo decepta nocente peremi
Prima PARENS natos, prima NOVERCA, Meos,
Verſibus extorres his alloquor Eua nepotes,
EVA propagandæ facta ruina domus.
Parcite crudeli, mea parcite pignora: penas
Ipſa mei ſceleris, quas decet, ipſa dabo.
Ah! minus ex dixiſſe, DABO. Simul vngue ſcelesto
Noxia tentaui carpere Poma, DEDI.
Exiguæ decepit amor dapis improbus. Eheu!
Vendita quam paruo ſunt mea prata lucro?
Sera queror. Primæ vitanda pericula culpæ,
Blandaque mentiti verba DRACONIS erant,
Nã vagus vt placitis errabat ADAMVS in hortis
Spectabatque ſuas, nec capiebat, opes;
Ibam ego ſola comes; lateriq; propinqua, recentes,
Vndique carpebam, quæ placuere, dapes.

Fas erat : & grauidi certabant optima rami
In dominos vltro condere poma ſinus.
Vna meas inimica manus faſtidijt arbos;
Noluit humano quam DEVS ore peti.
Eſt procul viſa, procul hac,ait,arbore;quotquot
Eſtis, ab his omnes fructibus eſte procul.
Nam ſimul hæc vobis digito violabitur vno,
Tactaque fœdifragis dentibus arbor erit,
Mors aderit vindex properato funere.Certum eſt,
Hac vltrice ream plectere lege gulam.
Sic DEVS.inde metus vetitam contingere ficum,
(Fallor enim,aut ſimilis ficubus arbor erat.)
Atque vtinam conſtans ea mi formido fuiſſet!
Ah!nimis,& nimio plus breuis illa fuit.
Fortè iubatus ibi,ſquamoſo tergore ſerpens
Alta per herboſam colla ferebat humum:
Sibllaque & lingua vibrabat verba triſulca,
Mille venenatis illita verba dolis.
Ecquid, ait,malè cauta fugis? Cum ſeruiat omnis
Arbor,opumque ferax pabula præſtet ager,
Cur alijs intenta cibis,hac ſemper ab vna
Arbore ieiunam retrahis EVA manum? (bor.
Crede mihi; hæc reliquis eſt dulcior omnibus ar-
Tende manum: dices,'nil niſi Nectar habet.
Sed, puto,fata times.Timor angit inutilis.Iſtos
Tam bona non debent poma creare metus.
Illa tuos acuent mirando lumine ſenſus,
Vt,quæ neſcieras antè,repentè ſcias.
Adde, quod ambroſio ſunt poma fluentia ſucco,
Quo, ſcio, vos fieri poſſe liquore DEOS.
Dixit. Ego auditam rapui malè credula vocem,
Retractoque oculis poma probata meis.
Vtque ea ſuſpexi: manus irritata cucurrit
In malè conſpectas, nullo inhibente, dapes.
Ipſa reformidans,tactu à violante refugit
Arbor, vt hac ſtultam falleret arte manum.
At manus inſequitur fugientem perfida ramum,
Arbo-

Arboreque inuita poma cupita rapit.
Ora repentè manum, denteſque repentè ſecuti
Comminuunt auida mitia furta mola.
Sic epulis ego paſta meis, capio altera demens,
Alteraque incauto do melimela viro,
Nec ſibi dona meus renuens porrecta maritus.
In ſua fatalem condidit ora cibum.
Hic, ſimul ac vetitos ea reſtitit inter hiatus,
Morſaque compreſſis dentibus eſca fuit,
Omnia continuo mutata labaſcere, & omnes
Deliciæ refugo vertere terga gradu.
Excuſſere iugum rabie naſcente Leones.
Et noua deſuetas imbuit ira tigres.
Congreſſum renuere feræ, renuere volucres;
Sumpſerunt faciem triſtia prata nouam:
Ictaque cum proprijs perierunt fœdera membris;
Et rupit frenos noſtra iuuenta ſuos.
Mutua quin adeò nos ora refugimus: & vir
Ipſe ſuos vultus horruit, ipſa meos,
Nam neque veſtis erat, nec erat vmbracula; donec
Exiguum ficus tegmen vtrique dedit.
Tegmen vtrique dedit, folijſque virentibus ambos
Veſtijt. Hæc mundi purpura prima fuit.
Interea medium Titania lampas Olympum
Emenſa, occiduas prona petebat aquas.
Ecce fragor: qualis nemora inter opaca citatis
Non expectatus cum ruit Eurus equis.
Inde ſonare graui vicinia murmure; moxque
Creſcere, & ambiguis aura tonare minis.
Tum gelidus per membra mihi decurrere ſudor,
Conſciaque inſueto corda pauere metu.
Nam violata manu, morſuque recurrerat arbos,
Et non conceſſæ dira libido gulæ,
Inde metus. Trepido nos ergo per auia curſu
Fugimus; aduerſo fæmina, virque DEO.
Et procul obſcura nequicquã abſtrudimur vmbra:
Illa fuit ſtultæ meta reperta fugæ.

Quid moror? Eluſo prodire iubemur Aſylo.
Hei mihi! quantus erat inde redire pudor!
Cogimur humenti renuentia tollere vultu
Lumina: & ecce, manu vindice numen adeſt,
Numen adeſt: factoque duos iubet ordine cauſſam
Dicere. Qui poſſet dicere, neuter erat.
Sola reis poterant prodeſſe ſilentia. Sed nos
Stulta nouo fecit murmure lingua reos.
Ille ſuum titulis vt crimen inanibus vmbret,
Conſilijs crimen factum ait omne meis.
Aſt ego ſerpenti (nec enim mihi) garrula dixi
Scribendam admiſſi criminis eſſe dicam.
Sic, vbi ſe neuter vult dici poſſe nocentem,
Dictus ab irato eſt iudice vterque nocens.
Protinus extorres agimur, tectique bidentum
Exuuijs, noto pellimur ambo ſolo.
Clauditur à tergo locus; eiectiſque colonis
Reſtitit obiecta porta reducta ſera.
Huc reditum tentare nefas. Nam tela, coruſcus
Aliger armata vibrat ahena manu.
Ipſe nemus lato circumuolat omne; feroque
Vltor inacceſſas obſidet igne fores.
Nos profugi, poſt multa viæ diuortia, feſſum
Figimus in ſterili denique valle pedem.
Inde procul poſitos oculis humentibus hortos
Quærimus: heu! oculis prædia rapta meis.
Pectora nequicquam pugno impatiente ferimus,
Et meritas crebro cædimus vngue genas.
Denique me, lacrimis iam deficientibus, ægram
Obruit, illapſus clauſa per ora, ſopor;
Ille loci faciem ſopor omnem, & Teſqua iubebat
Cum ſterili ſubitam carpere valle fugam.
Mox alia, atque alia mentitus imagine, totas,
Quas modo perdideram, reſtituebat opes.
Iamque iterum Eoos percurrere libera campos,
Perque meos fueram viſa meare lares.
Rurſum ego prægnãtes opulenta laceſſere ramos,
Rur-

Rurſum implere meos flore,roſaque ſinus.
Et reduces dominam veterem ſtipare leones,
Et reliquæ imperium rurſus amare feræ,
Et malè fida ſuas iterum me Vipera ficus
Carpere deluſa viſa iubere manu.
Ter conabar ibi dextram protendere: terque
Languit,iniecto territa dextra metu.
Serò nimis ſapuit: Sopita cauere volebar,
A qua debuerat peſte cauere vigil.
Has mihi delicias nocturna reduxerat vmbra,
Quas tamen,heu!nullas repperit orta dies.
Nam ſimul iſta mei fugerunt ludicra ſomni,
Nocturnum eluſo fugit ab ore nemus.
Quacunque aſpicio,ſteriles iterum vndiq; valles;
Vndique præruptis aſpera ſaxa iugis.
Nulla loci ſpecies. Non Arbor onuſta volemo
Pondere;non pictum flore,roſaque ſolum.
Sed mera Teſqua, & vbique vepres dumiq;rubiq;
Et tribuli,& lolio plena nocente Seges.
Nec Cæli facies eadem:Prius illa ſerenùm
Riſerat;in rugas nunc,nebulasque coit.
Me prius Elyſiæ Zephyrus recreauerat auræ;
Algida nunc triſti frigore torret hiemus.
Nec ſatis hæc,Miſera dum fortè in valle reſido,
Meque mei miſeret ſæpe, virumque ſui,
Ecce per aduerſos video deformia colles
Ad me mille ſuum vertere monſtra caput.
Confuſum,ſuperi,atque habitu miſerabile vulgus,
Quo nihil ipſe,puto, tetrius Orcus habet.
Pallor ibi,& marcies,& Squallor,& Angor,& Horror,
Cumq;Tremore Timor, cumq;Labore Dolor.
Et Lacrimæ,& Gemitus, mixtoque vlulātia Plāctu
Agmina,& exangui lurida turba Fame.
Et lenta cum Tabe Febres:& inanis Egeſtas,
Et Sitis,& tremulo tarda ſenecta genu.
Et Mala,quæ numero caruere, & nomine:quæque

Nulla alio quondam viſa fuere loco :
Omnia turmatim me ſolam ea monſtra petebant :
Nec mihi fas vlla vertere terga fuga .
Præcluſere vias ; & vbique hærentia , nuſquam
(Pompa moleſta) meum deſtituere latus .
Meque ſuam,& matrem,& nutricem infeſta ſalutant ;
Nutrita vberibus nempe fuere meis ,
His alimenta dedi, cum poma nocentia carpſi :
Cœpit ab hoc proles creſcere noſtra cibo .
Hos ego iam comites, hos EVA ſuperba clientes ,
Hos ſtipatores veſtra nouerca traho .
Vſque licet iubeam,iubeamque recedere;præſtant.
Inque meos ſubeunt monſtra pauenda ſinus .
Fac tamen,hæc aliquis deſit mihi pōpa;comeſq;
Me prope,cum tali ſchemate, nullus eat ?
Fac,deſinit tribuli,lappæque,vepreſque;meriſque
Delicijs tellus,illecebriſque fluat :
Mox vbi dilectos animus reuolutus ad hortos ,
Primæuæque memor conditionis erit ,
Omnia ſordebunt terrarum gaudia ; nullum ,
Docta licet reſonent fila,probabo melos .
Plorabunt citharæ ; flebit chelys ; omnia mellis
Cymbia , continuus reddet amara dolor .
Sola mei poterunt(quid enim per multa vagabor !
Sola volent nemoris rura placere mei .
Nam mala ſint quamuis inuenta grauiſſima;cogar
Illa ego præ raptis parua putare bonis .
Hei mihi ! cur tali libuit diſcedere prato ?
Mors fuit,ex illo poſſe migrare loco .
At vos,progenies mea,qui viridaria nunquam
Talia,nec tales incoluiſtis agros .
Hæc veſtræ,hæc ſaltem(ſi quicquā)credite matri ?
Non audita mihi,ſed mihi viſa loquor ;
Quid rerum ignari,miſeræ ſolatia vitæ
Nequicquam in veſtro quæritis exilio ?
Nec dolor amiſſi vos huius tangit Hymetti ,
Quan-

Quando merũ veſtros implet inane ſinus? (ri?
Implet inane merũ. Quid enim omnia veſtra vide-
Quam miſerum, nobis, & merum inane, queãt
Flectite vel ſero s ad prædia perdita vultus,
Et mecum hec omni viſite parte nemus.
Diuitias illic animus, quas quærit, habebit;
Et, quas non etiam quærit, habebit opes.
Hæc petite, hæc veſtræ dotalia rura nouercæ;
Auctor ego vobis, vt repetatis, ero.
Verùm ego quid vobis fierẽ redeuntibus auctor?
Auctor ego vobis? vt fugeretis, eram:
Altera quærenda eſt redeuntibus, altera; clauſas
Pandere virginea que ſciat arte fores.
Dux erit illa viæ: Sed non erit illa, priuſquam
Mutato ex EVÆ nomine, fiat AVE.

IV.

ARGVMENTVM.

NOEMI *Vxor (quam alij Noriam ; alij alia fingunt; nos cum Beroſo, quocunq; illo TYRÆAM facimus) mundi diluuio ſuperſtes ; funeſtam eius tragœdia faciem, Nepotibus ſuis recenſet, arcæ fabricam ; animantium ingreſſum ; vndarum rabiem ; pereuntium cladem. Inde e x renaſcentis Mundi ſceleribus, olim aut parem, aut maiorẽ eius interitũ, non vana vates, ominatur.* Cornel. in Geneſ. cap. 7. & Salian. ann. mundi 1657.

TYRAEA Nepotibus.

DE MVNDI DILVVIO.

Triſtia naufragi quid me mala prodere mũdi
 Primaque væſanæ damna iubetis aquæ?
Sit ſatis hæc ſpectaſse ſemel. Formidine pallent
 Nunc etiam, & nimbis grandibus ora madent;
Si tamen ardor agit vos tantus, vt illa referre
 Sæpe recuſantem fata velitis anum,
Accipite hæc faciles, mea ſera propago, nepotes,
 Paucula materna verba notata manu.
Non ego longinquæ memoro ludibria famæ,
 Credita prodam oculis ſed mala viſa meis.
Pars ego cladis eram: niſi, merſis omnibus, vni
 Iuſsa pepercisſet mitior vnda rati.
Ternos illa ratis gnatoſque nuruſque vehebat,
 Et geminos (terræ pondus inane) ſenes.
His onerata, vaga, ſine remige, puppis, in vnda
 Cærula ſecurum per vada fecit iter.
Cætera nec portu, nec littore, turba reperto,
 Hauſta

Hauſta procelloſo eſt naufraga præda ſalo.
Stragis origo,ſcelus. Nam legibus impia ruptis
Omne ſibi voluit terra licere nefas.
Iam fraterna ſacer violarat pectora liuor,
Mutuaque humanus læſerat ora furor.
Iam procul hoſpitijs pietas erat exul,& aris,
Et thalamis abærat fœderibuſque fides.
Tum fabricare dolos,odijſque tenacibus iras
Cudere,& ex rapto viuere ludus erat.
Auri deinde fames,& amor ſociatus habendi.
Miſcuerat ſummis ima,profana ſacris.
Regna VOLVPTATI parebant omnia:terris
Illa dabat leges omnibus, illa modos.
Addebat ſtimulos longæua Gigantibus ætas,
Vnaque plus ſeclis acta iuuenta tribus,
Inde ſupercilio contemnere ſidera: & omnes
Numinis offenſa ludificare minas,
Tartara quin etiam, preciſque vndantia flammis
Stagna,meri libuit plena putare ioci,
Hos vbi longa tulit Cæli patientia mores,
Inque dies peior res fuit,inque dies,
Lenta manum iaculis vltricibus induit,& quos
Debuerat pridem,plectere ſera parat;
Stat,dare quæque neci, pueroſque viuoſq; ſeneſq;
Et ſteriles fœta cum genitrice nurus:
Vna eademque feras ſententia conglobat: vna
Quadrupedumque omnes alituumque greges;
Quæ quamuis triſido poſſe ruere omnia telo
Protinus,aut rupto mittere ad ima ſolo,
Maluit immiſſo,commiſta grandine,nimbo,
Atque ſuperfuſo merſa abolere freto.
Vna ſtetit (dum merſa labant alia omnia ponto)
Vna ſtetit,nullis fluctibus hauſta, domus:
Vna Lamechiadæ domus illa, domuſque parentis
Illa eadem veſtri,coniugis illa mei.
Cauerat ipſe diu,& venturæ præſcius iræ
Longa expectatas arcuit arte minas.

Cæ-

Cædua pinus erat cedruſue ſimillima pino,
Silua prius nulla læſa nec icta manu.
Vulnera tunc primum ſæuaſque experta bipennes
Rrocubuit toto vaſta ruina iugo.
Inde cauam immani fabricauit mole carinnam,
Quanta Noti patiens, Oceanique foret.
Nec labor ille breuis: ſed in vna puppe, marito
Bis numerata decem luſtra fuere meo.
Mille lares intus patuere, cubilia mille;
Cuique ſuum bipedi, quadrupedique ſuum.
Summa tegebantur tabulis decliuibus: imam
Sepſere, & mediam pinea texta ratem.
Ne quà etiam rimas penetraret lympha, bitumen
Clauſerat hiſcentes munieratque vias.
Cetera nec velis eguit, neque remige puppis;
Vnus ei, occultum nauita numen erat.
Iamque dies aderat, qua magnæ præuia cladis
Impleret pelago fama ſequente fidem:
Ecce ruunt vltro pecudum genus omne, ſuumque
In qua debebant parte, cubile petunt.
Septenæ veniunt depulſæ à lacte bidentes,
Et geminæ, nullo non inhibente, canes.
Septenæ venere boues; ſtupuitque, iuuencos
Ruſticus excuſſo linquere rura iugo.
Et ſtabulo ſonipes, pratiſque repente relictis
Ponè ſequente ſua compare, venit equus.
Tum timidū lepores genus, & monſtroſa Cameli
Sarcina; & aeriæ Cerua perita fugæ.
Poſt aliæ ſubeunt, vulgaris turba. Sequuntur
Horribiles aſpectu ingenioque Feræ,
Pardus, & indutæ maculoſo tegmine Lynces,
Informeſque Vrſæ, carniuoræque Tigres,
Et lupus, & turpes forma ſquallente Biſontes,
Terribilique ferox vngue iubaque Leo.
Fulminei quoque dentis Aper; tergoque nigranti
Bellua, quàm candens ornat, & armat ebur.
Clauſa videbatur iam pompa; ruentibus adſunt
Cùm.

Cùm variæ turmis vndique, & vndique Aues,
Comparent aquilæ, metuenſque à vulture turtur;
Et vaga vicinos inter Hirundo lares:
Quæque ſalutato crepitare Ciconia nido
Sueta, venenatas fertque voratque dapes.
Mox Cygnus, & picto formoſus ſyrmate Pauus,
Et docilis noſtra Pſittacus arte loqui.
Iunctaque cum merulis Cornix annoſa duabus;
Aligeraque duæ cum legione Grues:
Demum omni pecudum ex numero volucrumq; (gemellæ
Ad nauim trepida ſe retulere fuga.
Omnia quippe mali, & cladis præſagia diræ
Neſcio quo, viſæ ſunt habuiſſe, modo.
Tunc genus humanum, ſi mens non læta fuiſſet,
Conſimilem à noſtra naue petiſſet opem.
Sed neque ſenſus ibi, neque vitæ cura tuendæ;
Pluſque mali fuerat, nil timuiſſe mali.
Sæpe rogare Senex, ſæpè obiurgare; ſuáſque
Perſtitit illacrimans ingeminare preces;
Improba mutarent ſtudia: in contraria verſi,
Dirigerent cautos ad meliora pedes.
Iamque adeò, inſtanti memorabat numinis ira
Reſtagnaturos per loca plana lacus,
Nec validas arces, nec celſa cacumina turres,
Valla nec in ſummis tuta futura iugis.
Dum licet, infenſas miſeri diſpellite nubes;
Iam coniuratas colligit imber aquas.
Sola poteſt cladem pietas auertere: vimque
Neſcio quam, lacrimæ, ſi properentur, habent.
Sæpe ſuis hæc ille; meis ego ſæpe canebam;
Laſſabantque ſenes irrita vota duos.
Nempe videbamur, ſtultæ ille inſomnia noctis,
Vanum ego deliræ pangere carmen anus.
In peius ruere ergo omnes, & crimine crimen
Nectere, & inceptis addere probra probris.
Continuant ludos pubes laſciua choroſque
Inſtaurant feſtas altera turba dapes.

Plau-

Plauſus vbique ſonat,perq; omnia compita riſus,
Noxque meris feruet tota dieſque iocis.
At nos interea,concluſa in puppe,moramur,
Cælituum freti,quam pepigere,fide,
Dimidium noctis iam fortè receſſerat,& plus
Dimidio noctis,quod ſuperabat,erat;
Cum ſubitus cælo inſonuit fragor: horruit æther,
Extinxitque ſuam territa Luna facem.
Murmure bacchantur tragico per inania venti,
Aereque in toto prælia miſcet hiems,
Iam diuiſa volant tectorum fragmina;& altas
Quaſſat inaudito terra tremore domos.
Iam validæ quercus,& nubibus æqua cupreſſus,
Præcipites,nemorum ſtrage ſequente,cadunt.
Diffugiunt armenta loco;pecoriſque magiſtri
Incuſtoditos deſeruere greges.
Hæc vbi prima mali trepidam præludia noctem
Non intermiſſo diſtinuere metu,
Ecce dies! Sed enim quid nomine abutimur iſto
Triſtior æternis noctibus,ecce dies
Illa ſuo ſine Sole dies exorta,nigrantes
Deſuper ex omni nube profudit aquas.
Nec tamen imber erat,qualis cum ſæpe coortus
Vitifero; Auſter depopulatur agros.
Sed noua nimborum rabies,noua grandinis ira,
Et facies cæli tota ruentis erat.
Vrget enim,& plenas alternat Aquarius vrnas,
Dum requiem feſſis nubibus vnda negat.
Materies præſto eſt;aer abit omnibus in vndas
Magnaque naturæ pars cupit eſſe latex.
Omnia conſpirant Elementa ſuamque grauatis
Nubibus,& riuus mittit, & amnis opem.
Ipſi etiam fontes,& ſtagna ignota paludes,
Quoſque colit major fama minorque lacus,
Ante alios omnes circumdata littora Pontus
Tranſilit, immenſis expatiatus aquis.
Ille cauas ſubigit primo conamine valles.

Im-

Impete mox alio plana per arua ruit.
Mox modicos tentat creſcenti gurgite colles,
Et videt in regno tecta natare ſuo.
Tùm verò trepidare metu,ſeramque ſalutem
Improba per ſeras turba vocare preces.
Atque alios ad ſumma domus faſtigia raptos
Continuò ad ſummam eſt lympha ſecuta domū
Tranſcendunt alij turreſque arceſque; Sed iſtis
Non minor,atque illis altior vnda fuit.
Vltima teſtabant miſeris ſolatia montes,
Aſtra ſuis feriunt qui propiora iugis.
Huc iter affectant. Sobolē hac trahit anxia mater,
Decrepitumque ferunt hac pia terga patrem.
Huc madida coniux cum coniuge tendit: Aſylum
Hoc properat fratres inter habere ſoror.
Hæc eadem ſibi caſtra feræ pecudeſq; capeſſunt,
Heu! caſtra inuito nil valitura DEO.
Nam quacunque patet pedibus via,protinus illàc,
Nunquàm alias tritam vi facit vnda viam.
Omnibus à tergo,quanquam properantibus,inſtat,
Effuſoque vagos implicat amne pedes.
Iamque adeò vires deerant fugientibus,& ſpes
Nulla,locuſque ſuper,quo fugeretur,erat:
Creſcere lympha tamen, pelaguſque tumeſcere pergit,
Et quò creſcat adhuc,quoq; tumeſcat,habet.
Quid faciant,ipſis mergendi in mōtibus?aut quam
Præterea à terris opperiantur opem?
Fortè vident medijs extantem è fluctibus vnam,
Remige defectam remigioque ratem.
Quam priùs,vt fatuæ ſpecimen riſere ſenectæ,
Aut ludum effæti ludibriumque fabri,
Hanc modò mirantur domitis obſtare procellis,
Vnamque,intereunte orbe,natare domum.
Ergo,licet rapidi circumfremat vnda profundi,
Acceſſumque feri gurgitis ira neget,
Ipſa tamen vitæ luciſque cupido tuendæ

In pelago pueros nare ſeneſque docet;
Spes,procul aſpectam contingere poſſe carinam,
Inque aliqua feſſas parte leuare manus.
At miſeros,& cymba nimis longinqua fefellit,
Et medio vires deſtituere vado:
Poſt alios alij pelago rapiuntur; & alter
Alterius frater fratris in ore perit.
Hauritur ſocius,ſocio ſpectante; maritus
Coniuge,& inualidus prole natante patet.
Æquora complentur lacrimis:& vt vnda ſuperſit,
Ipſe ſuis oculus duplicat æquor aquis.
Pars trabe fortuita,pars trunco fragmine veſti
Exiguam fatis oppoſuere moram.
Præcipuè informes horrenda mole gigantes
Ilicibus magnis,abietibuſque pares,
Incubuere mari; fuſique per æquora tentant
Expugnata aliqua vincere fata via.
Verùm vbi laſſatos immenſa ambage lacertos
Viderunt nullo poſſe quieſſe loco,
Reiecitque preces non exorabilis aluus,
Intenta cohibens oſtia clauſa ſera,
Tum furijs acti,laxatis faucibus hauſtam,
Faucibus innubes eiaculantur aquam.
Et Cælum telis exſcindere inanibus optant.
Facturi lingua,quod nequiere manu.
Demum indignanti ſorbentur gurgite; merſique
Vſque dehiſcentis in maris ima ruunt.
Intumuit mare mole noua,totidemque receptos
Viſceribus montes credidit eſſe ſuis.
Sors eadem fuluos ponto creſcente leones;
Atque eadem reliquas ſuſtulit vnda feras.
Reſtabant turmæ volucrum; ſupraque premebant,
Circaque,obſeſſam præpete gente ratem.
Sed nec opem tulit ala ſuis;pars vna ruenti
Grandine,pars longa concidit vna fame.
Cætera pontus erant,& qua ſe cunque tuliſſent

Lumina,res omnes non niſi pontus erant
Ter quinquagenas ea reſtagnatio noctes,
Et totidem tenuit,Sole latente,dies,
Cùm nulla interea violata carina procella
Omnibus inſuetum noſtra tenebat iter.
Illa ſupra ſcopulos,ſupraque Ceraunia currens
In ſummis didicit ſola natare iugis.
Hauſtæ vrbes ſiluæque latent; latet abditus omnis
Quamuis turrigeræ molis,& artis apex.
Accipiunt grandes excelſa cacumina Phocas.
Et nunquam viſos ſquammea turba lares.
Nam ſibi,quos volucris fabricarat in arbore nidos,
Hos, volucri iuſſo cedere,piſcis adit.
Quaque canora prius ſub fronde ſedebat aedon,
Nunc noua,cum ſocio murice,concha natat.
Omnia mutatis contraria legibus ibant.
Et natura ſuas verterat ipſa vices.
Quid ratis interea medijs agitaret in vndis?
Quos peteret,victu deficiente ſinus?
Inſula nulla vſquam,nullã vſquã littora circùm,
Nullus in immenſo gurgite portus erat.
Hac illac rapitur:ſed enim quacunque feratur,
In medijs ſemper cymba vagatur aquis.
Nos igitur longo iam feſſi carcere,paſſas
Ad pia:qua licuit,tendimus aſtra,manus:
Et veniam lacrimis pacemque oramus,vt olim
Excidij faciant,exilijque modum.
Nam ſi tanta pati meruit contagia tellus,
Mergereque humanum debuit vnda genus:
Pænarum ſatis eſt; perijt genus omne: nec vllus,
Quem reliqua eluuies mergere poſſit,adeſt.
Vix animæ reſtant,e tot modò millibus,octo:
Haſque minax,è tot millibus,æquor habet.
Parcite reliquis; Hyadaſque mouere ſerena
Ad deſolatas ora iubete plagas.
Et quas excierat,iam terra reſorbeat,vndas;
Inque ſuas redeant æquora verſa domos.

Ta-

Talia dequeſtos, magni audit aula Tonantis:
Et rata concuſſo vota fuere polo.
Protenus ire Notum, pluuioſque faceſſere flatus
Iuſſit, & à ſolo res Aquilone geri:
Et regnare ſuo contentum Nerea ponto,
Nec tumidos vltra littora ferre pedes.
Tum Terra immenſos iterum laxauit hiatus,
Qua grauis in proprios tendere vnda ſinus.
Senſimus extemplo, porrecto culmine montes
Surgere, & emerſum tollere ſaxa caput.
Mox medij colles, & ſiqua furentibus arbor
Manſerat illæſa ſtirpes ſuperſtes, aquis;
Poſt etiam campi, nulloſque habitura colonos
Iugera, & incano ſordida prata luto;
Denique dilapſo patuerunt æquore valles,
Redditaque ſpatijs ſunt elementa ſuis.
Sic refugas vbi ſenſit aquas, & noſtra ſupremis
Hæſit in Armeniæ feſſa carina iugis,
Tum verò validam moliti vectibus alnum,
Ter gemino clauſas pandimus ære fores.
Egredimur; Solemque oculis Cælumque tuemur,
Deſuetoque diu quærimus ore diem.
Addunt ſe comites volucrũ genus omne. Sequũtur
Quadrupedum pleni, qua data porta, greges,
Diuerſi diuerſa petunt: montoſa leones,
Siluam ceruus, aues aera, prata boues:
Dama ſuas rupes: cygnus ſua littora; cortem
Pauo ſuam; caueam pſittacus, antra lupus.
Nos ad aranda manum conuertimus arua nouaſq;
Indocilem fruges ferre docemus humum.
Hoc opus, hic labor eſt. Sed enim creſcẽtibus annis
Innumero creuit noſtra nepote domus.
Iamque iterum thalamis genialibus omnia feruẽt,
Inceſtaſque fouent omnia tecta faces.
Iura ſilent iterum; fas omne iniuria rumpit;
Atque iterum raptas arca recondit opes.
Quid, quod & effoſſo crudeſcunt vulnera ferro?
Quid,

Et redit inuento mutuus enſe furor?
Ac,niſi me lingua mendaci fama fefellit,
Veſtra ſuos iterum terra Gigantas alit.
O ſuperi meliora! Ferent hi rurſus agentque
Omnia: nec terras ſtare,nec caſtra ſinent.
Nulla DEI formido viris. Acheruaa cachinnos,
Atque Erebi flammas,ſomnia noſtra vocant.
Hei mihi! quid fœtus ſoboles mea protulit iſtos
Cur labes vtero prodijt iſta meo!
Quid mihi fatales euadere profuit vndas,
Ceteraque infuſo merſa videre freto,
Pignora ſi ſimiles iterum meritura procellas,
Infelix fueram progenitura parens?
Parcite vos alij,vos ſaltem,hic parcite,Cælum
Moribus ad ſimiles ſollicitare minas,
Plus ſatis eſt,tentaſſe ſemel: procul eſte ſecundis:
Neſcio quid grauius illa ſecunda feret.
Nam licet aerio iam cauerit Iridis arcu,
Ne repetita nouis crimina plectat aquis:
Tela DEVS ſibi ſeruat adhuc.Quos vnda nequibi
Mergere; deterior perdere flamma poteſt.

V.

ARGVMENTVM.

SIBYLLA Erythrea (quæ nonnullis, & Babylóniæ eſt) cum apud Græcos, futura, quæ præſenſerat, edixiſſet multa: hic ad præterita quædam, latinè memoranda, ſe vertit: vnaque epiſtola; primum Nemrodi (quem docti BELVM, ipſumque alij SATVRNVM, alij melius IOVEM cenſent) tyrannidem: eiuſque conſilium de turri exſtruenda, & ipſam deinde turris Babyloniæ fabricam. Mox linguarum, gentiumque confuſionem, & orbis deinceps, ac prouinciarum, ſortitionem enarrat. Geneſ. 10. & 11. Cornelij ibidem Salian. anno 1909. & 1931.

SIBYLLA Erythrea, Mortalibus.

DE TVRRI BABYLONIA.

CArmine me quõdam memini cãtare Pelaſgo,
  Quæ mala viſurus, quæ bona, mũdus erat.
Namque vbi funeſta genteſque vrbeſque fauilla,
  Regnaque vidi vno cuncta cremanda rogo;
Et fatale bonos prauoſque manere tribunal;
  Criminaque æterno quæque pianda foco.
Tunc ego præſago res illa enthea cantu,
  Secula quas poſſent flere futura dabam.
Nunc aliquid Latio grandæua Poetria verſu.
  Secura quod poterant noſſe priora, canam.
Flumes merſum iam ſicca reliquerat orbem.
  Inque ſuos retro ceſſerat vnda ſinus;
Cùm ſubiere noui populo creſcente coloni,

Al-

Alteraque infeſtam fecit Erinnys humum.
BELVS erat faſtu,luxuque,& viribus ingens,
Degener à patria ſtirpe domoque gigas.
Hic ſeu mole ſua,ſeu robore fretus,& armis,
Ardua iuratas vertit in aſtra manus.
Ecquid,ait,ſuperis obnoxia turba vagamur?
Hic iterum vltrices opperiemur aquas?
Nam ſimul,ac cæli ſe rurſum mouerit ira,
Rurſum carnifices æquor,& imber erunt.
Quin agimus,valleſque cauas,& plana peroſi,
Ponimus in tutis edita caſtra iugis?
Sed ne rurſus ibi pluuijs iuga merſa laborent,
Altior inde ſupra nubila turris eat.
Illa ſuo attonitis ſe vertice miſceat aſtris;
Illa metus Cæli rideat,illa minas.
Hanc fabricemus,ait,ſtudijs concordibus arcem;
Suppetias ætas magna minorque ferat.
Vix ea dum Belus dederat mandata,capeſſunt
Iuſsa viri,iuuenes,fæmina,virgo,puer.
Exciſas humeris alij ſudantibus ornos,
Arſuraſque vehunt grandia tigna cedros.
Fornaces animant alij; ſolidoſque refoſſum
In lateres formant igne coquente lutum.
Pars legit eiectam vicino è littore naphtham,
Et non inuenta calce bitumen amat.
Fundamenta locant alij; terræque cauatos
Mutata,certant mole replere ſinus.
Ipſe hortator adeſt Belus;vireſque miniſtrat,
Et validum magnis vocibus vrget opus.
Iamque ſolo extabant poſitæ veſtigia turris,
Et populi concors ibat in alta labor,
Monſtrabant ſtabiles exſtructa cubilia cellas,
Monſtrabat validas plurima porta feras;
Grandia munibat ſolidus laquearia fornix,
Laxabant vacuos atria vaſta lares.
His ſuper incubuit domus altera, & altera rurſum,

Et

Et ſuper has aliæ rurſum aliæque domus.
Porticus accliui circumdabat extima gyro,
Et labyrintheo ſemita flexa gradu.
Vna videbatur conſurgere turris; at vna
Hoſpitium turris totius orbis erat:
Tot vici, & plateæ; medijs tot in ædibus aulæ,
Tot fora, tot cameræ, compita, clauſtra, viæ.
Ima penetrabat lethæas vſque cauernas;
Tranſijt aërias fabrica ſumma plagas.
Sed neque finis adhuc. Stadijs excreuerat octo,
Montibus aggeſtis ſuſpiciendus apex.
Terraque iam nimia perterrita mole gemebat,
Atque humeris impar defugebat onus.
In lateres defecit humus. Tamen altius omnes,
Aſtra licet renuant, altius ire parant.
Quid iuuet, hæc ſummos quod adæquet machina montes,
Scandere ſi montes hos quoque lympha poteſt?
Æquemus nubes, aut, ſi neque fidimus iſtis,
(Indidem enim, & nimbi, & tela triſulca ruunt)
Ipſa laceſſamus vicinis ſidera tectis,
Noſtraque contiguo gaudeat aula polo.
Audijt inſanas æterna potentia voces,
Et ſtolidi culmen riſit inane tholi.
Monſtrauitque ſuis. Quo ſe gens impia porrò
Efferet? aut ſtudij quis modus huius erit?
Hac mea luſuram ſe ſperat fulmina turri.
Tutaque flagitijs quærit aſyla ſuis.
Quærat, ait: Lunæque amens Solique propinquet,
Aut ſolido tectas fabricet ære domos:
Non feret hunc audax impunè ſuperbia faſtum.
Stultitiam pæna conueniente luet.
Nec tamen excuſſo ferietur fulmine; quali
Crimina ſæpe manus noſtra minora ferit.
Sed neque ventorum rabie concuſſa fatiſcet;
Nec tremulo terræ quaſſa fragore cadet.
Vno exciſa poteſt ruere omnis fabrica nutu.

Sat

Sat fuerit, pænas ſi minor ira petat.
Dixit, & aligerum, nota ſibi ferre palude,
Ebria lethæo cymbia rore, iubet.
Horridus infernis non longè à faucibus amnis
Labitur, ignaua, & deſide lentus aqua:
Inde trahunt Manes aliarum obliuia rerum,
Tacta ſimul ſummis ac fuit vnda labris.
Continuò properans hiſcentibus ales ab Aſtris
Lurida cum iuſſo procula rore tulit.
Ille ſuper populos pluuia ſtillante refuſus
Arida factorum contigit ora liquor.
Nunquam aucta cecidit de nube potentior imber,
Vertere qui ſubitis omnia poſſet aquis.
Omnia mutauit; pueroſque viroſque, nec vllus
Viſus is eſſe ſibi, quem modo norat, erat.
Perſtitit vnius domus immutabilis HEBRI,
Quam poterat nulla tangere parte latex.
Huic ſua vox vni cognataque lingua remanſit,
Verbaque primæuos inter amata patres.
At reliqui, veterum ſubiere obliuia vocum;
Et populi linguas dedidicere ſuas.
Murmura mox aures non intellecta flagellant,
Et proprios horrent verba nouella ſonos,
Mutua fugerunt commercia. Mutuus inter
Diſſona multorum guttura fugit amor,
Quiſque ſuum turbauit opus: ſociaſque ſodalis
Iuſſit ab incepta mole vacare manus.
Nam diſcorde ſono, ſeruorum vt quemq; vocabat,
Seruus ab audito longius ibat hero.
Saxa petebantur, ſocius præbebat arenam,
Oranti ſerram, ſuppeditabat aquam.
Malleus huic deerat; porrecta eſt trulla Bipennem
Hic ſibi poſcebat, præbita lima fuit.
Ordine mutato fiebant omnia: donec
Impatiens totum turba diremit opus.
Pendenteſque minas, muroſque reliquit hiantes
Irritus, euentu deſtituente, labor.

Tunc alio Cilices, aliò ceſſere Sabæi,
Atque alio Medus, Perſa, Gelonus, Arabs.
Pars Indos, & Bactra petunt; pars littora Ponti;
Pars Libycas, quondam Punica regna, plagas.
Sarmatæ Hyperboreos optant ſibi caſtra Triones;
Threicias hiemes Odryſiaſque Getæ.
Auroræ populos, Erythræaque littora multi,
Et matutinum quæ videt ora diem.
Cimmerios alij, longeque crepuſcula noctis,
Quà veſpertino ſtringitur aura gelu.
Pars abit humenti qua terra madeſcit ab Auſtro,
Imbriferoque iacent ſubdita rura Noto.
Denique regna ſuos inde accepere colonos
Omnia, quæ moriens Sol orienſque videt.
Inde fluenta ſuos reperunt Iordania ciues.
Inde ſuos Nilus, Danubiuſque ſuos.
Et Latias Italis eadem diſcordia gentes,
Atque eadem Celtis, Heſperijſque dedit.
Vnica reſtabat Babylon, iam iamque futura
Nobile Chaldæis, Aſſyrijſque caput.
Belus ab incepto impatiens diſcedere regno,
Hac poſuit ſtabiles in Babylone lares.
Adiungit ſocios, eadem quos lingua notabat,
Quoſque ſuis norat moribus eſſe pares.
Grande quidem ex iſtis creſcebat viribus agmen:
Sed populi maior pars abeuntia erat.
Altius ergo licet ſtolidæ faſtigia molis
Speraret ſocia ſurgere poſſe manu,
Imperioque omnes vrgere BELVS; ad ingens
Non tamen illa manus ſufficiebat opus.
Quare vbi conari ſe, fractus, inania ſenſit,
Nec molem auerſo creſcere poſſe DEO,
Infremuit; rabieque DEVM maiore laceſſens,
Primus adorato numen in igne facit.
Deceptaſque docet ſubmiſſo poplite gentes
Impia ſacrilegis vota dicare ſacris.
Mox alios ſibi quiſque DEOS: ipſumque; Deorum
In

In numero BELVM cæpit habuere NINOS.
Emit enim vitijs, prauàque tyrannide Cælum;
Sed Cælum, vitijs quale tyrannus emit.
Ex illo nunc axe tonat; vanoſque timores
Vanior illuſo Iuppiter orbe ciet.
Et ſua templa videt; videt & ſibi ſæpe Sabæa
Aſsyrios poſito tura adolere foco.
Quodq; animus meminiſse horret, factūq; nepotes
(Poſt quam etiam fieri vidimus) eſse negent;
Sæpius humano madet illius ara cruore,
Incisaque ſolet ſæpe calere gula.
Sæpe ibi funeris abolet lactentia flammis
Pignora; ſeque piam tunc putat eſse parens,
Cùm (ne forte ſonus pietati flebilis obſtet)
Rauca Mimalloneo tympana more mouet.
Interea ardenti præſens pia lumina paſcit
In puero, ſacris digna Nouerca ſuis.
Has aras ibi BELVS habet. Diſcedite gentes;
Et damnare cita ſacra pudenda fuga.
Credite me ſolum vobis recitare Sibyllæ.
(Aut hic, aut nuſquam vera Sibylla fui.)
Pollutum hoſpitium Babylona relinquite. Morea
Diſcere quos potuit; quemque docere poteſt.

V I.

ARGVMENTVM.

MARIA, *Moſys Soror, explicata prius tyrannide, qua barbare in Hebræos Pharao ſæuierat; pergit plagas, Ægyptijs diuinitus inflictas, recenſere: quas tamen ipſas, in flectenda Regis pertinacia irritas, huc demum ſcribit recidiſſe; vt, cum Hebræos ille, per mare Rubrum euadentes, ſuperbè ſtolideque inſequeretur, vndis, repente coeuntibus, hauſtus miſerando ſibi ſuiſque ſpectaculo, interiret.* Exod. per cap. 75. Cornel. ibidem Salianus anno mundi 2544.

MARIA Moſys Soror, Gentibus.

DE PHARAONIS NAVFRAGIO.

CORNIGERI germana Ducis, (qui tramite ſicco
Primus Erythreum per mare fecit iter)
Vincula Niliacæ memorabo rupta cataſtæ,
Armaque in Hebræam barbara ſumpta fugam,
Huc animos agite: Hic oculis ſpectacula veſtris
Naufraga periuri funera regis erunt.
Iam ſua Pyramidum moliri culmina Memphis
Cæperat,inſani grande laboris opus:
Mille fatigabat moles immenſa magiſtros,
Mille operas eadem fabrica, mille fabros,
Hic mollem valida plebeia iuuenta bipenni
Argillam foſſa querere certat homo.
Hic abit in calcem lapis; hic ſtridente ſubactum
In lateres duros vertitur igne lutum.

Hic

Hic currus & plauſtra gemunt: hic ſumma coactę
In iuga tranſcendunt fune leuante trabes.
Nos operi paleas, & ſtramen agreſte paramus:
Hic labor, hæc noſtræ munia gentis erant.
Farcimus cophinos. Sed vbi rata pondera corbes
Aut paleæ numeros non habuere ſuos,
Nos lacera impactis ſulcamur tergora loris;
Verberibusque inſtant verbera flagra flagris.
Nec lacrimis mollitur ahenea dextra; ſed vltra
Fasque nefasque faber barbarus vrget opus.
Vrget & auget opus: dum denique victa coegit
Non detrectato ſubdere colla iugo.
Subdimus: obliti decoris, primique paternum
Mutamus ſerua conditionis genus.
Non ſtetit hos intra rabies Ægyptia fines;
Nec ſolùm eſt noſtra Memphis abuſa manu;
Aëre ſed veſci vetuit, crudelis, & aura,
Editaque in lucem pignora luce frui.
Ipſa ſuos genitrix (infandum!) elidere partus,
Ipſa cruore ſuos ſpargere iuſſa ſinus.
Sit mihi (quid verum metuam de fratre fateri!
Sit mihi fas, oculis viſa referre meis.
Nilus erat, vaſto nihilo minor æquore; magnas
Turbidus immenſo qui rotat amne rates;
Raptus ab vberibus, Phario cogente tyranno,
Frater in has ierat præcipitatus aquas.
Tota domus, lacrimis matrisque natare patrisque
Viſa magis, lymphis quàm puer ipſe ſuis.
Parcere quis Nilum ſperaret poſſe? pepercit;
Ipſaque Rege ſuo mitior vnda fuit.
Creuerat alga, loco ſtagnante, & plurima circam
Nata papyrifero ſtabat arundo vado.
Hæc puerū; hæc timidas tenuere repagula cunas,
Et mora decretæ paruula mortis erant.
Non fuit immani ſcelus hoc impune Canopo,
Quas dare nos pænas iuſſerat, ipſe dedit.
Nam ſua ſanguineum traxiſſe fluenta colorem

Vidit, & infectos ſtare cruore lacus.
Vidit & informi deformes agmine Ranas,
Inque fora, inque domos, inque ſubire penus.
Tum Ciniphes, infame genus, quos puluere iacto
Fertilis innumeros vndique fudit humus,
Inde vagas alio venientes agmine Muſcas;
Nulla grauis genti plaga perinde fuit;
Vaſtauitque ſuo miserè graſſata veneno
Cornigerumque pecus, lanigerumque Lues.
Vlcere præterea putruerunt corpora fœdo,
Et liquor arcendo deerat, & herba malo.
Fulmine tum mixto cecidit fera Grando; ſatosque
Perculit hibernus ventus, & imber agros.
Quod reliquum à nimbo fuerat, populata Locuſta
Debuerat plagis tot ſapuiſſe Pharos. (eſt.
Non ſapuit. Denſis igitur damnanda Tenebris
Gens fuit O tenebris digne Canope tuis!
Omne ſolum nox atra cana circundedit vmbra,
Et magis atra ipſum condidit vmbra diem.
Vſus abeſt oculis: cæcumque per aera, greſſus
Nemo poteſt alios, nemo videre ſuos.
Palpatur caligo manu, nec vincitur igni,
Lucere accenſas non ſinit vmbra faces.
Tu tamẽ natum Pharos improba temnere numen
Pergis. An ad pœnas non ſatis iſta putas?
Non ſatis iſta putas; cæleſtibus ales ab oris
Ni mala, quæ dicas plus ſatis eſſe, ferat.
Iam medium curſu nox alta peregerat orbem,
Vrgebatque grauis languida membra ſopor;
Aliger, ecce, cauam rapido ſecat impete nubem,
Flammigeraque ferit regia tecta manu.
Inde alios aliosque pari ferit enſe penates,
Immunemque vnam non ſinit eſſe domum.
Quid fieret, clàm nocte fuit. Sed enim aurea poſt
Conſpicuum terris aſtra tulere diem, (quam
Mira loci facies! It tecta per omnia clamor,
Et lacrimas omni ſub lare Memphis alit.
Funus

Funus vbique, & vbique. Iacent in gloria letho
Corpora, materni pignora prima tori.
Nulla manet ſiue clade nurus. Vileſque tabernas
Et procerum lautos ſors habet vna lares.
Ante alios cecidit ſoboles primæua Tyranni,
Hereſque heredis debuit eſſe parens.
Tum vero celerate gradum, pollutaque Nili
Inſtamus trepidà linquere regna fuga.
Ipſa ſuo vetuit quos antè excedere regno,
Nunc procul è regno cogit abire, Pharos.
Ac, ne quà teneat iuſſos mora, prodiga fuluas,
Cum grauis argenti pondere, promit opes.
Et Peluſiaco fugientes inſtruit auro,
Admirata ſuas Memphis auara manus,
Nunquam auri ſtudioſa minus, periiſſe putabat
Si qua foret clauſo gaza retenta ſinu.
Pergimus: atque humeros argento auroq; grauati,
Ad noua promiſſi tendibus arua ſoli.
Longa, viæ ignaris, ſuperanda pericula; gnarum,
Qui regeret paſſus, expetiere ducem.
Ecce ſerena ſubit patulo cum tegmine nubes,
Monſtrataſque præit, Sole ſequente, vias.
At quoties clarum texere Hyperiona Noctes;
Nec traheret noſtros error, & vmbra pedes,
Præuia continuò, rutila cum luce, coruſcam
Spargebat latè flammea pila facem.
Bis ternos duce nube dies proceſſerat agmen,
Cum vicina Rubri paruit ora maris;
Paruit, & montes aliis Cælo extulit vndis,
Atque aliis valles ad Styga preſſit aquis.
Horror erat fremitus fluctuſque videre marinos,
Vix procul auditum queis prius æquor erat.
Nuſquam vlli pontes, nuſquã vada peruia; nuſquã
Quæ facerent vllæ vela, fuere rates.
Traiicienda tamen fuerat fugentibus vnda,
Arua Palæſtini qua peterentur agri
Dumque ibi ſuſpenſo metimur littora vultu,

Fit nouus à turma ponè ſequente fragor.
Reſpicimus. Plena, ecce, viris, & plena quadrigis
Omnia: nec telis eſt neque finis equis.
Totus Oſyris adeſt; tergoque propinquus, inermen
Non exorando territat enſe gregem.
Hic ſubitò immenſis reſonare vlulatibus æther,
Supremumque amens credere turba diem.
Nempe relicta ſumus rabidis annona leænis;
Dandaque vel canibus præda; vel eſca lupis.
Hinc fuga clauſa mari eſt; hinc hoſte furente pre-
Terga: tenet mediũ carnificina locum. (muntur
Præſtabat, fatuas, Ægyptia numina, cepas
Mandere, & admotis vltima ferre flagris.
Certè ibi non deerant morituris buſta. Dediſſet
Exiguum nobis patria terra ſinum.
Hic inhumata cadauera, & indefleta iacebunt:
Hic ſibi nos ſoli præfica quiſque ſumus.
Talia perſtabant fremere; infeſtique capillos
Vellere, & inſuetas vngue ſecare genas.
Degeneres queſtus, plebeiaque murmura Moſes
Increpuit: certamque adfore dixit opem.
Adfore dixit opem. celerique citatior Euro
Adfuit: & populos arcuit vmbra duos,
Vt neq; noſtra Pharon iam poſſent caſtra ſequẽtẽ
Et neque caſtra ſequens noſtra videre Pharos.
Cærula vibrata tum perculit æquora virga,
Percuſſamque loco cedere iuſſit aquam.
Iuſſa receſſit aqua. Sicco dare marmora fundo
Rubra viam iuſſit: iuſſa dedere viam.
Attoniti noua monſtra mari fugente, videmus,
Qualia nunquam ætas viderat vlla prius:
Hinc vitreos atque hinc vndarum aſſurgere mon-
Et geminum liquida mole rigere latus. (tes,
Hinc ſubitam medio deſcendere in æquore vallẽ
Et planum in ſicca valle patere vadum.
Ocyus idem omnes calcare fauentia ponti
Fundamenta, gradu non titubante, iubet.

Littora deſerimus:mediumq; immenſa per æquor
Turba trahit ſiccos,nocte ſtupente,pedes.
Iamq; dies ſuberat, pulſiſque propinquior vmbris
Monſtrabat noſtram lampas Eoa fugam.
Obſtupuit nudata freti vada Memphis aperti,
Et gemini ſtantes aggeris inſtar aquas. (mur.
Hac abeunt, inquit, Capite arma, viri, arma; ſequa-
Ite citi: e medio gens retrahenda ſalo eſt.
Tuta via eſt. Pelago non indignante feremur:
Quà licuit ſeruis ire, licebit heris.
Dixit,& vnà omnes,iuueneſque,virique, ſeneſque
In mare,pars bigis,pars rapiuntur equis.
Ipſe vehens curru Pharao ſublimis in aureo
Arida quadriiuges per vada primus agit.
Proxima ductores populi tenuere. Pudebat
Æquoreas,viſo rege,timere minas.
Ergo vbi ſecuras Erythreo in gurgite plantas,
Ipſa etiam Memphis ſe poſuiſſe videt,
Vrget equos,calcarq; viris properantibus addit,
Et ſpolia intenta monſtrat opima manu.
Interea Moſy quæſitum tramite longo
Hoſpitium, aduerſi littoris ora dedit. (ſit,
Quò poſt quā egreſſos ſaluo omnes agmine ſen-
Dum medio fremerent caſtra inimica vado,
Flexit Erythreas oculos germanus ad vndas,
Et mare ad obſequium iuſſit adeſſe ſuum.
Vtq; ſemel virga tetigit mare: protinus omnis
Concita terribili mugijt aura ſono.
Emicuere feri ſciſſis è nubibus ignes,
Et crebrum irato ex æthere fulmen ijt.
Expauere viri, refugi ceſſere iugales;
Corruit euerſis territa biga rotis.
Non frenis moderatur eques;non rector habenis;
Exanimi torpent arma viriq; gelu.
Vincimur,exclamat Pharij dux agminis.Ite,
Ite retro: hic palmam fortior hoſtis habet.
Ipſe prior, verſos ad littora nota iugales

Flecto. Habet aduerſos noſtra quadriga DEOS.
Inde retro; quà quiſque poteſt, veſtigia vertunt,
Calcatas relegant vt per inane vias.
Effugium tamen ipſe negat fuga: parſq; moratur
Partem aliam, & comitis proterit ora comes.
Littus amant omnes, omnes pro littore certant:
Ille, metum contra & fulmina, portus erat.
Iamque propinquabant; cum Moſes nota reuerti
Vndique diuiſas ad vada iuſſit aquas.
Paruit vnda lubens; celerique rotata meatu
Geſtijt in proprios iuſſa redire ſinus.
Obula tum biiuges inopino vortice currus
Abſtulit & ſparſos æquore merſit equos.
Quacunque aſpiciunt, acies glomerantur aquarũ,
Et pone infelix agmen, & ante, premunt.
Nec læua melius, nec dextra in parte vagantur:
Obijcit vnda pares parte ab vtraque metus.
Tunc vlulare viri, Cælumque vocare: rubrumque
Non perſuaſura voce rogare ſalum.
Quid genus Hebræum perituris profuit armis
Carpere! quid vana cum legione ſequi?
Iam dederant documenta domi, quo numine freti
Exciperent noſtras deſpicerentque minas.
Senſimus illatam ter terno vulnere cladem;
Vidimus & nati funera quiſque ſui.
Quid querimur lenti? Si mens non cæca fuiſſet,
Debuerat plagis docta fuiſſe nouem.
In decima ſapuiſſe, nocet; dum rupta fatiſcit,
Et medio rimas æquore puppis agit.
Accipient auidæ modò noſtra cadauera phocæ,
Vrnaque condendis oſſibus æquor erit.
Hæc alij ſuper, atque alij, dum ſerò queruntur,
Occupat illapſus murmur, & ora liquor.
Scuta virum, criſtæque natant, pictæque pharetræ,
Et galeæ, & pleno naufraga gaza mari.
Rex ſuper vnus erat; medijs quem candidus vndis
In ſua ſublatum terga vehebat equus.

Illi

Illi aliquam,ventoſque diu fluctuſque ſecanti
Spem procul aſpecti littoris ora dabat
Sed clauſere viam denſata cadauera circùm,
Oraque tot iuuenum viſa,tot ora virum.
Quæ,quamuis anima a vitaque exuta tacebant,
Sic audita tamen ſunt,ſine voce loqui.
Impie viuis adhuc,caput horum & cauſa malorũ?
Viuis, & è noſtra clade ſuperſtes abis?
Non erit:Hæc animam ſontem Libitina repoſcet:
Vna tegent noſtrum buſta,tuumque caput.
Pallidus hæc ſenſit Pharao conuitia. Sed mox
Altera maiores monſtra auxere metus;
Mille cruentatæ vicino à littore CVNÆ,
Obuia turbati regis in ora ruunt.
Mille intus pueri puppique: ſed omnibus arcus
Et pharetræ,& parua tela parata manu.
Hi, quacunque fugam ſperata ad littora tentet
Impius,hac arcus,hac ſua tela mouent.
Infenſique obſtant: & terque quaterque repulſum
A portu, in plenum fluctibus æquor agunt.
Exprobantque truces: lactentem,barbare,turbam
Hanc viden'? armata eſt in tua fata phalanx.
I modò Pyramidum molire cacumina,demens pe-
Inq; polum turres vſque reconde tuas: (nas,
Hac nunquam euades.Dabis hic,dabis improbe,
Mille prius dederas vulnera, mille feres.
Et ſimul,adductis iacula aptant ſingula neruis,
Metaque REX iaculis omnibus vna fuit.
Quanta volant arcu laxato ſpicula: tanta
Regis in oppoſitum vulnera pectus eunt.
Ergo ſimul telis,pelagi ſimul obrutus vndis,
Ad Stvga,demerſis faſcibus,exul ijt.
Scilicet hæc fuerant Erythrei ſigna triumphi;
Hæc ea de noſtra fixa trophæa fuga.
Interea venti pelago ſubſidere iuſſi.
Et ſua littoribus iuſſa redire quies.
Nos legimus ſpolia, & plena prædamur arena.

Quas maris abſorptas reddidit æſtus opes;
Mille virum veſtes,& mille monilia? torqueſque
Armillæque auro chryſolitoque graues?
Et quicquid fuerat precioſo nobile cultu,
Quo fucata malæ corpora gentis erant;
Nil aliud, quàm præda fuit. Non brachia nobis,
Non humeri poterant,non ſatis eſſe ſinus.
Et vel auara manus poterat ſatiata videri;
(Si tamen vlla ſatis poſſet habere manus.)
At miſeri nudis opplebant littora membris,
Deuotæ colubris alitibuſque dapes
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.
Exemplum Memphis cuilibet eſſe poteſt.

Finis Libri Primi.

B. IOANNI IAPONIO
é Societate IESV,

RELIGIOSO
ANNIS ETIAMDVM
ADOLESCENTI
SED ANIMI MAGNITVDINE
IAM TVM VIRO
ILLVSTRI MARTYRI
QVEM NEC FIXA
TYRANNVS CRVCE
NEC ADACTO PERLATVS
MVCRONE
POTVIT TERRERE
HOC SECVNDVM
HEROIDVM VOLVMEN
PATRONO
SVO
CLIENS.

HE-

HEROIDVM EPISTOLÆ.

LIBER SECVNDVS.

I.

ARGVMENTVM.

IEPHTHIDA puellam, generis domuſque ſpem vnicam, inſciens pater, ſi de hoſte triumpharet, Aris deuouerat. Id votum illa, cùm reduci & triumphanti, infeliciter obuia, ſerò comperiſſet; bimeſtrem à patre victor moram flagitauit, qua, priùs quàm Aris admoueretur, ferales has nuptias deploraret: Impetrauit. Rem omnem ea nutrici ſuæ, cùm triduum adhuc vita reſtaret, per haſce litteras enarrat. Lib. Iudicum cap. 11. Serarius ibid. Sal. ann. mundi 2850.

IEPHTHIS immolanda, NVTRICI ſuæ.

DE PATRIS VOTO, ET SACRIFICIO.

LITTERA, quæ ſparſis tibi deformata lituris
Mittitur, eſt lacrimis pleraque tincta meis.
Non illam Minio debebam pingere. Rebus
Iſte meis aptum ſe negat eſſe color.
Parce tuos, NVTRIX, cum legeris, addere fictus;
Sat madidam lacrimis fecit ALVMNA ſuis.
Cauſſa tamen flendi, quæ ſit mihi, iure requiris,
Quanquam ego, ſi liceat, iure tacere velim.

Non

Non licet: obſtrictam tibi ad omnia ducis alumnā
Facta, propinato lacte, ſecunda parens.
Inſſerat, armatum Genitor moturus in hoſtem,
Ad ſua cognatam ſigna coire tribum.
Audita coiere tuba, patris arma parati
Sanguine quiſque ſuo, quiſque iuuare manu.
At pater, hoſtiles cuneo maiore phalanges
Dum videt, & ſocios non videt eſſe pares;
Arte, ait, vtendum eſt, cælumq; in vota vocandū:
Firmius hoc omni milite robur erit.
Si domitum ferro manus hæc mea fuderit hoſtem,
Barbaraque impoſito preſſerit arma iugo,
Victima ſollennes mihi prima trahetur ad aras.
Obuia quæ patrias prima erit ante fores.
Sic ego te ſolem, ſic vos ego ſidera teſtor;
Statuta poſtpoſita ſoluere vota mora.
Dixit: & illatis iņ agmina in hoſtica ſignis,
Qualis imbellem fæta leæna gregem,
Arma viriſque viris armiſq; premuntur; & hæret
Aſſidua clades clade, cruore cruor.
Mille petita gemunt Hebræo corpora ferro,
Saucia mortifero vulnere mille cadunt.
Mille alios formido fugat, mille, auia curſu
Vel iuga, vel cæc: tramitis antra; petunt,
Denique fuſa manus toto vaneſcere campo,
Victorique hoſtes cedere præda ſuo.
Fama volat, viciſſe patrem: fixiſque trophæis
Ad ſua felicem tecta referre pedem.
Quid facerem, voti iam dudum ignara paterni?
Non reduci plauſum, non ego prima darem?
Prima dabo certè. Iubet hoc pater: Obuia plaudā;
Et reduci proles oſcula prima feram.
Nec mora; bis denæ (legio mihi chara) puellæ
Inſtaurant geminos, me præeunte, choros.
Pars quatiunt læto reſonantia tympana pulſu,
Pars agitant tremula tinnula ſiſtra manu.
At mihi feſta caput crinemque corona premebat,
In-

Implebantque meos munera verna ſinus .
His ego venturo genitori floribus omnes
Prodiga certabam ſternere nata vias .
Iamque adeò greſſu numeris modulantibus apto
Prodierat noſtra tota chorea domo,
Eminus,ecce,patrem ! Viſo patris ore,videbar
Exoriente nouum ſole videre iubar .
Criſtatus fulgebat apex ; galeamque comantem
Cælato rutilus cinxerat ære calybs .
Argentoque nitens lorica rigebat,& auro :
Et capulus gladij totus iaſpis erat .
Ponè ſecuta patrem legio , victricibus armis
Nobilis,hoſtiles plena trahebat opes .
Omnia plaudebant,feſtæque ſonantia pompæ
Vndique,non ſolito murmure ſigna dabant.
Tunc ego (quis natæ vitio daret improbus?)vltro
In patris amplexus prima puella tuo .
Prima;ſed è ſocijs vtinam poſtrema fuiſſem!
Nunc perij obſequio præcipitata meo .
Nam mutata ſimul vidi palleſcere patris
Ora ; ſimul tracto membra rigere gelu :
Et,mea,quæ calidis tuleram patri oſcula labris,
In patrijs ſenſi frigida facta genis .
Attoniti ſiluere chori, choreæque : ſuuſque
Deſtituit plauſus tympana,ſiſtra ſuus .
Obſtupui ; timideque gradu, velut icta,repreſſo ,
Me miſeram! exclamo;quod pater Omen habes !
Lumina nunc primo video tua turbida fletu ;
Nunqnam alias lacrimis viſa madere tuis.
Quicquid id eſt, capiti noceat cuicunque reuerſū
Omnia dum parcant tangere læua patrem.
Sic ego . Sed genitor,ter promere verba parabat;
Ter nequijt refugo promere verba ſono .
Denique ſuſpirans;quid patrem,ait, inſcia perdis ?
Interit occurſu ſpes mea reſque tuo.
Nam quid agam?Voui.Sunt conſcia ſidera teſtes.
Non ego,fac cupiam,fallere vota queam.

Di-

Dixerat. Inde,licet victo remeant ab hoſte,
Mæſtior,ac victus ſi remeaſſet,erat.
Tum mihi vox(nec enim ſum ferrea) faucib.hæſit
Fridaque hiberno membra ſtetere gelu.
Quæque patris fuerint tam triſtia vota, reuoluo:
Et ſoluenda quibus ſint ea vota ſacris.
Non aliter tremui,quam ſi pendente bipenni
Iam iam ſtructa meum finderet ara caput.
Circumfuſa,patrem,cælumque ſolumq; diemque,
Meque mihi;& ſocium ſuſtulit vmbra chorum.
Verùm vbi, quos animos inopinus ademerat hor-
Non multo ſenſi pòſt rediiſſe mihi. (tor,
Parce metu,dixi; quæ victima quæritur aris,
Eſt ea non dubijs mi manifeſta notis.
Nempe ea,quæ patrio prior exijt obuia tecto,
Enſe decet patrio victima prima cadat.
Prima cadam:mora nulla.Tamẽ,ſi parua precanti,
Non potis es natæ parua negare pater,
Hoc moritura precor. Sine plena Cornua Lunæ
Ante ſuas peragant bis repetita vices.
Hic mihi bis denæ ſunt,turba ſimillima,nymphæ,
Moribus,& chara virginitate pares;
Hoc comitante globo deſertos ſquallida montes
Viſam ego,& in riguis vallibus hoſpes ero:
Donec mæſta breues oculi vndantibus annos,
Et properata rudi carmine fata fleam.
Ipſa meæ fiam Libitiuæ præfica: leſſumque
Ante meos tumulos viua videnſque canam:
Et dabit ipſa mihi (quamuis ſint ſidera teſtes
Scilicet)hanc facilis mi dabit Ara moram.
Annuit illacrimans precibus pater;annuit ara;
Inuidiam auditæ non meruere preces.
Protinus in montes,ſocijs comitata,recedo,
Et vaga per ſaltus,quà lubet ire, feror.
Hic,quid agã,nutrix,nemora inter opaca?requiris?
Aut quibus in ſtudijs triſte bimeſtre terram?
Carmine lugubri fugitiuæ gaudia vitæ,

Et

Et magnum in lætis rebus INANE, queror.
Hos ego nunc facio miſeranda poetria verſus:
Non alios numeros noſtra poeſis habet.
Ad numerũ Comites, præco quacunq; ſequuntur
Inque datos flectunt verba ſonumque modos.
Audit Idumæum nemus; aſſuetæque cauernæ
Voce pari auditum reddere carmen amant;
Vt, niſi nota mihi ſit garrula vocis imago,
Ipſa putem caſus antra dolere meos.
Sæpe feræ arrectis ceruicibus admirantes
Virgineum captant aure, probantque, melos.
Sæpe ſuos turtur gemitus, & murmura miſcet.
Deque mea iniuſſæ clade queruntur aues.
Quin etiam planctus imitantur littora noſtros,
Vda repercuſſa cum feriuntur aqua.
Mutua ſic inter lamenta volantibus horis,
Præcipitatus obit, ſole iubente, dies.
Nos vigilem trahimus quacũq; ſub arbore noctẽ,
Pectora dum ſerus repat in ægra ſopor.
Heu! quas ille mihi falſa ſub imagine formas
Fabricat, vt crebro terreat ora metu? (lud
Quod mihi cunq; ſemel faciet pater, omnibus il-
Iam tanto antè mihi noctibus vmbra facit.
Cernere fumantes videor procul ignibus aras,
Telaque ſacrificum nuda leuare patrem.
Ipſa ego libratæ ſubmitto colla ſecuri,
Victima cognata iam ferienda manu.
Mox, velut icta ca do: Sed mox erecta, peracti
Vulneris impreſſam miror abeſſe notam.
Viuo equidẽ, exclamo. Nihil à genitore timendum
Vt velit eſſe ferus, non tamen eſse poteſt. (eſt:
Sollicitæ accurrunt, me vociferante, ſodales;
Et pauidæ, clamor quid velit ille, rogant.
Hic errantis adhuc nebula circumdata ſomni,
Erigor; atque vbi ſim, vix ſatis ipſa ſcio.
Ex oculis fugit Ara meis; fugit omne verendi
Sacrificaturo cum patre pegma loci.
Sub-

Subductiſque alijs,ego victrima ſola ſuperſum;
Debueram ipſa etiam rapta fuiſſe mihi.
Ergo iuuat, lacrimas repetito fundere fletu;
Funeraque alterno plangere noſtra choro:
Et precium eſt operæ: Sic deſinet illa timeri,
Iam toties iugulo. Sica minata meo.
Quid,quod vita poteſt inamabilis ipſa videri,
Quæ toties etiam viua perire poteſt?
Altera quæratur potius; cui nulla minentur
Funera;quæ ſtabiles certa reſeruet opes.
Illa mihi placeat. Quid enim mihi noſtra place- (ret.
Patris vbi ipſe mei me iugulabit amor!
I nunc,& reduci paſſis occurre lacertis
Nata patris redice in patre,NOVERCA venit.
Hinc mihi ſæpe meæ comites ſuadere laborant,
Vt quacunque fugam conet inire via;
Ignotoſque petam ſeruata puella penates,
Dum patrios fallam non reditura lares.
Nam tua quos,aiunt,mors eſt habitura triumphos,
Victima ſacrifico ſi patris enſe cadas?
Nempe,pater,facies,crudelis vt eſſe feratur,
Cogaturque ſua barbarus eſſe manu.
Barbariem potes hanc, potes hanc auertere famã,
Per maturatam qualibet arte fugam.
Si pius eſt pater,ipſe volet: ſi ſæuus,abire
Longius à ſæuo te genitore decet.
Hæc mihi ſæpe canunt. Sed ſæpe canentibus illis
Vſque nego,pactam fallere velle fidem.
Sponte mea veniam,ſocijs deducta choreis;
Promptior ad primos quam noua Nupta toros.
Ipſa mea mihi ſerta manu contexta parabo;
Et ſpargam ſalſa colla caputque mola.
Ipſa coronandas ornabo floribus aras;
Imponamque meis tuta Sabæa focis.
Tum,ſua ne deſint ad flammas pabula, habebis
Vecta parens humeris ligna,ſtruemque,meis.
Hanc ſi fortè tuæ mentem reprehendis alumnæ

Eius

Eius ego ſpecimen non tibi prima dedi.
Iſacius dedit antè puer: quem faſce grauatum
Iuſſerat ad ſacrum tale præire pater.
Si mihi fas,rebus tenues componere magnis,
Et vetera exemplis ſollicitare nouis,
Da veniam,Abrahamo pater vt par fiat Iephtes,
Forſitan Iſacio par & Iephthis ero.
Scilicet, vt pueris dux ille rudique iuuentæ
Quælibet ad patris iuſſa ſequenda fuit:
Sic & virginibus,teneriſque puella puellis,
Non formidandæ dux ego mortis ero.
Forſan ero. Iam nunc aliquæ didicere ſodales
Maſcula de triſti funere verba loqui.
Impauidæ iam buſta vident: pinguntq; canuntque
Ridiculos,gignit quos Libitina,metus.
Certè vbi fortunam,quæ me pede calcat vtroque,
Rebus in his tantum iuris habere vident,
Vt modò florentem formaque anniſq; puellam
Inque domo illuſtri,& principe patre ſatam,
Præcipitem mutata roret; celerique ruina
Immeritam è ſummo trudat ad ima gradu;
Paullatim renuunt ſpes affectare caducas,
Longaque pro fluxis vota dicare bonis:
Et genus,& proauos,fumoſiſque atria ceris,
Quaſq; domus monſtrat,quaſque recondit opes
Et formæ illecebras,&,nomen inane,fauores,
Vix pluris faciunt,quàm facit æra puer:
Ne tanti facienda quidem. Magis illa mereri
Præmia,quæ nunquam ſint peritura, volunt;
Hæc comites iam ſola ſibi;hæc mihi ſola requiro:
Hæc eadem,ò nutrix,ſola require tibi.
Si mortale tamen tibi vis,vt alumna relinquam
Mnemoſynō,miſſum hoc lugubre carmē habe:
Quod,precor,ipſa legas;& longo more, quotannis
Omnis in Iſacia gente puella canat.
Forſitan,& quanti ſuperet mihi temporis vſus,
Quæris?Habet paucos Luna ſequeſtra dies.

Cer-

Cernis, vt impleri properent duo cornua ?Cernis
Vt tangant metam iam prope, iamque ſuam!
Sex noctes ſeptemue fluent,cùm tota coibunt,
Et patiens pleni luminis orbis erit:
Ille dies mihi ſummus erit; finemque laborum,
Tota mihi nequijt quam dare vita,dabit.
Poſt vbi in Elyſium penetrabo libera campum,
Abramio viuam tuta recepta ſinu:
Atque ibi,quam genitor mortalibus exiget oris,
Matris in amplexus,non abigenda,ruam.
Me que ibi Sara parens, ibi me Rebecca, receptam
Non renuent,neptes inter habere ſuas.
Quot proauos,patruoſq; mihi, quot ſanguine iun-
Iſacidas,vno mors dabit vna loco? (ctos
I,pater,& ſociæ comites hic eripe vitæ;
Nil mihi,dum reſtet tanta ibi turba,rapis.

ARGV-

II.

ARGVMENTVM.

Quæ litteris diuinis, REGINA SABA, & Chriſto ipſi, REGINA AVSTRI, vocatur; ea vagi nominis apud alios ſcriptores eſt. Plures CANDACEN putant: Æthiopum, vel (quod doctos video malle (Felicis Arabiæ Reginam. Hæc deſiderio videndi, audiendique Salomonis, terra marique Hieroſolymam contendit. Quo denique perlata, & opum ibi magnitudinem, aulaque regiæ, vrbiſque pulchritudinem, ac Templi præſertim maieſtatem, admirata non prætermiſit ad Sabæos, ciues ſuos, de iis, quæ viderit audieritq; reſcribere. Reg. 3. cap. 10. Paralip. 2. cap. 9. Salian. anno 3047. n. 6.

CANDACE Regina, populo SABAEO.

DE OPIBVS SALOMONIS.

Ponitæ regna metum: nihil eſt, quod Nerea ve-
Vlterius pergant ſollicitare preces. (ſtræ
Soluere nam portu quas iuſſimus vſque Sabæo,
Regna profecturas ad Solymea, rates,
Iam ſalnæ placidis tranarunt æquora ventis,
Vſque Palæſtinos dum ſubiere ſinus.
Hic comites regina meos, omnemque clientum
Expoſui, portu vix capiente, gregem:
Quæque meis fuerant portata talenta liburnis,
Quæque Sabæa ſacris tuta parata focis;
Quæque Arabum felix generarat Aromata meſſis,
Quæque Rubri gemmas fouerat ora maris,

Om-

Omnia ſexcentis imponi iuſſa Camelis,
Intrarunt Solymos,me ſubeunte,lares.
Mille ſequebantur comites longo ordine,mille
Ordine diuerſo me præiere duces.
Ipſa mihi,curru dum celſa vehebar in aureo,
Forma triumphantis vera,vel inſtar,eram.
Inſtar eram certè. Nec enim maiora putaram
Eſſe alibi regnis altera regna meis.
At Solymas poſtquam mirari contigit arces,
Structaque marmoreis aurea tecta iugis.
Et validas turres, & vaſta palatia; & omnes
Pluribus æquandas vnius Vrbis opes;
Ingentes cecidere animi;primumque Sabæas
Tunc ego diuitias inter egena fui.
Viluit omne meum,quod claſsem onerauerat,au-
Et digiti gemmas erubuere ſuas. (rum;
Quæque ſuperba domi Maura trabe regia fulſit,
Hic mihi plebeiæ viſa erat vmbra caſæ.
Tanta loci eſt ſpecies. Quam ſi deſcribere tentem,
Deficiet caſſo victa labore manus.
Stat,tentare quidem,calamo licet impare: Pingi
Impare ſe calamo ſi tamen illa ſinat.
Mænia,qua ſolem ſpectant extrema cadentem,
Surgit ab excelſo ſcrupeus vmbo iugo.
Fundamenta graui premit ille Sionia ſaxo,
Seque receſſuris nubibus indit apex.
Inde domus omnes,vicique viæque videri
Et,quicquid tota clauditur vrbe,poteſt.
Agger ibi,& ſolido ſtant propugnacula vallo,
Nullo ea Bellonæ concutienda metu.
Illa Palæſtinis quondam abſtulit hoſtibus,ille.
Creber adhuc puero cui leo ludus erat.
Cui validos olim memorant ceſſiſse gigantas,
Milliaque in pugna ſuccubuiſse decem.
Primus hic imperij ſedem arce locauit in illa,
Et proprium iuſſit regibus eſse larem.
Sed ſubijt magno Soboles patre maior,& auctum

Ex-

Extulit auſpicijs imperijſque locum.
O ſuperi? quales iubet illa aſſurgere moles?
Sidera tacturas iam propè iamque putes.
Præcipuè fuluo radiant ibi tecta metallo,
Quæ triplici Parius circumit orbe lapis.
Porticus auratis libratur trina columnis:
Veſtit odoratam cedrus eburque domum.
Ducta pauimentum pingunt Aſarota; ſuperbit,
Et pede calcari ſe ſtomachatur Onyx.
Penſile diſtinguit Nereia bacca lacunar;
Inque tholo partem multa Smaragdus habet.
Heliadum cruſta paries;& Iaſpide poſtes,
Ipſaque Erythrea ianua luce rubet.
Aula tamen luxu magis vna triumphat Eoo,
Qua,ſcio,Regna nihil pulchrius vlla vident,
Regis ibi ſolium gradibus ſublime coruſcis;
Incertum,precio præſtet,an arte,labor.
Materies ebur eſt;ſed eo flaueſcit ab auro,
Quod rotat occiduo diues arena Tago.
Bis ternos locus ipſe gradus:biſſena leonum
Hinc atque hinc ſpectat ſigna minora latus.
Sed qua parte manum ſuſtentat vtramque tribunal
Excubias ingens ſeruat vtrinque leo. (ro;
Quicquid id eo,aurum eſt. Solido leo fulgurat au-
Excipit impoſitas aurea lamna pedes.
Aurea defendunt Solium conopea; cingunt
Aurea celato contabulata ſinu.
Præterea tanti quà copia deficit auri,
Altera gemmarum copia ſarcit opus.
Chryſoliti trudunt Smaragdos.Adamantas Iaſpis.
Hæc Ametyſton,& hæc pars Hyacinthon habet
Quoſcunq;aſpicias,gēmę,omnia,& omnia gēmæ,
Nullus ibi argenti, nullus ibi æris honor,
Nam quid ego centum ſimili conclauia luxu?
Quid ſimili ſtructos mille nitore toros?
Quid tripodas memorem?pleniſq;triclinia menſis
Quid precio centum ſigmata facta pari?

Gym-

Cymbia miſcendo locus aurea ſeruat Iaccho;
Seruat ad innumeras aurea vaſa dapes.
Et parili fulgent lanceſque orbeſque metallo:
Et gabatæ,& menſis cetera digna ſuis.
Et phialæ pateræque omnes,abacique ſupellex
Cantharos,& multa nobilis arte calix.
Totæ etiam pelues,& grandia vaſa lebetes,
Memnonias inter conſpiciuntur opes.
His ornata bonis quamuis domus omnis abũdet,
Cetera ſunt ipſa nobiliora domo.
Muneribus certant populi: penſoque tributum
Extera longinquo regna duceſque ferunt.
Indica deductæ percurrunt æquora claſſes,
Et reduces auri lecta metalla vehunt.
Hinc rerum vbertas,& pleno copia cornu,
Nemo ſitim vt poſſit, nemo timere famem.
Hinc fora mercatu locuplete frequentia,quicquid
Rerum alibi totus parturit orbis, habent.
Turribus armantur muri: vigilique perennes
Plurimus excubias agmine miles agit.
Omnia plena viris,armiſque: at qualibus armis?
Qualibus,& quantis omnia plena viris?
Omnibus inſignes auri ſub temine veſtes,
Omnibus oſtrino tincta colore chlamys.
Hic ſaga Sidonio plebeia lauantur aheno,
Hic tumet Aſſyria ſerua lacerna ſtria:
Hic quoſcunque videt claſſis poſtrema miniſtros;
Noſtra poteſt dominos terra putare ſuos.
Armiger auratas tercentum in limine peltas,
Aurea bis centum ſcuta ſatelles habet.
Et ſimili caput,& ſimili præcordia quiſque
Et ſimili frontes,oraque nube tegunt,
Et ſimilies arcus,auroque micante ſagittas,
Et ſimili vibrant aurea tela manu.
Stant habiles alibi bello plus mille quadrigæ;
Plus alibi decies mille morantur equi.
Quid nemora,& vitreis viridaria peruia riuis?

Citrea quid ramis pendula mala ſuis?
Quid, dubios, oculis placeant an naribus, hortos.
Dum trahit huc odor, huc retrahit ora color?
Mira peregrinis ibi gratia floribus. Ardet
Perpetuis illic ſpica Ciliſſa roſis.
Fragrat Achæmenio tota area conſita Coſto,
Liliaque aſſidui copia Veris alit.
Si qua poteſt vſquam ſpecies cælo æmula pingi,
Debuit hoc ſpecies picta fuiſſe modo.
Sed quid ego auguſti ſpacia, & miracula Templi?
Subſtructique moror dicere ſaxa iugi.
Omnibus hæc alijs memoranda fuere relictis,
Totaque in his ſolis penna terenda fuit.
Tectũ auguſtũ, ingẽs, centũ eſt ſublime columnis;
Quo nihil in toto pulchrius orbe viget.
Exteriora lapis, Pario de marmore, veſtit,
Et Scythica reddit candidiora niue.
Singula ſaxa queunt totidem miracula dici;
Nam ſpeciem magni ſingula montis habent.
Qui molem artifices potuere attollere tantam?
Aut ſatis eſſe operi quæ valuere manus?
Aere rigent portæ, quanta bis dena gigantum
Brachia moliri, vecte gemente, ſolent.
Laxa parent intus plus ſenis atria campis;
Pro totidem credas vrbibus eſſe locum.
Cincta periſtylijs ſunt atria ſingula trinis;
Suſpendit triplices ſubdita pila tholos.
Subtus, opes Regnis, & regibus admirandæ,
Fabrica quas nullo viderat vlla loco.
Ara tenet medium, Cyprio quæ fuſa metallo
Surrigitur, moli vix ſatis vna ſuæ.
Nemo illam pecudum numeratis imbuit extis;
Sed lauat immenſo prodigus amne cruor.
Vix Hecatomba locum ſibi tota meretur in illa,
Mille boues illam, mille merentur oues.
Parcus & hic numerus. Nã tota armenta trahũtur,
Vſque boum dena, & millia dena boum.

Millia

Millia quin etiam plus quam centena bidentum ;
Sacrificas laſſat cædua turba manus.
Vulgares hinc illa DEOS, plebemque Dearum
Deſpicit, & nulli ſupplicat ARA Ioui :
Sed patrio ritu colit vnum conſcia numen :
Immolat huic tantos ſoli, adoletque, greges,
Nõ procul hac Ara, LABRVM, ſtagnãtibus vndis
Tergora biſſenum preſſat ahena BOVM :
Vaſta MARIS ſpecies, maris occupat ęmula nomẽ
Nec ſibi re vacuum nomen id eſſe putat.
Nam cubitis illam ter denis circinat orbis
Aereus, immenſis prodigioſus aquis.
Centũ aliæ circũ Temeſæo pondere CONCHÆ,
Vaſaque centum alijs ſtant Ephyrea locis.
Cuique ſuus SACRIS viget in ſolennibus vſus,
Cuique ſuus patria lege ſtatutus honos.
Hactenus ambages, templique ſuburbia, vobis
Quà licuit, penna non renuente, dedi.
At pars DELVBRI memoretur vt altera, nõ ſunt,
Parcite, nec calami iam, neque verba mihi.
Veſtibulo in primo gemina ſtant mole COLV-
Arte pares ambæ, materieq; pares: (MNÆ.
Aera recedentes ſolidant infuſa medullas,
Aurea conſpicuum lamina veſtit opus.
Aurũ eſt ima BASIS : puro CAPVT eminet auro;
Aurea cum SPIRIS ſunt ANAGLYPTA ſuis :
Perque TOROS aurum ſupraque infraq; vagatur;
Inq; STRIAS audax influit, inque STRIGES :
Ipſa PAVIMENTI ſeries diſtinguitur Auro;
Auratæque meant per tabulata TRABES,
Et PARIES aurũ eſt; aurũ eſt cũ cardine LIMEN;
Incluſæque auro ſunt radiante FORES.
Quæque inibi donis cumulata perennibus ARA
Sentit odoratos iure calere focos ;
Quæq; ſuas animãt face Cãdelabra LVCERNAS,
Quæque vaporata fumat ACERRA prece ;
Quæque alios ibi VASA loci ſeruantur in vſus,

Diuitis auri ingens omnia pondus habent.
Intima reſtat adhuc Tẽpli DOMVS, abdita velo.
Plenaque ſecreta religione domus.
Certum ibi NVMEN ineſt,& maieſtate verenda
Non paſſa eſt oculos illa ſubire meos.
Turba profana loco procul,& procul,eſſe iubetur
Ne pede cæleſtem calcet inerte larem.
Fas tamen è reliquo precium dignoſcere templo;
Magnus vt è paruo noſcitur vngue leo. (lo,
Nãq;vbi VESTIBVLVM fuluo nitet omne metal-
Et calcata pari luce renidet HVMVS,
Quæ ſpecies ADYTIS erit, & penetralibus ipſis,
Hic, vbi præſentem tota habet Aula DEVM?
Hic,vbi ſacra latent Moſei fædera pacti?
Scriptaque diuina bina TABELLA manu;
Hic,vbi,finitimis quondã pauor hoſtibus,ARCA?
(Neſcio,quid magni nominis ARCA ſonet.)
Fallor enim,aut nullo locus ille quieſcet in auro:
Plus aliquid gemma,plus ADAMANTE volet.
Sed quid ago? aut vbi ſum? Dum ſcribere MAGNA laboro,
Omnia ſunt calamo facta MINORA meo.

AR-

III.

ARGUMENTUM.

Eadem Regina CANDACE, cùm Hieroſolymis, curioſè multa ingenioſeque Salomoni propoſuiſſet: is verò ænigmatum & quæſtionum nodos ei omnes liquidò diſſoluiſſet; raraq; ſapientiæ ſpecimina mirifica dediſſet: Regina velut miraculo attonita, quid in Salomone coram viderit audieritque ad abſentes Regni ſui proceres perſcribit.
Reg.3.c.10.Paralip.2.c.9.Salian.ann.3047.n.6

CANDACE REGINA, Optimatibus Sabæis.

DE SAPIENTIA SALOMONIS.

Aduena vix Solymos nuper Regina penates
  Attigeram: & populo eſt littera miſſa meo:
Quæ properante fuga fines ingreſſa Sabæos
  Innumeras viſæ rettulit vrbis opes.
Altera nunc proceres appellat Epiſtola noſtros,
  Quos penes eſt regni cura laborque mei.
Quæritis, ecquis amor peregrinam ſuaſerit oram
  Tot maris, & terræ tot per, adire, vias?
Expedio. Iam Rubra diu per littora nobis
  Didita Ieſſei fama Nepotis erat.
Grandia narrabat Sapientis acumina Regis,
  Et bona, mortali vix capienda ſinu.
Regnaque, præ regno laudabat opima Sabæo;
  Queis neque par Medus, par neque Perſa foret:
Vix poterat ſibi fama fidem tam mira mereri,
  Addere, quæ magnis maxima ſæpe ſolet.
Ergo oculis luſtranda meis; coramque beati
  Et regni, & Regis fama probanda fuit.

Fama probata fuit: vicitque probatio famam;
Vidimus auditis ter bona plura bonis.
Vidimus excelſa SOLOMONEM in ſede locatum
Et circumſtantes, nomina magna, Duces.
Vincebat reliquos vnus tamen ipſe, minores
Vincit vti magno Cynthius igne faces:
Os oculoſque DEO ſimilis. Nota frontis amænæ,
Neſcio quæ, magnæ Symbola mentis habet.
Hinc populos nutu facili terraſque coërcet,
Hinc fera cordato pectore bella ciet:
Sceptra manus implent adamãte coruſca: pyropis
Degrauat ornatum texta tiara caput.
Cæſaries humeros tergumque refuſa flagellat,
Lenis vbi moras ventilat aura comas.
Ipſe relucenti trabeæ veſtitus amictu,
Diuite gemmatam ſyrmate verrit humum.
Sed populo cùm verba facit, Sapientia noſtris
Vna ſuo terris creditur ore loqui.
Rurſus vbi leges, & iura perennia condit,
Iuſtitiæ partes optimus actor agit.
Fortè duas nuper ſciderat diſcordia matres,
Cùm dubiæ vindex vtraque prolis erat:
Vtraque ſe matrem magno clamore ferebat;
Et prolem illa ſui iuris, & illa ſui.
Lis agitata diu, neç teſte probabilis vllo,
Inſolitam à ſolo Rege petebat opem.
Hic (dubium, iuſtùs ne prius, ſapiens ne, vocetur.)
Arbiter æquus, ait, magnæ ego litis ero.
Ferte citi ferrum, & ſtrictâ properate machærâ
In partes, pueri membra ſecare, duas.
Partem vtrique ſuam matri date. Totus vtrique
Quando nequit, medius detur vtrique, puer.
Iamque aderat ferrum. Conſpecto fæmina ferro
Altera, non ſolito palluit oſſa modo.
Et, per ego obteſtor, mea viſcera, parcite, clamat,
Vincor ab hac. Partem noto ego, nolo, meam.
Auferat integram ſibi victrix æmula palmam,

Au-

Anferat:& prolem gaudeat eſſe ſuam.
Dixit:& effuſis pia lumina proluit vndis,
Iniectaque manus eſt remorata manu.
Aſt alio longè ſtetit aduerſaria vultu;
Liuida quo vultu ſtare nouerca ſolet.
Sorte pari vincamus, ait, Pars vtraque partem
Tollat;& è lacero corpore fruſta legat.
Ipſaque mox nudo puerum admouet impia ferro,
Et pauido ſegnem culpat in enſe moram.
Horruit inſanæ Rex barbara vota Nouercæ,
Et fieri à verà poſſe parente negat.
Tu rediuiua procul Medæa faceſſe. Tribunal
Talis ad hoc cauſſas non bene mater agis:
Huic ſobolem concede ſuam; totamque merenti
Redde, ait. Indicium ſola parentis habet.
Naturà, non arte probat. Nam voce tacente,
Proditur affectu vera loquente parens.
Hanc vbi circumſtans excepit concio vocem,
Mota repentinus per fora plauſus ijt.
Mox & fama volat, regnumque vagata per omne
Nuntiat Aſſyrijs Niliacisque plagis.
Inde ſuis proceres egreſſi finibus, vnum
Aduertunt oculos ad Solomona ſuos.
Hunc audire iuuat. Iuuat, hoc didiciſſe Magiſtro
Prodere Memnoniæ quod nequière ſcholæ.
Hoc ſapiens ETHAN orãte ſtupeſcit,& HEMAN;
Hoc patrios ſpernunt Bactra loquẽte MAGOS.
Nos quoque noſtrates, Panchæa oracula, Myſtas,
(Plus licet ipſi alijs ſe ſapuiſſe putent,)
Cæpimus audito SOLOMONE, nec eſſe diſertos,
Nec veteri dignos voce putare ſophos.
Nulla illum ambiguis fallunt ænigmata nodis,
Implicet inſuetis Sphynx, licet, illa dolis.
Naturæ depromit opes: Cælique rotatum
Callidus, inuento tramite, monſtrat iter.
Quid preſaga velint mutatis ignibus Aſtra;
Quid vario ſurgens lumine Luna ferat:

Quid veniente dies, quid Sole cadente, minetur,
Quæ mala vibratum nubila fulmen agant?
Vnde ſuas habeant ventorum murmura vires;
Cur Pelagi refluas incitet Æſtos aquas:
Quas dumeta feras; quas æquora cerula phocas;
Quas liquida ignotas aura crearit Aues:
Quas nemus abſtruſis in vallibus occulat herbas;
Quos medica ſuccos Theſſalus arte coquat.
Denique quos Adamas, quos viuat Iaſpis ad vſus;
Quam vario Garamas ſplendeat igne lapis:
Quosq; armenta velint; quosq; arua nitentia cultus
Conſita felici quos velit Arbor humo:
Ciuiles quæ iura domos; quæ iura gubernent
Armata rigidos cum legione duces:
Omnia (quid longa nequicquā ambage fatigor?)
Omnia, quæ nuſquam docta fuere, docet.
Noſter erat dubitare labor. Quæ quiſq; rogaſſet,
Pæne ſoluta prius, quam dubitaſſet, erant.
Hæc alij dum quiſque rogant, humilesq; latentis
Naturæ gaudent arte aperire vias:
Regis adhuc alio victrix ſapientia nodo
Vel tentanda mihi, vel ſuperanda, fuit.
Sciſcitor, vnde ſuas hæc mundi machina cauſſas;
Vnde ſuas noſtræ mentis origo trahat?
Quas animus capiat, morituro corpore, ſedes?
Quas ibi delicias inter, opesque colat?
Qualibus Aſtra DEIS, quantisq; infeſſa, premantur
Quas ſcelerum pænas impia turba luat?
Hæc ego finieram nondum omnia quærere; iāq;
Omnia quærenti clara fuère mihi.
Ille rudes mundi primosque recenſuit annos,
Et naſcentis adhuc orbis inane chaos.
Monſtrauitque DEVM; verbo cùm iuſſit ab vno
Hoc totum immenſæ ſurgere molis opus.
Iuſſit: & ex Nihilo tellus generata pependit:
Et mare cognatis mobile fluxit aquis.
Ex Nihilo Cælum mirando prodijt ortu,

Atque

Atque habuit cunas Luna ibi, Solque ſuas.
Quin etiam ætherias Nihili de carcere Mentes
Perpetuos æui iuſſit habere dies.
Iuſſit, & ex Nihilo pars prodijt altera noſtri,
Altera de molli prodijt hauſta luto.
Hæc generis magni Cunabula. Talibus orti,
Cur tumidi vanà nobilitate ſumus?
Excidit ingratis Opifex: viuumque peroſi
Numen, ad exanimes vertimus ora DEOS.
Quoſque polo virtus ſuccedere iuſſerat, vltro
Per ſcelus in Stygios mergimur vſque lacus.
Mergimur. Heu, quātas ibi gēs dabit īproba pęnas
Viuet ibi æternos inter humata rogos.
Sed ſua quos pietas ſuper euehet æthera, viuent,
Viuent delicias inter, & inter opes.
Talis cùm Regis Sapientia proderet, hæſit
Vox mihi, & attonito fugit ab ore color.
Genuà labant, tremuère pedes, animæq; meantis,
Vix aliquod laſſo corpore manſit iter.
Vt rediere tamen modico poſt tempore vires,
Atque iterum ſenſus conualuere mei.
O nimium, exclamo, nimiumque beata tuorum
Vota, quibus tali viuere Rege licet!
Tuque Deo dilecte! polus ſua prodigus in quem
Munera tam largo ſparſit opima penu.
Me quoque felices inter numerate quid obſtet,
Cui licuit Regni diſcere iura tui?
Cui libare, mero manantem nectare, vocem?
Cui ſapiente ſacri pectoris imbre frui?
Te didici miranda DEI ſecreta magiſtro;
Te, quicquid cupij ſcire, docente ſcio!
Te duce mentitos, infamia numina, diuos
Exſecr or: & Veneres calce Iouesque premo
Væ mihi! cur longà caligine cæca, nefandos
Impleui toties ture nocente focos?
Erratum nimis eſt. Dolet, hunc tam ſerò repertum
Auditumque boni tramitis eſſe ducem,

Iā tamen hunc,vel ſerò,ſequar, verùmq; Tonantis
Numen,inoffenſa relligione,colam.
Hæc ego dicebam Solomoni,& plura: Sed iſtis
Optarem ad proceres ſcribere plura meos.
At,modò quod nequeo,ſpatijs agere,irrita, tantis,
Illud,vbi vobis olim ego reddar, agam.

IV.

ARGVMENTVM.

BETHVLIAM *Iudeæ vrbem, obſidio cinctam, & aquatione prohibitam, ciues, quinto poſt die, ni ſuppetiæ ferentur, dedere decreuerant. Iuditha Merari filia, reprehenſo ciuium decreto, facinus virile aggreditur; fugamq; ad Aſſyrios ſimulat. Apud quos gratioſa, quar to die Holofernum, hoſtium ducem, obtruncat; caſtriſq; Aſſyrios exuit: Prima fœminarum obſidionali donanda. Ea ſuper re, ad Ioachimum, per id tempus Hieroſolymæ Pontificem, & de ſumma re ſollicitum, ipſa modeſtè perſcribit.* Lib Iudith. c. 8. & ſeqq. Salian. anno mundi *3346.*

IVDITHA, Ioachimo.

DE CÆSO HOLOFERNO.

QVÆ tibi cunque per hanc, non expectata, tabellam
De noſtro properat fama referre ſtatu,
Illa ſcies, animo quamuis incepta virili,
Eſſe puellari tota peracta manu.
Ipſa ego,quæ vixdum patrata à cæde reuertor,
Telaque adhuc hauſto ſparſa cruore gero,
Ipſa rei ſeriem calamo trepidante retexam,

Cer-

Certior optatæ ſtragis vt eſſe queas.
Tu maculata rubris quà ſquallet epiſtola guttis,
Reliquias fuſi ſanguinis eſſe puta.
Si porro,& quæ ſim, patriamq; genuſq; requires,
Scriptaque ſit quali littera noſtra loco?
MERARIS illa ego ſum, rapti poſt fata mariti,
Autumnis viduo iam tribus vſa toro.
Patria quam genuit Bethulis, mænibus altis
Ardua,& aerij culmine fulta iugi.
Hoc ſibi tuta ſitu poterant ea valla videri,
Aſſyrio tutum ſi quid ab hoſte foret.
Quem tamẽ ille locũ? quam tutã crederet vrbem,
Cùm trepidare ſui crederet aſtra metu?
Ecce Semiramio Babylonius agmine Prædo
Irruerat fines nuper ad vſque meos:
Iamque ſuis foſsas,& mænia cinxerat armis,
Claudebatque omnes obſidione vias.
Ciuibus vna meis reſtabat aquario. Largi
Non procul à muro frigora fontis erant.
Præſtitit obſeſſis liquor hic ſolatia, donec
Abdita fontanis vena meabat aquis.
Poſt vbi & iſta ſuas malè prodidit hoſtibus vndas,
Deſitus arenti fugit ab ore latex,
Inde hominum pecudumque labor. Defecta labare
Omnia, nec diram viſcera ferre ſitim.
Vbera cùm querulus vagitu poſceret infans,
Repperit agnatos lacte carere ſinus.
Et lacrimas oculi, cauſſæ quas mille iubebant,
Fundere cùm vellent, non habuere ſuas.
Hære bant ſicco præmortua verba palato,
Et ſæpè in medijs diriguere labris.
Ergo animos, cogente ſiti, gladioſque globati
Sumimus, armata fontem aperire manu;
Irrita cæpta. Feris obſtat Babylonius armis
Miles,& à patria nos fugat hoſtis aqua.
Prælia miſcentur; lymphæque hæmina cupitæ
Empta ter effuſo ſanguinis imbre fuit.

Hoc plebs icta malo, rebus diſſidere; ſeque
Flebilis Aſſyrio ſubdere velle iugo.
Quinta vbi defeſſos Hyperionis aura iugales
Viderit, & quintam luna reducta facem,
Tum niſi mutatis ſteterit Bethulia rebus,
Accelerentque nouam caſtra Tonantis opem,
Admittatur, ait, portiſque receptus apertis
Quæque volet victor, quæque iubebit, agat.
Vox tam dira meas vbi primum contigit aures,
Prorupi vidua flens, in aperta, domo.
Et facinus tam triſte mei conſciſcere ciues,
Parcite, clamaui, parcite velle nefas.
Quin potius geminate preces; ſurdóſque querelis
Grandibus, & planctu ſollicitate polos.
Quod bifido ſtrauit tot quondam millia telo
Numen, & hæc poterit vertere caſtra ſolo.
Vix ea: cum tacito cæpere caleſcere motu
Pectora, & inſueto feruere membra foco.
Eſſe DEVM ſẽſi. DEVS eſt; quid lõga moramur?
Hoc duce, bellatrix eſſe, puella, volo.
Promite tela viri. Date non mihi pila, nec arcus;
Prægrauis eſt humeris veſtra pharetra meis.
Arma mea, armillæ; mea tela potentia, mitræ;
Florida Sidonia ſit mea veſtis acu.
Annulus in digitis, clypei ſeptemplicis inſtar,
Et ceruſſa mihi, caſſidis inſtar erit.
Thoracem poterunt penſare monilia: flauæ
Pro galea poterunt eſſe comante comæ.
His furor; his rabies Babylonia concidet haſtis,
Neſciet hos enſes eſſe; fuiſſe, ſciet.
Sic ego. Mox pictam Phrygio ſub temine pallam,
Quam dederat nuptæ prima iuuenta, peto.
Inde laboratis, multoque rigentibus auro
Cingor, & immenſum per ſola Syrma traho.
Tum madidos myrrha ſtudeo fucare capillos,
Ambroſioque omnes tingere rore ſinus.
Et digitos omnes ardentibus vrere gemmis,

Feſtaque in inſuetum ponere ſerta caput.
Vos tamen, ô Superi, voſque aurea ſidera teſtor,
Nullius infelix hæc mihi ſuadet amor.
Sed patriæ me cura meæ, cæliquc ſupremum
Numen, ad hæc rerum tendere cæpta iubet.
Ergo, age. Luna ſuum iam pænè peregerat orbem,
Et refigo inſtantem viderat ore diem:
Egredior portis. Sequitur veſtigia nutrix,
Impoſitumque humeris conſcia portat onus.
Quas vbi conſpexit prima è ſtatione ſatelles,
Iniijcit audaces prædam in vtramque manus:
Deductamque vias per, & agmina Martia, certat
Siſtere ſupremo munus inerme duci.
Ille quidem ſolio tum forte reclinis in alto,
Circumſtante procul milite, iure dabat.
Regia pendebant Tyrio conopea texto;
Multus ijs adamas, multa ſmaragdus erat,
Velabant aulæa locum: ſtratamque tegebant
Arte laborato velleres Seres humum.
Torua viro facies, & frons horrenda: ſuperbis
Ora ſupercilijs ebria, verba minis.
Nos tamen vt vidit (licet hoc impunè fateri)
Nullus ei toto manſit in ore tumor.
Sed placidus, nomen, generiſque domuſq; rogauit
Stemma; meæ fuerit quæ mihi cauſſa fugæ?
Cauſſa mihi, dixi, magnæ malæ conſcia culpæ
Patria, & offenſi Numinis ira fuit.
Namque lues vrbem, Cælo v'ciſcente, flagellat;
Excidijque minas fæmina virque vident.
Semianimes vix arma ferunt: rabidâque queruntur
Impatiente mora torrida labra ſitim.
Quinque dies agere, totidemq; reſiſtere noctes
Tantaleæ poterunt viſcera ſicca fami.
Sponte ſua tunc tela cadent; vltroque ſupinas
Aſſyrijs tendent, dedita turba, manus.
Quæ mihi nota forent cum certis omnia ſignis,
Deſerui patrios, pulſa timore, lares:

Et

Et tua me furtim ſupplex in caſtra recepi;
Nuſquam alibi vitæ ſpes mihi maior erat.
Non tulit orantem ſubtexere plura: ſed vltro,
Quicquid aues rerum poſcere, dixit, habe.
Nec tantum, quæ poſcis, habe: ſed quanta clientũ
Audeat hic nemo poſcere, dixit, habe.
Inde leuauit humo: ſuaque in cimelia ductam
Aſſyrias inter degere iuſſit opes.
Quaſque miniſtrabant ipſi ſua prandia, totas
Ad mea præcepit prandia ferre dapes. (cet
Has, Holoferne, tamen dixi, has mihi mittere par-
Ad ſtomachum faciet vilior eſca meum.
Prouida diſceſſi. Satis hæc annona, caniſtro
Hoc portata meo, quinque diebus erit.
Nec metus vlterior. Nam ſexta aurora priuſquam
Venerit, omne meum perficietur opus.
Vna, precor, fiat mihi copia: Numen vt extra
Caſtra meum, patrio libera more, colam.
Mors erit, vt noctu iam iamque cadentibus Aſtris,
Ante preces, viua membra lauemus aqua.
Fons viua ſalit vber aqua; largeque refuſus
Proxima natiuo ſubluit arua gelu.
Huc mihi curſus erit. Votis ibi rite peractis
Conuerſo repetam caſtra relicta gradu.
Hoc quoque dixit, habe. Te nemo moretur euntẽ
Obijciatue vllam, te redeunte, moram.
His ego promiſſis, impunè per omnia noctu
Caſtra, per excubias, arma, viroſque vagor.
Sic mihi prima dies abijt, ſic proxima primæ;
Sic mihi ſors etiam tertia noctis ijt.
Miles itu crebro redituque aſſuetus, opertas
Ad mea certabat pandere vota fores.
Quartus vbi clauſo ſuccedere veſper olympo
Ignes Phæbeis ſidera iuſſit equis,
Cena ſtruebatur regali ſplendida luxu:
Accubuere meri, maſcula turma, duces.
Meraris vna viros inter dum iuſſa recumbo,

Hei,quis erat,tales inter adeſſe,rubor?
Sed rubor hic iuſto patriæ conceſſit amori;
Poſſem ego,vt hac ciues arte iuuare meos.
Pôſt quàm prima fames epulis exempta, ſecundas
Appetijt ſumptu luxuriante dapes:
Ampla coronato vacuantur cymbia Baccho,
Et madet effuſo menſa,natatque mero.
Ipſe alios cyathis ſuperare capacibus omnes
Ductor,& epoto ſe ſepelire cado:
Donec ab offuſa caligine tecta lababant,
Monſtrabatque faces vna lucerna duas.
Surgitur. Officium nutantia genua recuſant,
Et truncum ignaui deſtituere pedes.
Mens iacet: appotæ titubant emortua linguæ
Murmura: cognatum vita cadauer habet.
Ergo miniſterio properant ſubeunte clientes
Ebria compoſito membra locare toro.
Poſt,& ego ipſa ſequor;pauidi ſecuta pudoris:
(Nam mihi non dubio pro vade nomen erat.)
Ingredior;clauſoque DEVM venerata cubili
Ad mea conſilium cœpta,manumque paro.
Ecce tibi! rauco reſonantes gutture rhonchos
Accipio,& madida vina regeſta gula.
Leniter adrepo. Video inter ſtragula vaſtum
Corpus,& effuſa pinguia colla iuba:
Cetera luſtro oculis: inſignis acinace Medo
Stare ſub impoſito viſa Columna tholo,
Corripio ferrum,& vagina interrita ſaluo:
(Nulla alias fuerat tacta machæra mihi.
Tum læua complexa iubam:noua miles,in hoſte
Experior dextra,non mea tela,manu.
Ceruicemque ferox repetito vulnere pulſo,
Totaque dirupto gutture colla ſeco.
Exilijt ſanguis torrente citatior;atroque
Obruit infelix amne cubile cruor.
Mox caput auulſum,pera metuente recondo;
Et ſpolia è thalamo,quæ placuere,lego:

Tem-

Tempus erat,tacitis quo iam iam languida bigis
Soluere nocturnos luna parabat equos:
Egredior caſtris ex more,duciſque reuulſum
Aſporto pera diſſimulante caput.
Inde per anfractus,perque auia,& inuia,tutum
Mænia ab obſeſſæ molior vrbis iter:
Et portis vicina meis,Aperite (quid obſtat?)
Murmure ſubmiſſo,dixi,aperite fores.
Continuò valua bipatente repagula ſoluunt,
Acceptamque intrò me famulamque trahunt.
Tum, quàm quiſque poteſt mihi proximus, inſtat & vrget.
Quæque redux portem fata,referre iubet.
Ordior;& clara ſeriem omnem voce retexens,
Exhibeo pugnæ parta trophæa meæ:
En caput! immani caput à ceruice reciſum:
Ingluuie longa pingue,mandenſque mero:
Nunc atra ſanie,taboque informe fluenti;
Et fædum aſpectu,& ſanguine turpe ſuo.
Morte natant oculi,triſtique à nocte laborant,
Lethæoque rigent ora inhonora gelu.
Torua tamen facies,etiamnum aſſueta,micatur,
Sed magnum eſſe ſuas ſentit inane minas.
Hic Holofernus,hic eſt,ſtolido qui ſidera faſtu
Preſſerat,& pauidi iam timor orbis erat.
Heu quanta infelix ſpe decidit? Ipſe peremptum
Enſe ſuo,& noſtra ſe videt eſſe manu.
Extimuit primum,greſſuque pauente refugit.
Toruum vbi conſpexit virq; puerq; caput.
Non aliter,victa quàm ſi deprenſus in vrbe
Vina Semiramij cerneret ora Ducis.
Mactè animis,ciues:Habet hoc;ne cedite;veſter
Non alind,quàm quod cernitis,Hoſtis habet.
Cauſſa timoris abeſt;propius ſuccedite,& vltro
Torua per admotas ora probate faces.
Tum cedente metu; clamor ſublatus, & omnis
In noua mutatus gaudia planctus ijt.

Vi-

Vicimus,vnanimes conclamant, vicimus hoſtem,
Et domino terimus iam Babylona gradu. (ma,
Hoc Holofernus habet. Quin arma capeſſimus? Ar.
Arma citi iuuenes;arma dare,arma,viri.
Dum trepidant hoſtes ignari,caſtra petamus;
Territa nec ſenſu,nec duce,caſtra valent.
Mox truncum ex altis ſuſpendunt mœnibus hoſtē,
Vt ſocium viſo terreat ore gregem.
Inde,velut catulis tigris furit incita raptis,
Impete non alio vulgus in arma ruit.
Iamque propinquabant inimicis agmina caſtris:
Senſerunt vigiles arma venire canes;.
Fit fremitus: non arma viri;non ſigna manipli;
Non nouere ſuos ebria turba duces,
E media ſurgunt alij vertigine ſomni;
Pars nuda iniecta corpora pelle tegunt.
Aſt alij curſu trepido ad prætoria rapti;
Quid fieri iubeat ductor,agique rogant.
Vox ibi nulla. Modis iterum grauioribus inſtant,
Exercentque fores:vox ibi nulla tamen.
Vi demum fecere viam;mediumque tyranni
Intulerunt cautos in penetrale pedes.
Ecce! pauimentum ſanie ſparſum omne recenti;
Et non ambiguæ conſcia cædis humus!
Terruit infelix conſpecti ſanguinis omen:
Et peiora tori ſigna madentis erant.
Intima rimantur; veloque ſubinde reducto,
Inueniunt trunci corpus inane ducis.
Tum verò exangues,animiſque cadentibus,omnes
Fæmineo clamant caſtra periſſe dolo.
Mox fuga prolectis quacunque capeſſitur armis:
Optima ſunt agiles tela cuique pedes.
Nos ſequimur,iaculiſq; auerſū ſternimus agmen,
Sternit vt alipedem Creſſa ſagitta gregem.
Perfugium nuſquā vllus habet;Babylonaq; ſaluus;
Vnde tot exierant millia,nemo redit.
Fac tamen,vt redeat de tot modò millibus vnus;

Par-

Paruum operæ precium de Babylone feret.
Nempe ſuo poterit tot millia dicere Regi
Cæſa puellari diſperijſſe mano.
Nuntius ò vtinam tali de ſtrage ſuperſit!
Facta minor ſtrages, ni ſupereſſet, erat.

V.

ARGVMENTVM.

HESTERA, (alijs etiam EDISSA) cùm ex Mardochæo, patruo ſuo, reſciſſet, quam Iudæis peſtem Amanus pararet; Regi, ad epulum inuitato, ſupplex, ſuam ſuorumq; mortem deprecatur. Rex audita rei atrocitate, hactenus excanduit, vt Amanum, ſceleris architectum, in Crucem, quàm ille Mardochæo iam fixerat, agi continuò iuſſerit, & Mardochæum ſummis honoribus extulerit. Hunc rei lætiſſimæ ſucceſſum Regina patruo ſuo inſperanti per litteras aperit. Lib. Heſt. à c. 3. ad fin. ann. mundi 3601.

HESTERA, Mardochæo Patruo.

DE AMANI SVPPLICIO.

Mittere quam patri debet ſua Nata ſalutem,
Hāc mea fert PATRVO miſſa tabella meo
Nam Patruum quamuis mihi te natura crearit,
Te tamen & patrem credere iuſſit amor.
Non capitis regale mei diadema, nec illud
Quod mea tot gemmis colla monile grauat.
Nec tituli efficient, (quos non niſi territa ſumpſi)
Quin te ego Nata meo pro Genitore colam.
Hoc tibi nomen erit. Velo, dum Regina vocabor,
Non

Non niſi Reginæ Tu vocitere pater.
Clauſa quòd hæc Tyrio tibi littera mittitur oſtro,
Scriptaque non ſolito more,tabella rubet:
Nec mirare,pater. Dedit hunc res ipſa colorem:
Non ſcribenda alijs læta fuere notis.
Sed,quàm læta tibi ferat hic color, accipe. Pādam
Qualia ſint,& quo quæque peracta modo.
Cum faceret longos tua Nuper Epiſtola queſtus;
Innumeris inerat facta litura locis
Rebar ego à lacrimis illam eſſe cadentibus ortam
Cauſſa grauis,quare ſic ego,rebar,erat.
Nam tragicam populi miſerando carmine cladem
Viſus eras oculos ante locare meos.
Iam propè nudatas iugulis incumbere ſicas,
Sanguine iam ſparſas iamque madere manus.
Quodq; magis doluit,tibi iam propè iamq; paratā
Immanem in medijs ædibus eſſe crucem
Me miſerā dixi;quid agam? Quas rebus in arctis
Suppetias patri,quas populoque feram?
Sæuus enim furit hoſtis: & vndiq; & vndiq; noſtrā
Anteuolat præceps,ni properamus,opem.
Parua mora eſt,ferroq; ſenex, iuueniſque puerque
Et cum ſollicita matre puella cadet.
Ergone cras oculis,ego cras trabe pendulū ab alta
Cogar inuſta meam Nata videre patrem?
Et ſiccis audire genis,vlulantia mille
Agmina,millenis interitura modis?
Ne videamus,opem citi,opem,properemus:At illā,
O ſuperi! qualem ferre volemus opem?
Tot potius,vos ferre decet. Pueri ite,ſeneſque
Ite viri,ite,pias ingeminate preces.
Ipſa meis Ego, quotquot erunt,comitata puellis
Tres ſine rore dies,tres ſine pane traham.
Aſtra viam facient. Vim nos faciamus & Aſtris,
Auxilium nullo in præſide maius erit.
Hæc effata,genas lacrima ſubeunte rigaui,
Treſque DEVM noctes,treſque precata dies,

Tum

Tum luctu poſito; Conchylia rurſus,& aurum
Induor,& fuco ſerta moleſta ſuo.
Sit iter ad Regem,non accerſita,capeſſo.
(Exitij plenum magni iter illud erat.)
Inter Achæmenias lex vna grauiſſima leges
Scribitur,incæptis non ſatis æqua meis.
Regis ab acceſſu procul illa faceſſere, quiſquis
Non accerſitus tentet adire,iubet.
Quem violata reum lex nouerit,ille trecentas
Oppetit exemplo,lege iubente,neces.
Vna poteſt legi res intercedere; tacto
Aurea ſi iubeat parcere virga reo.
Has vbi lege mihi tentanda palatia ſenſi,
Sum tacito,fateor,fæmina tacta metu.
Sed vicere metum maiora pericula: vicit
Sanguinis Iſacij non peregrinus amor.
Attigeram iam pæne fores;perque ipſa parabam
Limina non iuſſo ſenta ſubire gradu;
Cùm procul aduerſo me reſpicit ore Tyrannus:
Hei mihi! quam toruæ nubila frontis erant?
Ardebant oculi,flammamque iramque vomebant;
Seque latens rupto prodidit igne furor.
Mi ſubitum per & ora gelu,per & oſſa cucurrit,
Atque animo fugit deficiente color.
Mortua iam fueram,vel vti moritura lababam,
Per famulas ab humo vix reuelanda manus,
Aſt vbi ſemianimam ſolio rex vidit ab alto,
Pallidior buxo protinus ipſe fuit.
Mutatuſque animi cecidit furor,ira reſedit;
Promicuit blando multus ab ore fauor.
Tactaque porrecta ſunt membra labantia virga,
Hæc liquidam vitæ ſpem mihi ſigna dabant.
Erigor,atque animo media de morte recepto,
Ad latus, à primo proxima Rege,locor.
Poſcere tum iubeor;nullamque habitura repulsũ,
Dimidium regni ſi peteretur,eram.
Da veniam,dixi:iubeor quod poſcere,poſcam,

Cra-

Craſtina cùm medium fecerit hora diem:
Si tamen,aſſumpto dignaberis hoſpes Amano,
Non grauis ad noſtras manè venire dapes.
Annuit,&,iuncto veniam hoc,ait,hoſpes amico:
Ille meis quadrat moribus ,ille tuis.
Altera lux aderat,iamque inſtaurata vocabat
Ad ſtata conuiuas prandia menſa duos.
Aduenere pares. Sed rege beatior ipſo,
Appoſitus Regi qui comes ibat,erat.
Ille triumphanti ſimilis,mea fercula ſoli
Iactarat,ſocio rege,parere ſibi.
Diſcubuere thoris,fulgente rubentibus oſtro;
Adſtitit ad dominos turba miniſtra pedes.
Preſſa laborabat regali menſa culina;
Factaque delicijs eſt gula feſſa ſuis.
Ora peregrinos mirari viſa ſapores,
Sumptaque de noſtra quæque probare manu.
Poſt,vbi fœcundo menſæ caluere Lyæo,
Et poſita ex hortis poma fuere meis:
Heſternæ concepta iubet ſibi vota diei,
Dilataſque diu Rex aperire preces;
Quicquid erit,pete;habebis,ait:nullamq; repulſam
(Vota licet fuerit grandia) vota ferent.
Nil moror; & paſſis ad regem cernua palmis,
Impleui geminos imbre ruente ſinus.
Altaque vix motis iterans ſuſpiria labris,
Quæ mea ſint,dixi,prodere vota iubes?
Prodam ego. Non Regni me vexat amara petendi
Ambitio. Dono capta minore trahor.
Imperij partire tui diademata,ſi quem
Præmia vis meritis digna referre ſuis.
Vita mihi donata tuo ſi munere conſtet,
Quolibet id maius munere munus erit.
Parce animam hanc,(ſi quæ precibus ſit gratia noſtris)
Hoſtibus hanc animam dedere parce meis.
Hæc mihi dona pete. Quæ ſi concedere differs,
Cras ego ſum miſeris interitura modis

Nam

Nam deuota neci vagor hoſtia:meq; meoſque
Deſtinat inſontes vna ferire dies.
Nec procul illa dies;iam iãq; propinquat:& hoſti
Tarda,licet properent omnia,tarda mora eſt.
Finieram lacrimis. Rex incipit. Ergone quiſquam
Hæc impunè ſibi tanta licere putet?
Teſtor,ait,ſuperos; licet hoc,luet,improbus. Ede
Tu modò,& ille hoſtis quis ſit,& vndè,doce
Excipio. Macedum ſcelus ille ab origine, Perſas
Sanguine commaculat degenerante tuos;
Moribus immanis. Vir' clarius omnia? Terris
Inuiſum & ſuperis nomen AMANVS habet.
Ergone AMANVS? ait. Simul indignãtia gliſcunt
Lumina,& abrupto verba ſtetere ſono.
Ipſe fremens,epulis cyathiſque recedit omiſſis,
Pomiferumque ſubit,non procul inde,nemus.
Dumque ibi metitur dubio viridaria paſſu,
Conculcatque ſua culta vireta manu.
Conſcius è ſtrato ſe tollit Amanus eburno,
(Pallida nulla olim cera perinde fuit.)
Et capiti metuens mala iam properantia,pronus
Applicat ad noſtros ora genaſque toros.
Votaque ibi lacrimans effundit inania: nam quas
Anxius effudit,diſtulit aura,preces.
Ecce ſuis inopinus adeſt Rex hoſpes ab hortis,
Plena ferens odijs pectora,plena minis.
Conſpectumq; procul,procul auerſatus Amanum,
Perpetuum ex oculis iuſſit abeſſe ſuis.
Ite citi,infauſta ſuffigite in arbore,dixit,
Pendulo vbi furuas corpore paſcat aues.
Vix ea finierat;iamque inſultare ſatelles
Plurimus,inque reas indere vincla manus.
Auulſoque toris,dentique,& multa precanti
Obnubit miſerum tænia furua caput.
Dein,tragico longe per compita publica ludo,
Raptatum ante ſuam deſtituere domum.
Trabs ibi funeſtam procera tetenderat vmbram,
Quam

Quam ſcelus ille tuam iuſſerat eſſe crucem.
Nunc verſas doles eſse vices,dum celſus ab illo
Stipite carnifices ipſe ſaginat aues.
Interijt cum ſtirpe,parens;ſcelerumque miniſtri
Quam tibi nexuerant,oppetiere necem.
Pignora dena patri fuerant;hæc omnia circum
Stipitibus pendent fixa trophæa decem.
Iam domus ipſa mihi,mihi iam donata tyranni
Prædia;mi totæ iam famulantur opes.
Ergo tui vt redeant ad gaudia deſita ciues,
Et trepidet nullo fæmina virque metu:
Tu ſuccede locos quemque hoſtis AMANVS habebat,
Hunc, pater,à primo Rege ſecundus habe.

VI.

ARGVMENTVM.

ANTIOCHVS; ſcelere, quàm cognomento, NOBILIOR; cùm in Machabæos diu, belluæ ritu, nequicquam ſeuijſſet, incredibili ſex iuuenum fortitudine victus, vt palmam de ſeptimo reportaret impenſè laborauit. Ea de re Matrem, magni animi fœminam, tentauit, vt ipſa, fil io, natu minimo, auctor fieret, imperata faciendi. At heroina, quaſi morem Tyranno geſtura, adoleſcentulum ad ſpernendas Antiochi minas, mortemq; cum fratribus fortiter oppetendam, hortatur. Habitum duorum colloquium, placuit in modum epiſtolæ conformare. 2. Machab. 7. vide Ioſeph. Serrar. Salian. anno mundi 3887.

MACHABAEA Mater, Filio natu minimo.

DE FRATRVM MAIORVM SVPPLICIO.

QVę modò fæcundas ibã inter honora parẽtes;
 Iam mihi ſeptenas videre nurus,
Creſcentumque ſenex ſeriem numerare nepotum,
 Agminaque effæto blæſa fouere ſinu;
Orba repentè vocor. Quid enim, ſine prole, vocari
 Nunc aliud, ſpecies quàm Niobæa, quæam?
Sum NIOBE, ſum, vera nimis. Sipyleia quondam
 Altera, Graiorum fabula mater erat.
DELIVS illi vni, ſeptem vni Delia natos,
 Ille ſuis iaculis ſuſtulit, iſta ſuis.
Suſtulit ANTIOCHVS ſenos mihi. Delia plus quã
 Ille mihi & plus quàm Delius ille fuit.

Se-

Septima viuis adhuc,natuque nouiſſima,proles:
Quam Solam ex omni viuere prole ſinit.
Sed qua lege ſinit? Miſerum te,viuere lege
Si cupis hàc,fratres quà cupiere mori!
Cernis,vt impatiens,promiſſum à Rege fauorem
Iuſſerit,in magnam PRIMVS abire crucem?
Porrigit ipſe libens,linguamque cutimq;manuſq;
Et bona truncandos ob meliora pedes.
Vltimus Athletæ labor,in ſartagine. Cernis,
Quantum ibi ſudet,vti ſidera Toſtus emat?
Proximus huic annis,animoque ſimillimus heros
Omnia,quæ tulerat frater,& ipſe tulit.
Cetera turba duos imitantur. In omnibus idem
Ardor,& à PRIMO degenerare, pudor.
Nemo pedes refugit pendenti ſubdere ferro,
Nemo manus,nemo brachia,nemo caput.
Stridentes animis rident ingentibus Ollas;
Feruidaque vndantes inter Ahena rogos.
Expauit Sartago viros: quemque ipſa timebat,
Mirata eſt, illos non timuiſſe, focum,
Flãma,Triũphus erat.Rex agmine victus inermi,
Et rubuit vires vi caruiſſe ſuas.
Quid modò reſtat? ait: validos laſſauimus ignes;
Redditus eſt pœnis tortor & enſis hebes:
Vulnera vulneribus creuere: omnemq; cruentas,
Quacunque ingredimur, lubricat imber humũ,
Supplicijs abſumpta dies, Nihil egimus: Iras
(Pro pudor!) eneruat cæſa iuuenta meas.
Ergo manus dabimus? neruiſq; rebelle, feremus
A noſtris ſubigi non potuiſſe,genus?
Vi ſubigi nequeat: ſuperabitur arte. Sed artis
Certa magiſtra meæ non niſi Mater erit.
Ite aliqui,matremque citi mihi ſiſtite. Siſtor.
Quotque mihi ſuperent pignora viua,rogor:
Reſtat adhuc,dixi,de ſeptem fratribus vnus.
Interijt flammis cetera turba tuis. (tur:
Huic quoq;tu manuũ,dic,ſumma,pedumq;ſecen-

Ipſe manus totas offeret, ipſe pedes.
Cetera feruenti, dic, membra coquantur aheno;
Cetera continuò membra coquenda dabit.
Nam licet ipſe alij ætate ſit omnibus impar;
Omnibus ille animo ſe putat eſſe parem.
Me quoque iunge meis. Erit hic quoque lingua, pedeſque:
Et mihi erunt, iubeas quas reſecare, manus,
Adde faces, ollaſque ſuper. Quas ſpernere Nati
Tot potuere mei, Mater amare poteſt.
Sic ego. Sic contrà, ſimulata fronte Tyrannus:
Nec tibi, nec proli flamma timenda tuæ eſt.
Maternæ ſoboles volo viuat vt vna ſenectæ:
Plus ea, quam ſeptem ſi numerentur, erit.
Illi ego diuitias, & lati prædia fundi
Largiar, & quales patria neſcit opes.
Illa, Palatinos inſignior inter amicos
Antiochi felix audiet eſſe cliens,
Sic ego perpetuos, quibus vtimur, ætheris ignes
Teſtor: abeſt pactis perfida lingua meis.
Tu modò, ſi quondam tua ſunt tibi pignora curæ,
Hoc vnum (& certè parua precamur) age;
Obſequium ſuade iuueni: fac, iuſſa faceſſat;
Quæque omnes faciunt, ne facere ipſe neget.
Non ego proceras, iubeo, radicitus ornos
Eruat; aut pardos ille, tigreſque domet.
(Res tamen & tantas, hàc ſi mercede iuberem;
Tanto etiam merces digna labore foret,)
Quod iubeo, factu, vel te, graue, iudice, non eſt.
Quippe, fame, iubeo, ne crucietur, EDAT.
Quid, ſi virus edat? Iubeo, quæ fercula, noſtras
Inter lautitias, prima putantur, EDAT.
Hoc ſatis. I felix, iuuenemque induce; parato
Mandere ne iuſſa abnuat ore dapes.
Nate, quid expectas? Ego te huc inducere, Mater;
O' verè exitio facta nouerca tuo.
Quin prius & tellus patula mihi fauce dehiſcat.
In-

Inque meam recidant fulmina mille caput,
Quam tibi prodendi patrij ſim Numinis autor;
Aut vetitos iubeam tangere lege cibos.
Nam Syrium, fac multa tibi, fac, magna Tyranum
Præmia munifica ſoluere velle manu:
Fac, promittat opes, quantas vix poſſidet ipſe,
Deque ſua partem cedere ſorte velit:
Tu vili mercede DEVM? tu ſidera, vendes?
(Vilis erat certe fratribus illa tuis.
Tu fragilem vt ſerues morituro in corpore vitam,
Perpetua vitæ ſorte carere voles?
Tu modicis tradas ne membra caduca fauillis,
Membra dabis Stygijs non moritura focis?
Deniq; vt Antiochi (quātū hoc?) numereris amicus,
Viu', tuus vt te hoſtem clamitet eſſe DEVS?
Hoc, ſcio te, ſcio, velle nequis Spem noſter inanem
De me, deque mea prole Tyrannus alit
Iam fratres monuere tui. Quibus omnibus vnus
Tu, quamuis cupias degener eſſe, nequis.
Idem ſanguis ineſt; & lacte rigatus es illo,
Vbera quod labris noſtra dedere tuis.
Inde graues vteri per ego patruſque labores;
Et per quæque tibi grata fuere precor:
Aſpice ſidereis lucentes ignibus orbes,
Aſpice, quas peragrat lunaque ſolque vias;
Illa tibi patria eſt; illuc iter. Omnia treſſis
Cetera ſunt; habeat, qui volet, iſta ſibi.
Tu cælum contentus habe. Sine curribus illuc,
Et nullis illuc, cum lubet, itur equis.
Ipſe pudes etiam poſcenti impende tyranno;
Eſt via per nullos illa terenda pedes.
Inuenere viam fratres, nihil ambige, troncis
Artubus: & trames certio iſte fuit.
I, ſequere Et certè, (video dudum ipſa) ſequeris;
Vltima pars pompæ veſtræ, ego Mater, ero.

Finis Libri Secundi.

B. IACOBO IAPONIO
e Societate IESV,
RELIGIOSO
E MERITO SENI
ET
PER ILLVSTRE CRVCIS
MARTYRIVM
RVDE DONATO
SED SOLLICITO
ALIORVM PATRONO
HOC TERTIVM
HEROIDVM VOLVMEN
AVCTOR.

HE-

HEROIDVM EPISTOLÆ.

LIBER TERTIVS.

I.

ARGVMENTVM.

ECCLESIA Militans, de ſuis periculis apud Triumphantèm conqueſta; Stygij Draconis odium & inſidias, quas proli ſuæ ſibique ſtruxerit: Inde Neronis rabiem; ſæuitiem Domitiani; Diocletiani furorem, quo barbarè, ferro flammaque graſſati, ſanguinem Chriſtianum nomenque excindere laborarint, flebili oratione exponit. Opem idcirco à ſorore, iam incolumi, & rerum potiente, exul adhuc ipſa, & præſentibus anxia, depoſcit. Ex apocalipſi S. Ioannis cap. 12. & 13. videndus Ludouicus Alcaſsar ibidem. Cornel. Tacitus. Baronius, &c.

ECCLESIA MILITANS, Triümphanti.

DE TYRANNIS SÆVIENTIBVS.

SÆpè laboranti Soror implorata Sorori,
Poſceret aduerſis cum ſibi rebus opem,
Nunc eadem placidas dabis exorabilis aures.
Cogitur illa ſuas cum duplicare preces.
Tu dulcem Elyſij vitam inter aromata prati,
Ebria perpetua nectare fontis, agis.
Et quacunque præit mollem per Amaracon Agnus

Proxima ductori tu comes ire ſoles:
Ingenuumque canis lætanti gutture carmen,
Quale redux victo victor ab hoſte canit.
Aſt ego mæſta ſolo, procul illo à carmine, vitam
Hæu, quam diſſimili conditione, traho,
Nec tamen inuideo fortunæ liuida tantæ;
Dum mea ſors oculis ſit miſeranda tuis.
Omnia ſepta metu: veluti iam iamque ruentes
Cum deprenſa videt cerua timetque canes.
Aut qualis, gyrante parat per inania miluo,
Vndique præcluſam viſa Columba fugam,
Nec magis extimuit, quæ quondam valle reducta
Vicinos inter dormijt Agna lupos.
Sed quid parua meis exempla timoribus apto?
Has ego riderem, ludicra monſtra, feras,
In clades portenta meas maiora laborant,
Apta vel aſpectu quemque necare ſuo.
Quà me cunque fero, Stygij fremit ira leonis,
Exertoque omnes obſidet vngue vias,
Et prædæ cupiens, patula mihi fauce minatur,
Torrida perpetua ceu gerat ora fame.
Cui licet arreptis occurram ego peruigil armis,
Peruigil occurrit ſæpius ille mihi;
Intenditque dolos; & qua veſtigia pono,
Hac prior inſidias clamque palamque locat.
Vtque ferox itidem mutata per ora recurrat,
Mille ſolet formas fingere, mille feras,
Mille tamen formas licet induat; omnibus idem
Et furor in formis ſemper, & horror ineſt.
Fortè propinquabant maturi tempora partus,
Dandaq; iam primæ pignora prolis erant,
Ecce Draco! Superi, hunc procul; hũc, arcete draco-nẽ)
Tetrius adſpectu nil nec Auerna vident:
Monſtrum informe, immane, ingens: cui guttura ſeptem;
Et ſeptem horrendis ardua colla iubis.
Et totidem ora, truces oculis vibrantia flammas;

Hydra

Hydra putaretur:Sed minor Hydra fuit.
Luxuriant ſeptem impoſito diademate frontes.
(O'Superi, in monſtro quid diadema facit?)
Dena rigent capitum deformi cornua cultu;
Et formidatum ſingula robur habent.
Lingua triſulca micat: fumoque nocente venenat
Aera; & afflatu ſtagna lacuſque cremat.
Hic talis mihi bella Draco ſobolique parabat,
Edita cum primæ pignora prolis erant.
Quid facerem, vacuos fera cum laxaret hiatus,
Paſtura ingluuiem me Pueroque ſuam?
Fulmine ſi poſſem rabidi icere monſtra Chelydri;
Icta repentino fulmine monſtra forent.
Ad mea ſi poſſet mihi vota dehiſcere tellus;
Hauſta foret rupto protinus Hydra ſolo.
Non clypeus, non arcus erat. Fuga ſola placebat:
Sed deerat placitæ porta patrona fugæ.
Ergo preces, & vota paro; neque caſſa. Rogatus
Attulit oratam Numinis Ales opem:
Euexitque meam cæli ad ſublima prolem;
Additaque eſt humeris Ala miniſtra meis.
Hac ope, freta, feros effugi præpere rictus,
Rapta per ignotas in loca ſola vias.
Hei mihi! quàm toto cupij indulgere volatu?
Meque in ſidereas vſque leuare domos?
Succubuit votis ingentibus ala: mihique
Debilis optatum pluma negauit iter.
Hæc ſimul Hydra nouæ ſenſit patuiſſe quadrigæ
Effugia, & volucres ad mea vota Notos,
Infremuit, ſeptemque iubas, & colla ſupinans,
Inſequitur curſus, ſibila turba, meos,
Torrentemque caua laxati gurgitis aluo,
Poſt mea nequicquam terga profudit aquam.
Spes erat, effuſo fugientem mergere ponto,
Aut volucri implicitos amne rotare pedes.
Adfuit auxilio Tellus; & hiantes liquentes
Fluminis obſcæni ſorbuit ore minas.

Sic rabies eluſa feræ eſt. Ibi cuncta pauenti
Parua mihi eſt modici temporis acta quies.
Nunc alia ex alijs inſtaurat bella: nouoque
Nulla metu vacua eſt, nulla dolore, dies.
Coniuraſſe putes Erebum, Stygioque colonos
In mea damna omnes proſilijſſe lacu.
Proluſit Phlegethon, cum toruum prima Neronē
In cladem docuit ſigna mouere meam.
Ipſe potes meminiſſe, ſoror, quanto ille nocentes
Lauerit immeriti ſanguinis imbre manus.
Defecere mea laſſę in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis Arena cruorem.
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugalis; ſcenamque alit vna voluptas,
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: Tunicàue moleſta
Intextos, lenta viuere morte iubet,
Aſt alios atra piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios, ſumptaque ferarum
Pelle, iubet alias aſſimiliare feras.
Mox acti rabie, venatica turba, moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt:
Dumque vrſos aproſque putant, Actæonas ipſos
Ignari, & dominos, plebe iocante, vorant.
Sed lan are canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vtque cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt; aut geminum pertudit haſta latus,
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros.
Deſierat Nero ſerò ſuos vbi ludere ludos,
Prodijt in ludos Flauia Sica nouos.
Prodijt, & noſtro ſe ſanguine proluit, alter
Viſus vt in viuos ſic redijſſe Nero.
Pòſt aliæ, atque aliæ ſubierunt ordine peſtes:

Vix

Vix,fuerit grauior quæ,leuiòrue,ſcias.
Supremam impoſuere manum,duo monſtra. Nefandam
O'ſuperi , & plenam ſanguinis imbre.manum;
Mitior ambobus Pharij fuit aula tyranni ,
Edita qui rapida pignora merſit aqua.
Nec ſitijt tantum Buſiridis ara cruorem,
Quique ſuos atro viſcere pauit equos .
Horret adhuc animus.Natosq;patresq;trahebant ;
Auulſasque ſocru vana gemente,nurus :
Ignarasque tori(viſu crudele!)puellas ,
Tardigradosqué genu deficiente,ſenes;
Et pueros, & anus.Erat hic,erat omnibus,vna,
Vna,ſed innumera mors obeunda via .
Qualis , vbi glandes concuſſa Aquilonibus ilex
Deijcit,aut canas algida bruma niues:
Aut quales refugo geminantur in æquore fluctus,
Mota procelloſo cum fremit vnda Noto.
Talia per crebras glomerabant funera cædes ;
Nec numerus iuſſæ,nec mora,mortis erat.
Millia dena vnus,ſeptenaque millia, menſis
Cum raperet,paucos eſt ratus eſſe furor.
Turba cruenta cauas larium ſcrutata latebras
Eruit è terræ,qui latuere,ſinu.
Omnibus Ara locis aderat:raptosque iubebat
Impia ſacrilegis ponere tura focis .
Non fora mercator;non littora,tutus adibat :
Nemo ſuburbani prædia tutus agri .
Anxia plebeium licitari ſanguine panem ,
Sanguine venalem turba ſolebat aquam.
Ipſaque conſcriptos arcebat Curia Patres ,
Ni prius oratos cerneret eſſe DEOS.
Quos Stygio cultum piguit deferre colubro ,
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit ,
Aut tumido merſos obruit vnda ſolo ,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo ,

Aut putrida inſoſſos exanimauit humo.
Hos leuibus iaculis,& acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis,
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,
Hos auido forceps carpſit aduſta foco.
In medios ſerram deſcendere vidimus artus,
Et fiſſa in partes hieſcere membra duas.
Vidimus accenſos oleo flammante lebetes,
Et Siculo fuſos ære ſonare boues.
Vidimus inſontes conuulſo crine puellas
Raptari ad Paphiæ ſacra pudenda deæ.
Vidimus exciſos inhonora clade papillas
Virginis; & laceras dente vacare genas.
Vidimus,& quid non? Procul,ò procul,ite clientes,
Quos potis eſt mortis ſollicite timor.
Ite citi,& ſiluas,fætæque cubile leænæ,
Horridaque Hircanæ luſtra ſubite feræ;
Tutior illa domus. Iuuet inter inhoſpita vitam
Degere Teſqua: minus illa cruoris habent.
Hæc ego. Mox totas implebant agmina ſiluas,
Thebais anguſtos queis dabas vmbra ſares.
Longa fames illic,illic ſitis arida ſemper,
Et vigiles ſemper nocte dieque preces.
Nuda gelu torpent alterno corpora nudus.
Æſtibus alternis torret arena pedes:
Sunt quibus exiguæ Cereris fragmenta miniſtret
Ales,& ambeſam portet ad antra dapem:
Sunt,quibus arentem depellere lacte ferino
Non intermittat ſedula Cerua ſitim.
Mora fouent alios è duris lecta rubetis,
Silueſtreſque inter vilia corna nuces.
His epulis ſaturum eſſe gula eſt; Cenatur abundè
Tam leuis ante inopem cum tepus eſca tamen,
Aſt Alij in Cryptas, immani hypogæa receſſu,
Spontè mori cupidi,ne moriantur,eunt.
Hic lacrimis planctuq;DEVM,Cælumq;fatigant,
Atque odio:quicquid terra propinat,habent.

Nam

Nā quid habet pulchrū;quid nō inamabile Tellus
Talia ſi niſu perpete monſtra parit?
Hos,ſuperi, hos partus auertite! Fecit abortus
Terra ſat in IOVIIS, Herculeſque duos.
Encelados potius, ſinite immaneſque Typhæos
Rurſus,& angui pedes fæta gigantis alus.
Nil ſibi terrigenis è fratribus Aſtra timebunt?
Sed ſolium a Iouijs,Herculeiſque timent.
Admiſcere preces; geminiſque irata Tyrannis
Aſtra diem intenta dicere lite iubent.
Dicta repentè dies.Alterique à Vermibus; alter
Turpiter effracta diſperiere gula.
Hinc optata quies, partæque ſerena quietis
Tempora: ſed parua tempora clauſa mora,
Altera continuò cæpit Draco tela minari,
Tela,bis inferno terque recocta foco.
Deficior charta,guttiſque cadentibus albet
Sæpia: tanta oculis defluit vnda meis.
Feſſaque iam manus eſt,& dudum penna dolori,
(Scribere tuſſa) meo ſe negat eſſe parem,
Interea felix miſeræ Hermana ſorori,
Quam potes,& quantam res petit,affer opem.

II.

ARGVMENTVM.

CONSTANTINO Caeſare, imperium moderante, Orcus, cum in Chriſtianos ſauire, Tyrannis iam exarmatis, nõ poſſet; ad hæreſes ſerenda conuerſus Ariũ & Iconomachos excitauit: mox Orientem ſchiſmate confudit: poſtremò, Lutherum, Caluinumque (infamia portenta) Occidenti immiſit: qui omnes Militantem Eccleſiam, ditius, multo, quam vili Nerones, carperent & lacerarent. Super eâ re, per litteras Eccleſia Militans, cum Triumphante conqueritur: eiuſque auxilia, aduerſus hoſtem inteſtinum, non ferro, veneno graſſantem, implorat Ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis, Baronio: Surio. Alijs.

EADEM, EIDEM.

DE HERETICIS GRASSANTIBVS.

FALLIMVR? an primis mea littera plena querelis,
Venit in agnatas, iam tibi lecta manus?
Venerit ò vtinam! Spe non ego nitar inani,
Et placuiſſe meas, & valuiſſe, preces.
Altera nunc primæ ſuccedit epyſtola; quòdque
Littera tentarat prima, retentat iter.
Materies in vtraque dolor, lacrimæque nouique
Semper, ab inſidijs excidijſque metus.
Nam ſimul ac ſocio cum Cæſare Dalmata Cęſar
In ſtygijs pœnas eſt dare iuſſus aquis,
Auſpicio ſubijt meliore Britanus; & orbem
Subdidit arbitrio Cæſar vtrumque meo.
Tum delubra grauem traxere profana ruinam,

Et caluere ſuo Diqne Deæque rogo;
Spargereque inſantem ceſſauit Acerra vaporem;
Cum ſua ſacrilegum perderet ara Iouem.
At noua ſurgebant excelſis Templa columnis;
Pæne ſuis nubes auſa ferire tholis.
Lucebant adamante Cruces: fixumque receptæ
Signum in regali fronte ſalutis erat.
Quis dolor hic Erebi, cum totius orbis habenas
Inuidus in noſtra cerneret eſſe manu?
Cum faſces parere mihi? & diademata regum,
Regiaque ante meos ora iacere pedes?
Nil, ait, ergo fera, nihil enſe, nec igne, Nerones,
Totque alios odio nil potuiſſe ſuo?
Semper ab occiſis plures oriuntur: & vno
Intereunte, patent in ſtatione decem.
Scilicet, eſt numeri Mors vberioris origo:
Inque ſuo mortes ſanguine ſemen habent.
Conſilijs cruor ipſe meis, qui funditur, obſtat.
Experiar, tecto quid furor enſe queat.
Dixit; & ex omni Furiarum plebe, Ceraſtas
Mille, parare ſibi mille venena iubet.
Mille Meduſa ſuo dedit illi è crine Megæra ſuo.
Mille alios illi crine Megæra ſuo.
Rurſum alios mille, atque alios plus mille datura
Tiſiphone (ſi plus ille iuberet) erat:
Impulit hos Acheron, tacitis irrepere ſignis,
Per non ſeruatas in mea caſtra vias.
Irrepſere feri, legio Lernæa dracones,
Et ſubitis paucos implicuere dolis:
Sparſeruntque aconita vijs, quæ tacta, medullas
Illicet infami corripuere lue.
Mox vulgata lues, lateque vagata, veneno
Intulit, heu, caſtris qualia damna meis!
In votis Nero rurſus erat, Nilotide ripa
Cum vaſtare mea cœpit Arius oues,
Non Lybia, non ille Aſia frenatus; ad ipſos
Extulit Euxini ſe maris vſque ſinus:

Et

Et Latiam fœdauit humum. Iamque orbis Arij
(Hui pudor!) eſt fieri viſus vterque cliens.
Vita ſed infandum ſunt illa denique monſtrum:
Et data conueniens ilibus vrna fuit.
Huic propior, Pelagi balæna pudenda Britanni
Prodijt, orſa meum dilaniare gregem..
Mox Bizantino ſe littore bellua Neſtor
Extulit: at ſubitis vermibus eſca fuit.
Armenios quis deinde tibi, qui narret Iſauros'
Theophiliſque alios, Copronymiſque lares?
Non ita Trinacrio furit Ætna Sicana camino;
Non ita Campano Veſuuia flamma foco;
Qualibus hos furiis agitatos, ſacra videbam
Vertere ſacrilegas in monimenta manus.
Auulſos Latio diſcordia vexat Achiuos,
In Romam veterem, dum noua Roma fremit.
Sæpè laboratur, poſitis vt amica duellis
In placidum, flexo tramite, fœdus eat.
Illa viæ cæptique tenax, audire recuſat;
Et meliora videns, deteriora probat. (num,
Inde grauem paritur (mala vix memoranda) tyran-
Barbaricoque gemit preſſa fremitque iugo.
O ſapiat, redeatque tamen, vel fera! Gementi
Sentiet amplexus illa patere meos.
Sed quid ego longa veteres ambage dolores
Perſequor: orta nouis eſt mihi Lerna malis.
Nuper ab Arctois halante Trionibus aura
Proſiluit ſtygio pota Rubeta lacu:
Euomuitque nocens imputo è gutture virus,
Virus Dyperboreis exitiale plagis.
Hoc Iſtri Rhenique caput, ripaſque potentes
Polluit, indigena quas lauat Albis aqua.
Hei pietas! hei priſca fides! quæ Teutonas olim
Conſpicuos terris cælitibuſque dabas:
Quàm longè patriis hæc te fera tranſtulit oris?
Quis ſtatus exilii, quis modus, huius erit?
Cerne, ſuo careant vt auita ſacraria cultu!

Nu-

Nudaque contempto mæreat Ara DEO!
Vittatam vt raperet,chorea plaudente,Lacænam,
Clauſa cucullatus rupit Aſyla Paris.
Rupit:& exemplo neptes,præeunte, nepoteſque
Hac didicere ſuos dote parare toros.
Et necdum,ò ſegnis,necdum Collina dehiſcis!
Pridem erat hæc gremio digna caterua tuo.
Ecce, aliud Rhodani fugiens à littore monſtrum
Excipit infauſto ripa Lemana ſinu.
Dira feræ facies. Armos liuentia ſignant
Lilia verſicolor cetera tergus habent.
Pallor in ore ſedet; Macies tegit oſſa. Fatentur
Ebria ſanguineas lumina fronſque minas.
Territa,quæ,ſuperis,quæ bellua proſilit?inquam:
Vultus ei Calui,neſcio cuius,ineſt.
Cerbera de ſtirpe venit, Prohibete ruentem,
O populi,& templis hunc prohibete canem.
Maior in hoc rabies. Plus hæc vomit vna veneni
Bellua,quàm ſtygio coquit olla foco.
Senſit Arar,canitque Liger;volucerque Garumna
Vindice latrantem terruit igne feram.
Gallica ſi terris ſata Lilia in omnibus eſſent,
Pulſa lues terris omnibus illa foret.
Belgica floreres:neque delibata Batauæ
Gloria, cum gentis religione fores,
Tuque etiam Regina tuo circumflua ponto
Inſula,tu tanto terra Britanna ſitu,
Nunc etiam templis ariſque decora maneres,
Et vetus ornaret nobile mitra caput.
Audirent ſolitos nunc templa tacentia cantus?
Et deſerta ſacras Ara calere preces.
Polluit hæc,eheu,decora omnia,polluit vno
Omnia latratu Cerberus iſte ſuo.
Quos ego tunc oculis afflicta madentibus imbres?
Quos gemitus,& quo preſſa dolore,dedi?
Viſcera ſi lento graſſetur in omnia ferro,
Intimaque in partes diſtrahat exta, dolor,

Æqui-

Æquius iſta feram, quàm ſi (lacrimabile!) cerna
Hanc mihi dilectas tabe perire plagas.
O vtinam voti ſit copia! tuque priores,
Qua præiere via, turba ſequaris auos.
Tunc tuus, ingenua quid dudum in fronte relucet,
Rurſus in arcano pectore Candor erit.
Illeque Gregorij, regnis impenſus auitis,
Incipiet precium rurſus habere, labor.
Et mea conſtabunt iterum mihi gaudia: Thuleque
Ibit in amplexus vltima terra meos.
Interea lacrimis ego mæſta pereunibus iuſto,
Cæleſteſque frequens in mea vota voco.
Adde preces, Germana, tuas, facilisque ſororem,
Quo licet, auxilio conſilioque iuua.
Nam pertæſa loci, iam dudum hoc carcere ſolui
Mens auet, inque tuos ire ſoluta lares,
Ipſa vides, quantis iactata carina periclis
Oceani medias anxia ſulcet aquas;
Nunc vicina ferit ſtridentibus aſtra procellis,
Tartara nudatis nunc videt ima vadis.
Nunc ſcopulis illiſa gemit. Nunc ſentit arenæ
In Libyca ſtructas Syrte latere minas.
Parte alia rabies terret Scyllæa; ſuasque
Inſidias alia parte Charybdis habet.
Quid memorem infames tibi, ſaxa Capharea, rupes
Quæque alias hauſit ſæpe vorago rates?
Non metuenda mihi ſunt ſola Ceraunia: Siren
Blanda meum cantu ſæpe moratur iter.
Quæ tamen vt multos hac voce fefellerit; omnes
Hac, licet vſque velit, fallere voce nequit.
Sunt aliqui, ceram qui caſtis auribus aptent,
Ad magicos pateat ne caua rima ſonos.
Sunt, ſua qui ſpinis & vepribus oſſa cruentent,
Hanc dolor vt blandas ſopiat arte faces.
Pars gelidos innare lacus aut ardua tentat
Nuda per hibernas membra rotare niues.
Pars etiam linguæ (victricia tela) reciſæ
Euo-

Euomit in Cyprias fruſta cruenta genas.
His ſtudiis,cantante meus Sirene phaſelus
Tranſit,& eluſa victor ab hoſte fugit.
Quippe iuuant Zephyri,plenis carcheſia velis
Per loca maturam carpere blanda fugam.
Effugiſse tamen quid erit,ſi pergat eodem
Anxia perpetuo cymba natare mari?
Pergit adhuc innare mari,perguntque recentes
Carbaſa perpetuo noſtra ferire Noti.
Ipſe meis iterum ſi Petrus inambulet vndis,
Fidere tam tumidis vix Petrus auſit aquis.
Da,faciam,biſſena cohors quod fecerat olim,
Cum quateret fragilem ſæua procella ratem.
Tum memini,riguiſſe metu,trepidoſque rogaſſe,
Surgeret oratam ferre magiſter opem.
Nec mora,ſurrexit:minimoque coercita nutu
Triſtis ab intacta puppe receſſit hiems.
Nunc mea cum ſimiles inceſſant lintea Cauri,
Quaſsatumque fremens ad latus vnda furat:
Quis virio dederit,parili ſi voce iubebo
Ad moderanda meum ſurgere vela ducem?
Surgat,& iniecto moderetur Nerea freno,
Optataque ſinat ſuppara pace frui.
Dumque diem caligo premit, noctemq; profundã
Alta fatigatis Luna gubernat equis,
Tu Cynoſura meæ poteris,SOROR, eſſe carinæ,
Nocturnamque Pharos tendere clara facem,
Tende facem,portumq; libens oſtende: Sorori,
Vna recepta Soror,non grauis hoſpes ero.

AR-

III.

ARGVMENTVM.

TRIVMPHANS Eccleſia, lacrimis, & querelis, quas apud ſe Militans depoſuerat, incenſa: ſororem ſpe futuri, conſolatur, cui vt præmij reſeruari magnitudinem oſtendat; Cæli Cælitumque venuſtatem, ad apographon S. Ioannis, rudi penicillo depingit. Simul admonet, durandum, & fortiter, ſi qua accidant, ferenda eſſe. Nullos Cælitum ad palmam; niſi ex pugna victoriaque perueniſſe. Exemplo Michaelem, eiuſque aſſeclas producit, qui & ipſi, prius quam triumpharent, in Draconem acerrimè depugnatur. Apocalip. S. Ioan. cap. 21. & 22.

ECCLESIA TRIVMPHANS Militanti.

DE CÆLI CÆLITVMQVE Felicitate.

CLauſa mihi geminæ cũ venit epiſtola chartæ,
Signa meæ dixi charta Sororis habet.
Nota probè manus eſt, nec decipit ora character.
Proditur affectu muta tabella ſuo.
Vtque reſignatam momenta per omnia legi.
Viſa fuit lacrimis vtraque nare tuis.
Adiunctura meas fueram, ſi flens liceret;
Cauſa grauis, lacrimas quæ duplicaret, erat:
At locus impedijt; ſibi totum ſola voluptas
Occupat, æterna pro ſtatione, larem.
Nam mera felices agitamus gaudia. Nullam
Affectare queunt huc mala veſtra viam.

Tu

Tu quoque (parua mora eſt) lacrimas vbi fuderit
omnes,
Aridaque emeritus liquerit oſſa dolor,
Hic ſuper & Lunæ,& nitidos Hyperiones orbes
Stelliferoſque ſedens conſpiciere globos.
Hæc tibi facta domus,qua decidit ille,rebelli
In ſtyga qui præceps cum legione ruit.
O quibus illa rholis?quibus eſt ea fulta columnis?
Et quibus eſt opibus plena boniſque domus?
Huius vbi formam bene videris;omnia,dices
Cetera ſunt oculis deſpicienda meis.
Interea donec mortalibus iſta videri,
Neſcio cur,oculis cominus aula nequit.
Aſpice (pigmento quanquam nimis impare)pictã,
Exprimit hic caſſa quam meus arte color.
Tenuia ſic patriæ fabricans ſimulacra viator,
Quem nequit ore locum cernere,mente videt.
Sic canit abſentem Tyrrhena per æquora portum
Nauita; quo rauca tædia voce leuet.
Et tibi fortè ferent eadem ſolatia, viſæ
Quas mea deſcribet penna, Sionis opes.
Grandia procerus qua brachia pandit Orion,
Diſponuntque ſuas Aſtra minora faces,
E dita quadratur lucentibus area campis.
Vrbe ſua dignus cælicoliſque locus.
Clauditur immenſo campi latus vndique muro,
Iugera metiri quem neque mille queant.
Nulla ibi Tænariæ ſordent cæmenta fodinæ,
Nulla Thaſos,vili nec lita calce Paros.
Tota ſed è ſolida conſurgit iaſpide moles;
Cui precij multum,plus tamen artis ineſt.
Biſſenis eadem ſubeuntur mænia portis,
Quas patula cardo ſeruat agitque ſera.
Liminaque & poſtes rutilant,& hyperthyra baccis
Concha parit clauſo quas Erythrea ſinu.
Infima murorum duodenis fabrica gemmis,
Nominaque in gemmis fert duodena ſuis.

Pri-

Sic rabies eluſa feræ eſt. Ibi cuncta pauenti
Parua mihi eſt modici temporis acta quies.
Nunc alia ex alijs inſtaurat bella: nouoque
Nulla metu vacua eſt, nulla dolore, dies.
Coniuraſſe putes Erebum, Stygioque colonos
In mea damna omnes proſilijſſe lacu.
Proluſit Phlegethon, cum toruum prima Neronē
In cladem docuit ſigna mouere meam.
Ipſe potes meminiſſe, ſoror, quanto ille nocentes
Lauerit immeriti ſanguinis imbre manus.
Defecere mea laſſę in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis Arena cruorem.
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugalis; ſcenamque alit vna voluptas,
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: Tunicàue moleſta
Intextos, lenta viuere morte iubet,
Aſt alios atra piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios, ſumptaque ferarum
Pelle, iubet alias aſſimiliare feras.
Mox acti rabie, venatica turba, moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt:
Dumque vrſos aproſque putant, Actæonas ipſos
Ignari, & dominos, plebe iocante, vorant.
Sed lan are canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vtque cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt; aut geminum pertudit haſta latus,
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros.
Deſierat Nero ſerò ſuos vbi ludere ludos,
Prodijt in ludos Flauia Sica nouos.
Prodijt, & noſtro ſe ſanguine proluit, alter
Viſus vt in viuos ſic redijſſe Nero.
Pòſt aliæ, atque aliæ ſubierunt ordine peſtes:

Vix

Vix,fuerit grauior quæ,leniórue,ſcias.
Supremam impoſuere manum,duo monſtra. Nefandam
O'ſuperi , & plenam ſanguinis imbre.manum:
Mitior ambobus Pharij fuit aula tyranni ,
Edita qui rapida pignora merſit aqua.
Nec ſitijt tantum Buſiridis ara cruorem,
Quique ſuos atro viſcere pauit equos .
Horret adhuc animus.Natosq;patresq;trahebant ;
Auulſasque ſocru vana gemente,nurus :
Ignarasque tori(viſu crudele!)puellas ,
Tardigradosque genu deficiente,ſenes;
Et pueros, & anus.Erat hic,erat omnibus,vna,
Vna,ſed innumera mors obeunda via .
Qualis , vbi glandes concuſſa Aquilonibus ilex
Deijcit,aut canas algida bruma niues:
Aut quales refugo geminantur in æquore fluctus,
Mota procelloſo cum fremit vnda Noto.
Talia per crebras glomerabant funera cædes :
Nec numerus iuſſæ,nec mora,mortis erat.
Millia dena vnus,ſeptenaque millia, menſis
Cum raperet,paucos eſt ratus eſſe furor .
Turba cruenta cauas larium ſcrutata latebras
Eruit è terræ,qui latuere,ſinu.
Omnibus Ara locis aderat:raptosque iubebat
Impia ſacrilegis ponere tura focis .
Non fora mercator;non littora,tutus adibat :
Nemo ſuburbani prædia tutus agri .
Anxia plebeium licitari ſanguine panem ,
Sanguine venalem turba ſolebat aquam.
Ipſaque conſcriptos arcebat Curia Patres ,
Ni prius oratos cerneret eſſe DEOS.
Quos Stygio cultum piguit deferre colubro ,
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit ,
Aut tumido merſos obruit vnda ſolo ,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo ,

Aut putrida inſoſſos exanimauit humo.
Hos leuibus iaculis,& acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis,
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,
Hos auido forceps carpſit aduſta foco.
In medios ſerram deſcendere vidimus artus,
Et fiſſa in partes hieſcere membra duas.
Vidimus accenſos oleo flammante lebetes,
Et Siculo fuſos ære ſonare boues.
Vidimus inſontes conuulſo crine puellas
Raptari ad Paphiæ ſacra pudenda deæ.
Vidimus exciſos inhonora clade papillas
Virginis; & laceras dente vacare genas.
Vidimus,& quid non? Procul,ò procul,ite clientes,
Quos potis eſt mortis ſollicite timor.
Ite citi,& ſiluas,fætæque cubile leænæ,
Horridaque Hircanæ luſtra ſubite feræ;
Tutior illa domus. Iuuet inter inhoſpita vitam
Degere Teſqua: minus illa cruoris habent.
Hæc ego. Mox totas implebant agmina ſiluas,
Thebais anguſtos queis dabas vmbra ſares.
Longa fames illic,illic ſitis arida ſemper,
Et vigiles ſemper nocte dieque preces.
Nuda gelu torpent alterno corpora nudos.
Æſtibus alternis torret arena pedes:
Sunt quibus exiguæ Cereris fragmenta miniſtret
Ales,& ambeſam portet ad antra dapem:
Sunt,quibus arentem depellere lacte ferino
Non intermittat ſedula Cerua ſitim.
Mora fouent alios è duris lecta rubetis,
Silueſtreſque inter vilia corna nuces.
His epulis ſaturum eſſe gula eſt; Cenatur abundè
Tam leuis ante inopem cum tepus eſca tamen,
Aſt Alij in Cryptas; immani hypogæa receſſu,
Spontè mori cupidi,ne moriantur,eunt.
Hic lacrimis planctuq; DEVM,Cælumq; fatigant,
Atque odio: quicquid terra propinat,habent.

Nam

Nã quid habet pulchrũ; quid nõ inamabile Tellus
Talia ſi niſu perpete monſtra parit?
Hos, ſuperi, hos partus auertite! Fecit abortus
Terra ſat in IOVIIS, Herculeſque duos.
Encelados potius, ſinite immaneſque Typhæos
Rurſus, & angui pedes fœta gigantis alus.
Nil ſibi terrigenis è fratribus Aſtra timebunt?
Sed ſolium a Iouijs, Herculeiſque timent.
Admiſcere preces; geminiſque irata Tyrannis
Aſtra diem intenta dicere lite iubent.
Dicta repentè dies. Alterique à Vermibus; alter
Turpiter effracta diſperiere gula.
Hinc optata quies, partæque ſerena quietis
Tempora: ſed parua tempora clauſa mora,
Altera continuò cæpit Draco tela minari,
Tela, bis inferno terque recocta foco.
Deficior charta, guttiſque cadentibus albet
Sæpia: tanta oculis defluit vnda meis.
Feſſaque iam manus eſt, & dudum penna dolori,
(Scribere tuſſa) meo ſe negat eſſe parem,
Interea felix miſeræ Hermana ſorori,
Quam potes, & quantam res petit, affer opem.

I I.

ARGVMENTVM.

CONSTANTINO Caſare, imperium moderante, Orcus, cum in Chriſtianos ſauire, Tyrannis iam exarmatis, nō poſſet; ad hareſes ſerenda conuerſas Ariū & Iconomachos excitauit: mox Orientem ſchiſmate confudit: poſtremò, Lutherum, Caluinumque (infamia portenta) Occidenti immiſit: qui omnes Militantem Eccleſiam, ditius, multo, quam vili Nerones, carperent & lacerarent. Super eà re, per litteras Eccleſia Militans, cum Triumphante conqueritur: eiuſque auxilia, aduerſus hoſtem inteſtinum, non ferro, veneno graſſantem, implorat Ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis, Baronio: Surio. Alijs.

EADEM, EIDEM.

DE HERETICIS GRASSANTIBVS.

FALLIMVR? an primis mea littera plena querelis,
Venit in agnatas, iam tibi lecta manus?
Venerit ò vtinam! Spe non ego nitar inani,
Et placuiſse meas, & valuiſſe, preces.
Altera nunc primæ ſuccedit epyſtola; quodque
Littera tentarat prima, retentat iter.
Materies in vtraque dolor, lacrimæque nouique
Semper, ab inſidijs excidijſque metus.
Nam ſimul ac ſocio cum Cæſare Dalmata Cęſar
In ſtygijs pænas eſt dare iuſſus aquis,
Auſpicio ſubijt meliore Britanus; & orbem
Subdidit arbitrio Cæſar vtrumque meo.
Tum delubra grauem traxere profana ruinam,

Et

Et caluere ſuo Dique Deæque rogo;
Spargereque infaſtem ceſſauit Acerra vaporem;
Cum ſua ſacrilegum perderet ara Iouem.
At noua ſurgebant excelſis Templa columnis;
Pæne ſuis nubes auſa ferire tholis.
Lucebant adamante Cruces: fixumque receptæ
Signum in regali fronte ſalutis erat.
Quis dolor hic Erebi, cum totius orbis habenas
Inuidus in noſtra cerneret eſſe manu?
Cum faſces parere mihi? & diademata regum,
Regiaque ante meos ora iacere pedes?
Nil, ait, ergo fera, nihil enſe, nec igne, Nerones,
Totque alios odio nil potuiſſe ſuo?
Semper ab occiſis plures oriuntur: & vno
Intereunte, patent in ſtatione decem.
Scilicet, eſt numeri Mors vberioris origo:
Inque ſuo mortes ſanguine ſemen habent.
Conſilijs cruor ipſe meis, qui funditur, obſtat.
Experiar, tecto quid furor enſe queat.
Dixit; & ex omni Furiarum plebe, Ceraſtas
Mille, parare ſibi mille venena iubet.
Mille Meduſa ſuo dedit illi è crine Megæra ſuo.
Mille alios illi crine Megæra ſuo.
Rurſum alios mille, atque alios plus mille datura.
Tiſiphone (ſi plus ille iuberet) erat:
Impulit hos Acheron, tacitus irrepere ſignis,
Per non ſeruatas in mea caſtra vias.
Irrepſere feri, legio Lernæa dracones,
Et ſubitis paucos implicuere dolis:
Sparſeruntque aconita vijs, quæ tacta, medullas
Illicet infami corripuere lue.
Mox vulgata lues, lateque vagata, veneno
Intulit, heu, caſtris qualia damna meis!
In votis Nero rurſus erat, Nilotide ripa
Cum vaſtare mea cæpit Arius oues,
Non Lybia, non ille Aſia frenatus; ad ipſos
Extulit Euxini ſe maris vſque ſinus:

Et

Et Latiam fædauit humum. Iamque orbis Arij
(Hui pudor!) eſt fieri viſus vterque cliens.
Vita ſed infandum ſunt illa denique monſtrum:
Et data conueniens ilibus vrna fuit.
Huic propior, Pelagi balæna pudenda Britanni
Prodijt, orſa meum dilaniare gregem..
Mox Bizantino ſe littore bellua Neſtor
Extulit: at ſubitis vermibus eſca fuit.
Armenios quis deinde tibi, qui narret Iſauros
Theophiliſque alios, Copronymiſque lares?
Non ita Trinacrio furit Ætna Sicana camino;
Non ita Campano Veſuuia flamma foco;
Qualibus hos furiis agitatos, ſacra videbam
Vertere ſacrilegas in monimenta manus.
Auulſos Latio diſcordia vexat Achiuos,
In Romam veterem, dum noua Roma fremit.
Sæpè laboratur, poſitis vt amica duellis
In placidum, flexo tramite, fædus eat.
Illa viæ cæptique tenax, audire recuſat;
Et meliora videns, deteriora probat.
Inde grauem paritur (mala vix memoranda) tyrannum,
Barbaricoque gemit preſſa fremitque iugo.
O ſapiat, redeatque tamen, vel fera! Gementi
Sentiet amplexus illa patere meos.
Sed quid ego longa veteres ambage dolores
Perſequor: orta nouis eſt mihi Lerna malis.
Nuper ab Arctois halante Trionibus aura
Proſiluit ſtygio pota Rubeta lacu:
Euomuitque nocens imputo è gutture virus,
Virus Dyperboreis exitiale plagis.
Hoc Iſtri Rhenique caput, ripaſque potentes
Polluit, indigena quas lauat Albis aqua.
Hei pietas! hei priſca fides! quæ Teutonas olim
Conſpicuos terris cælitibuſque dabas:
Quàm longè patriis hæc te fera tranſtulit oris?
Quis ſtatus exilii, quis modus, huius erit?
Cerne, ſuo careant vt auita ſacraria cultu!

Nudaque contempto mæreat Ara DEO!
Vittatam vt raperet, chorea plaudente, Lacænam,
Clauſa cucullatus rupit Aſyla Paris.
Rupit:& exemplo neptes, præeunte, nepoteſque
Hac didicere ſuos dote parare toros.
Et necdum, ò ſegnis, necdum Collina dehiſcis!
Pridem erat hæc gremio digna caterua tuo.
Ecce, aliud Rhodani fugiens à littore monſtrum
Excipit infauſto ripa Lemana ſinu.
Dira feræ facies. Armos liuentia ſignant
Lilia verſicolor cetera tergus habent.
Pallor in ore ſedet: Macies tegit oſſa. Fatentur
Ebria ſanguineas lumina fronſque minas.
Territa, quæ, ſuperis, quæ bellua proſilit? inquam:
Vultus ei Calui, neſcio cuius, ineſt.
Cerbera de ſtirpe venit, Prohibete ruentem,
O populi, & templis hunc prohibete canem.
Maior in hoc rabies. Plus hæc vomit vna veneni
Bellua, quàm ſtygio coquit olla foco.
Senſit Arar, canitque Liger; volucerque Garumna
Vindice latrantem terruit igne feram.
Gallica ſi terris ſata Lilia in omnibus eſſent,
Pulſa lues terris omnibus illa foret.
Belgica floreres: neque delibata Batauæ
Gloria, cum gentis religione fores,
Tuque etiam Regina tuo circumflua ponto
Inſula, tu tanto terra Britanna ſitu,
Nunc etiam templis ariſque decora maneres,
Et vetus ornaret nobile mitra caput.
Audirent ſolitos nunc templa tacentia cantus?
Et deſerta ſacras Ara calere preces.
Polluit hæc, eheu, decora omnia, polluit vno
Omnia latratu Cerberus iſte ſuo.
Quos ego tunc oculis afflicta madentibus imbres?
Quos gemitus, & quo preſſa dolore, dedi?
Viſcera ſi lento graſſetur in omnia ferro,
Intimaque in partes diſtrahat exta, dolor,

Æqui-

Æquius iſta feram, quàm ſi (lacrimabile!) cerna
Hanc mihi dilectas tabe perire plagas.
O vtinam voti ſit copia! tuque priores,
Qua præiere via, turba ſequaris auos.
Tunc tuus, ingenua quid dudum in fronte relucet,
Rurſus in arcano pectore Candor erit.
Illeque Gregorij, regnis impenſus auitis,
Incipiet precium rurſus habere, labor.
Et mea conſtabunt iterum mihi gaudia: Thuleque
Ibit in amplexus vltima terra meos.
Interea lacrimis ego mæſta perennibus inſto,
Cæleſteſque frequens in mea vota voco.
Adde preces, Germana, tuas, facilisque ſororem,
Quo licet, auxilio conſilioque iuua.
Nam pertæſa loci, iam dudum hoc carcere ſolui
Mens auet, inque tuos ire ſoluta lares,
Ipſa vides, quantis iactata carina periclis
Oceani medias anxia ſulcet aquas;
Nunc vicina ferit ſtridentibus aſtra procellis,
Tartara nudatis nunc videt ima vadis.
Nunc ſcopulis illiſa gemit. Nunc ſentit arenæ
In Libyca ſtructas Syrte latere minas.
Parte alia rabies terret Scyllæa; ſuasque
Inſidias alia parte Charybdis habet.
Quid memorem infames tibi, ſaxa Capharea, rupes
Quæque alias hauſit ſæpe vorago rates?
Non metuenda mihi ſunt ſola Ceraunia: Siren
Blanda meum cantu ſæpe moratur iter.
Quæ tamen vt multos hac voce fefellerit; omnes
Hac, licet vſque velit, fallere voce nequit.
Sunt aliqui, ceram qui caſtis auribus aptent,
Ad magicos pateat ne caua rima ſonos.
Sunt, ſua qui ſpinis & vepribus oſſa cruentent,
Hanc dolor vt blandas ſopiat arte faces.
Pars gelidos innare lacus aut ardua tentat
Nuda per hibernas membra rotare niues.
Pars etiam linguæ (victricia tela) reciſæ

Euo-

Euomit in Cyprias fruſta cruenta genas.
His ſtudiis,cantante meus Sirene phaſelus
Tranſit,& eluſa victor ab hoſte fugit.
Quippe iuuant Zephyri,plenis carcheſia velis
Per loca maturam carpere blanda fugam.
Effugiſse tamen quid erit,ſi pergat eodem
Anxia perpetuo cymba natare mari?
Pergit adhuc innare mari,perguntque recentes
Carbaſa perpetuo noſtra ferire Noti.
Ipſe meis iterum ſi Petrus inambulet vndis,
Fidere tam tumidis vix Petrus auſit aquis.
Da,faciam,biſſena cohors quod fecerat olim,
Cum quateret fragilem ſæua procella ratem.
Tum memini,riguiſſe metu,trepidoſque rogaſſe,
Surgeret oratam ferre magiſter opem.
Nec mora,ſurrexit:minimoque coercita nutu
Triſtis ab intacta puppe receſſit hiems.
Nunc mea cum ſimiles inceſſant lintea Cauri,
Quaſsatumque fremens ad latus vnda furat:
Quis virio dederit,parili ſi voce iubebo
Ad moderanda meum ſurgere vela ducem?
Surgat,& iniecto moderetur Nerea freno,
Optataque ſinat ſuppara pace frui.
Dumque diem caligo premit, noctemq; profundã
Alta fatigatis Luna gubernat equis,
Tu Cynoſura meæ poteris,SOROR, eſſe carinæ,
Nocturnamque Pharos tendere clara facem,
Tende facem,portumq; libens oſtende: Sorori,
Vna recepta Soror,non grauis hoſpes ero.

Tu quoque (parua mora eſt) lacrimas vbi fuderit
omnes.,
Aridaque emeritus liquerit oſſa dolor,
Hic ſuper & Lunæ,& nitidos Hyperiones orbes
Stelliferoſque ſedens conſpiciere globos.
Hæc tibi facta domus,qua decidit ille,rebelli
In ſtyga qui præceps cum legione ruit.
O quibus illa rholis?quibus eſt ea fulta columnis?
Et quibus eſt opibus plena boniſque domus?
Huius vbi formam bene videris;omnia,dices
Cetera ſunt oculis deſpicienda meis.
Interea donec mortalibus iſta videri,
Neſcio cur,oculis cominus aula nequit.
Aſpice (pigmento quanquam nimis impare)pictã,
Exprimit hic caſſa quam meus arte color.
Tenuia ſic patriæ fabricans ſimulacra viator,
Quem nequit ore locum cernere,mente videt.
Sic canit abſentem Tyrrhena per æquora portum
Nauita; quo rauca tædia voce leuet.
Et tibi fortè ferent eadem ſolatia, viſæ
Quas mea deſcribet penna, Sionis opes.
Grandia procerus qua brachia pandit Orion,
Diſponuntque ſuas Aſtra minora faces,
E dita quadratur lucentibus area campis.
Vrbe ſua dignus cælicoliſque locus.
Clauditur immenſo campi latus vndique muro,
Iugera metiri quem neque mille queant.
Nulla ibi Tænariæ ſordent cæmenta fodinæ,
Nulla Thaſos,vili nec lita calce Paros.
Tota ſed è ſolida conſurgit iaſpide moles;
Cui precij multum,plus tamen artis ineſt.
Biſſenis eadem ſubeuntur mænia portis,
Quas patula cardo ſeruat agitque ſera.
Liminaque & poſtes rutilant,& hyperthyra baccis
Concha parit clauſo quas Erythrea ſinu.
Infima murorum duodenis fabrica gemmis,
Nominaque in gemmis fert duodena ſuis.

Pri-

Prima virens cinctu niueo tralucet Iaſpis,
Sapphiri rutilis altera gleba notis.
Mox vmbræ impatiẽs Adamus, & læta Smaragdus
Et vitrea clarus luce refulget Onyx.
Proxima Sarda loco; lapidemque imitatus & aurũ
Chryſolithus, gemino nobilis igne nitet.
Lucet ibi & puri color æquoris in Beryllo,
Sed puri minor eſt æquoris ille color.
Tum virides ſuetus ſimulare Topazius herbas.
Gemmifero ſtructum tergore portat onus.
Tum radijs auri, porrique virore colorat,
Fulgida ſubiectus mænia Chryſopraſus.
Hic violis pallens Hyacinthi gemma renidet;
Hic Tyrij formam cocci Amethyſtus habet.
Hac fundata baſi ſtant vrbis mænia: taliſque
Extima vallorum munit, & ima, lapis,
Intima quid porro depingere coner; & aulas,
Et plateas, verbis extenuare meis?
Omnia ſunt auro conſtructa Palatia puro:
Aurea calcandas ſternit arena vias.
Et quacunque pedes ſuperorum quilibet infert,
Excipit impreſſas aurea maſſa pedes.
Quin etiam vitrea fluuius pellucidus vnda,
Aurea tranquillum per vada carpit iter,
Qui mediam lymphis peragrans vitalibus vrbem,
Nectareo ripas irrigat amne duas.
Inde ſaluti feris ripa vtraque pota fluentis,
Arborea fætam ſtirpe maritat humum.
Nec poterit folio marceſcere ſilua caduco,
Floret enim æternis plena viretque comis:
Alternuſque ſubit per menſtrua tempora fructus,
Inque ſuo vitam ſemine fructus habet.
Hæc oculis bona mille tuis obiecta placebunt,
Et rapient oculos altera mille tuos.
Hęc tamẽ, hęc, nihili (quamuis ſint maxima) fient,
Viſa tibi clauſæ cum bona mentis erunt.
Aſpicit illa DEVM, viſoque moratur in illo,

Sæ-

Sæpeque iam viſum ſæpe videre cupit.
Ac veluti terræ conſpecta mapalia ſordent,
Aurea cum lacrimans eminus aſtra vides,
Sic mihi,dum cernunt mea cominus ora Tonantē
Ipſa,licet placeant,vix tamen aſtra placent.
Finge mero de melle dapes:tu Numine viſo,
Mille meæ, dices,mille valete dapes.
Mille Falerna ſitim properent ſedare!iubebis
Cedere ab intacta mille Falerna ſiti.
Adde cheles totidem,fidibuſque ſonora canoris
Plectra; meæ,dices,mille tacete cheles.
Ipſe ſuas Ganges, Induſque Hermuſque Taguſq;
Promat opes;omnes ire iubebis ope. (mus,
Sufficiet ſpectaſſe DEVM: Quod & Indus & Her-
Et Tagus & Gangès nullus habebit,habet,
Quodque boni eſt vſquam: bono id omne tenebis in illo:
Quodq;etiam eſt alibi nuſquam;ibi & illud erit
Hoc tamen, ò titulis tibi Numen amabile tantis,
Eſſe ſuo dignum vulgus amore negat?
Eſſe neget, tenebrasque amens noctiſq;profundæ
Phaſmata,poſthabita luce Tonãtis amet;
Tu, Germana,tuos ſapientior erige vultus,
Et,quo ſunt ſtudio noſtra videnda,vide.
Dumque ea ſunt oculis mortalibus inuia,fixam
Mentis in his aciem mænibus eſſe iube.
Quos ibi tu ciues?quot ibi mirabere reges?
Prole tua plena eſt,plena nepote,domus.
Omnibus inſigni radiant diademate frontes;
Omnibus æterna tempora luce rubent. (velat
Palma decora manus; humeros chlamys aurea
Defluit in dominos aurea palla pedes,
Blanda quies animos tenet: effuſoque voluptas
Duratura pios irrigat imbre ſinus. (nis
Nullus ab hoſte metus.Dolor exulat omnis;& om-
Languida qui poſſet membra grauare,labor.
At, ne falſa tamen te ludat opinio;tanquam
Per

Per mera ſit nobis otia parta quies ;
Sæua etiam nobis peperunt bella quietem ;
Partaque non parco ſanguine palma fuit,
Quiſque ſuam meriti varia ſumus arte coronam ;
Et nulla eſt vlli de ſide capta manu ,
Hanc gladio Paullus metuit: Cruce Petrus eandẽ,
Hanc lacrimis emit Magdala ; Schela feris .
Hanc Pelagi medijs Clemens inueit in vndis :
Hanc Cypris è medijs ignibus Afra tulit .
Emit & hanc,Phario generata puella Canopo ,
Dentibus : hanc vulſis altera virgo genis.
Trinacris hanc ſectis nurus eſt licitata mamillis;
Alteoa cæruleis hanc nurus hauſta vadis ;
Hãc Catharina rotis;hãc Nympha Britãna ſagittis
Hanc alijs aliæ centum,aliæque modis .
Quilibet hic,precio ſi vel maiore,Corona
Rurſus emenda,ſibi ſit ſua,rurſus emat .
Vſque adeò impenſæ non pænitet huius.Habere
Qualiacunque puta ; qualiacunque dabit.
Hæc ſubeunda prius,mortalibus alea cunctis ,
Peruia quam cæli porta patebit,erit.
Quondam eadem ſuperis fuit immortalibus ipſis
In Phlegetonteum pugna cienda gregem:
Cum grauis aligeram traheret diſcordia gentem,
Miſcerentque duos agmina bina duces :
Altera, collatis exſcindere ſidera dextris ,
Omniaque impoſito regna grauare iugo:
Altera tutari pugna cibus aſtra lacertis ,
Iuratamque DEO non violare fidem .
Infeſtis acies ſtetit auctorata maniplis
Vtraque , cum ſignis vtraque turba ſuis .
Illa,gerens picto vexillum informe colubro,
Errabat tumido ſpreta per aſtra gradu ,
Seq; DEO SIMILEM, ſtulta ambitione, ferebat,
Vix ipſum ſolio paſſa ſedere pari .
Non tulit hos animi legio Prætoria faſtus ;
Oppoſuitq; armis arma, viroſque viris .

Hæc

Hæc, niueo vexilla ſibi ſua pinxerat AGNO:
(Nulla minus poterat ſigea probare DRACO.)
Tela fuere CRVCES, & ineuitabile iam tum
Partibus aduerſis in CRVCE fulmen erat,
Nec mora, Celituum vox tollitur vna; QVIS ALTER
VT DEVS? aut maior quis cupit eſſe DEO?
Quiſquis erit, terra cæloque extorris agatur:
Aeſtuet in ſtygijs ille, gematque focis.
Hinc inimica ruunt effuſi in prælia; ſeque
Alterna feriunt, deijciuntque manu.
Lucifero pubes animes numeroſa, ſuæque
Ante alios formæ bella iuuenta, dabat;
Cauſſa, DEVSQVE ſuis. Dũ ſignifer ære rigentẽ
Improba LVCIFERI torſit in ora CRVCEM.
Intremuere poli. Subitis velut ignibus æther.
Cum ruit, & tactam fulmine terret humum,
Nutat Athos, dubiaque Othrys radice laborat,
Concuſſuſque ſua ſede vacillat Atlas.
Haud ſecus, impacta tremuit CRVCE Lucifer: Et mox
Cum ſocio præceps milite mile ijt.
Tartara dirupta crepuere voragine; pronoſque
Excepit piceo iuſſa cauerna rogo.
Hic vſti, veteres abolent fuligine vultus,
Oraque Lerneo verſa dracone herunt.
Non illis ibi forma prior: non illa remanſit,
Quæ quondam integris copia rebus erat.
Sed miſeranda loci facies, & turpis egeſtas,
Et ſitis, & iugi fæta dolere fames.
Ah, quoties tentaſſe pudet? pudet impia vanis
In ſocias turmas arma paraſſe dolis.
Sed ſerus poſt damna pudor: ſequiturque pudorẽ
Perpetuus, ſenſu non moriente, dolor.
At legio victrix meritis donata triumphis,
Iam ſtabiles inter præmia condit opes.
Iam ſudaſſe iuuat; iuuat occurriſſe ſupe rbis

Hoſti-

Hoſtibus; & manibus conſeruiſſe manus.
Dulce quieſcenti eſt, veteris meminiſſe laboris,
Et poſt longa rata prælia pace frui.
Verum vbi deiectis viduata rebellibus aſtra
Vidimus, & vacuis omnia mæſta locis,
Et deſolatas tot circumſtare cathedras,
(Tertia nam dominis pars erat orba ſuis)
Optabam agnatis habitata videre colonis
Sidera, nec ſocios ciue carere lares.
Nam, legio ſi ſola ſcelus fuit auſa rebellis,
In pœnas legio ſola rebellis eat.
Quid meruere mali ſubſellia nuda? Superbum
Ab fuit à vacuo crimen, abeſtque loco.
En quibus iſta nitent? quibus illa ſedilia gemmis?
Quos ea ſapphiros? quos adamantas habent?
Hoc nuper ſolio fulgebat Lucifer: iſto
Conſpicuus nuper ſignifer alter erat,
Hac alij rurſum, hac alij ſedere curuli,
Ingenio prompti quoque manuque, duces.
Nunc vacuus ſeſſore locus, quem duret in vſum
Neſcit; inſuetum triſtis INANE timet.
Da, ſubeant alij meliore propagine ciues;
Da, numeros felix impleat aula ſuos.
Sic ego. Sic numen: Priſcis hæc orba colonis
Aſtra; videbis, ait, mox fore plena nouis.
Nomina continuò Sellas ego nota per omnes
Conſpicor. O' oculis nomina læta meis!
Hic ſoror; hic inſcripta meæ numeroſe Sororis
Pignora; & innumerus cum pronepote nepos
Et ſeries prolixa patrum. Sua nomina cuique
Aurea: diuina cuique notata manu.
Nec fugit infernum ſucceſſio noſtra Draconem;
Dona videt natis iam ſua pacta tuis.
Inde dolor. Nec enim Lethæi flamma camini,
Tam grauis eſt illi, quàm grauis illa fuit.
Ringitur; & natos natorum, & quotquot ab illis
Naſcentur, rapta perdere matre, ſtudet,

Tu ſtudio,Germana,nihil terreberis iſto;
Maius enim ſtudium,quo fouearis,adeſt.
Præſentes animos viresque rogata miniſtrant
Sidera,dant nullis arma domanda minis.
Fortiter obniti Cocyto perge; breuesque
Perfer in aduerſa conditione moras.
Exiguum durabit adhuc labor:inde ſequentur
Præmia, perpetuo digna labore peti.
Tum Germana,graues ærumnas,ipſa videbis,
Quas ibi tu fueras paſſa,fuiſſe LEVES.

IV.

ARGVMENTVM.

ECCLESIA, *quæ Militante inter & Triumphantem media, PVRGANTIS vocabulum habet; quæque pios Manes, iam mortalitatem exutos & beatitudinis quidem ſecuros, ſed carcere ſubterraneo nondum ſolutos, continet: hac epiſtola, ſuas ſuorumque neceſſitates, ſorori ſuperſtiti, & adhuc Militanti, exponit: eamque vt opem ferre maturet, id eſt, vt vberes incendio reſtinguendo lacrimas (opportunos ijs ardoribus imbres) ſubmittere continenter perſeuerer, etiam atque etiam rogat.* videndi Scriptores de nouiſſimis Hominis.

ECCLESIA Purgans Militanti.

De Cruciatu Ignis Purgatorij.

OPTAT vti properas Cereris ſeges arida falces.
Aeſtifer albentes cùm Canis vrit agros;
Aut fugiens acres nemore in ſitiente moloſſos,
Irriguas Ceruus quærit anhelus aquas;
Aut decepta leui mendacis arundine viſci.
Rumpere lenta pedum vincula certat Auis;
Sic ego feſſa malo, longiſque ſepulta fauillis,
Et merito iuſti Carceris vſta foco,
Triſtibus hæc fugio nequicquam ergaſtula votis,
Et gemitu cælum deficiente peto.
Differor, heu, toties totieſque audita iubetur
Ah? nimium longas ferre repulſa moras.
O'poſſim interea tua ſaltem audire Sororis,
Mutuaq;

Mutuaque auditis reddere verba ſoror!
Sed prohibent vtrinque viæ, coramque ſerendis
Colloquijs, magni tramitis obſtat iter.
Reſtat, vt abſentes interpres epiſtola iungat,
Iungere præſenti quas nequit ore locus.
At qualis, Superi, qualis locus? Omnia carcer,
Et, ſi quid peius carcere carcer habet.
Iſte ſua me nocte locus circumſtat, & arcto
Non expugnandas occupat ære fores.
Vix penetrare queunt tenues SVSPIRIA rimas,
Et querulæ, Cælo diſſimulante, preces,
Cetera nulla patent: ſed ahenus vbique rigenti;
Poſtis habet ſolidas ex adamante ſeras.
Nec tamen hic Erebi, Ditiſque immitia regnant
Sceptra: procul noſtro ſunt ea iura foro.
Aſſiduis illic vlulant conuitia linguis,
Impiaque obſcæno murmure probra ſonant.
Noſtra DEVM laudant patienti incendia queſtu,
Et quamquam iratum pectora numen amant.
Hoc miſeri diſcrimen habent duo Carceris ignes;
Ignis habet pœnas cetera pæne pares,
Inſere ſis oculos ſi quà tibi parte fatiſcet
Rima: Poteſt oculis rima ſat eſſe tuis.
Illa tibi plures monſtrabit ſola dolores,
Quàm vigiles monſtret Luna ſerena faces.
Sed caue, ne refugo paueas exterrita vultu:
Mirus enim viſi carceris horror erit.
Hic ardente palus vnda vomit atra Mephitin.
Plenaque ſulfureo balnea rore parat.
Hic piceæ lambunt nebuloſa cubilia tædæ,
Et querulos vaſtant igne nigrante lares.
Nos medij prunis cadentibus vrimur, inter
Artifices qualis maſſa liquata focos.
Nos rota præcipiti diſcerpit ahenea gyro;
Nos abies fixo torret adacta veru.
Nos reſina coquit; plumbique liquentis, & æris
Horridus ignitis abluit imber aquis.

De ſcopulis illos, ſaxiſque minacibus illos
Subdita præcipites ſcindit acuta ſilex.
Aſt alibi tortor ſcuticis immanibus inſtat:
Verberaque elata librat ahena manu
Candentes alibi cuneos intorquet,& vncos.
Vulſaque ſtammifera forcipe fruſtra ſecat:
Et grauidis æquat commiſſa piacula plagis;
Nec venia eſt culpis vlla, nec vlla reis:
Quæ quondam fecere,luunt.Neque grandia ſolũ,
Sed, quæ vix oculis viſa fuere,luunt.
At,vtinam lacrimis ea tunc eluta fuiſſent,
Cùm lacrimæ precio non caruere ſuo!
Tunc redimi paucis potuiſſent omnia guttis.
(Inſcia quàm magni gutta valoris eras)
Nunc mea ſi toto madeant mihi lumina NILO,
Nil meus hic toto flumine NILVS aget.
Vincitur vnda foco. Veſtris eget imbribus ignis,
Victor vbi noſtram non timet ignis aquam.
Sæpe quidẽ, fateor(nec enim bene facta ſilebo)
Ad meà ſunt lacrimæ miſſæ hypogæa tuæ,
Affuſaque rogus cæpit miteſcere lympha,
Parsque fuit pænis dempta puſilla meis,
Sed pars magna manet. Tu pluribus vtere nimbis,
Et reliquas miſſo dilue rore faces.
Sentit opem mea turba tuã, nihil ambige,ſentit,
Vtque tuam porro ſentiat,optat,opem.
Aliger hoc certè mihi ſæpe renarrat Ephebus:
Cùm peregre noſtro victor in igne volat.
Tu quid agas,germana refert.Quam ſedula tẽtes
Sæpe meos miris meque Iuuare modis.
En, ait,illecebras ſoror vt pertæſa,perenni
Arida membra fame maceret,ora ſiti?
Vt ſtipe continua patulas exhauriat arcas!
Vt tenues fuſo ſubleuet ære tribus!
Præcipue,ſacris ea ſe ſimul applicat aris,
Pro miſera, viden',vt crebra ſorore litet!
Nunc eadem duro nudum latus ambit echino;

Incre-

Increpat adducto nunc ſua terga flagro,
Et modo fixa ſolo placandis ſupplicat aſtris,
Proque tua glomerat prona ſalute preces.
Hibernis modo corpus aquis immerſat; & artus
Implicat Aeolio conglaciata gelu.
His tua contendit ſopire incendia curis,
Inque tuas pœnas ſæpe ſubire ſoror.
Sic mihi Cæleſtis cum multa renuntiat Ales,
Neſcio quæ ſenſus permeat aura meos.
O ſuperi, meritis date vos, date, præmia tantis
Non reperit grates noſtra crumena pares.
Dũ loquor, innumeros miſero de carcere Manes
Ad ſua ſublimes conſpicor aſtra rapi.
Quæ ſpecies illos, quæ forma repente venuſtat?
Nullus ijs tacto næuus ab igne manet.
O fugiant plures, fugiant patrioſque ſoluto
Aëre lares, flamma non remorante, petant!
Quondam ego tota ſequar, ſed quondam; vbi lumina pro me
Mutata in fontes tota ſororis erunt.
Hei mihi! quando dies aderit? quando hora ſolutum
Quæ reliquum pœnæ nuntiet eſſe meæ?
Nam ſupereſt pars maior adhuc. Dum penditur aſſis,
Sunt pendenda ſuper mille talenta mihi.
Te penes ergo vides, quanto hic ego tempore reſtem.
Expectat LACRIMAS noſtra fauilla tuas.

Finis Libri Tertij.

LIBRO PRIMO

Scribit.

1. *EVA de terreſtri Paradiſo.*
2. *Eadem, de Caini parricidio.*
3. *Eadem, de ſuo exilio.*
4. *Tyran, de Mundi naufragio.*
5. *Sybilla de Babylonia turris faſtigio.*
6. *Maria, de Pharaone ſubmerſo.*

LIBRO SECVNDO

Scribit.

1. *Filia Iephtha, de Patris voto.*
2. *Regina Saba, de Salomonis Templo.*
3. *Eadem, de Salomonis ingenio.*
4. *Iuditha, de caſo Holoferno.*
5. *Heſtera, de deiecto Amano.*
6. *Machabæa, de Natorum ſupplitio.*

LIBRO TERTIO

Scribit.

1. *Eccleſia Militans, de ſæuientibus Tyrannis.*
2. *Eadem, de graſſantibus Hæreticis.*
3. *Eccleſia Triumphans, de ſuis gaudijs.*
4. *Eccleſia Purgans, de Purgatorijs flammis.*

RE-

RERVM NOTABILIVM SYNOPSIS.

ABELI deſideria)pag. 138.
Ara, 146
Vmbra, 145
Cædes. 147
Adæ mundique creatio. 138
Adæ,ſeu primi hominis deſcriptio. 139
Ægyptiorum pyramides. 169
Plagæ decem. 170.171
Ingreſus in mare. 175
Submerſio. 176
Alipius ſuam culpam exponit. 105
Amani Crux. 213.
Amoris paterni lis,Vtrum è filijs neci ſubducat. 56.
Angeli deſcriptio. 35.40.
Babyloniæ turris fabrica. 165
Demolitio. 166
Linguarum confuſio. 167
Beliſarij fames,& inopia. 71
Decora,& res geſtæ. 72.
Felicitas mutata. 73.& ſeq.
Cæcitas. 74
Beli tyrannis. 165
Apotheſis. 169
Cadaueris elati deſcriptio. 133
Carolus V.Imp.imperium abdicat. 122.
Cædis Theſſalonicenſis deſcriptio. 52
Cædis iniquæ exaggeratio. 53
Cæleſtis Patria,ſuſpirijs à S. Auguſtino Quæſita. 26.27.
Eiuſdem amænitas. 28.29.
Beatorum ciuium gloria,ſcientia,Voluptas. 29.

29. 30. & ſeq.
Eorundem pulchritudo. 35.36.40.41
Cæleſtium florum, & pomorum ſpecies. 39.41.
Conradini infelix pugna cum hoſtibus. 77
Fuga. 78
Mentitus habitus. ibid.
Captiuitas. 79
Damnatio. 80
Diluuij cauſæ. 157
Præludia. 160
Diluuij deſcriptio. 160.& ſeq.
Ceſſatio. 164
Eccleſia militans deſcribit Tyrannorum ſæuitiam. 220
Eadem Hereticorum furorem 226
Eccleſia Triumphans Beatorum felicitatem enarrat. 232
Eccleſia purgans graues Purgatorij penas ediſſerit. 146
Emanuelis Soſæ calamitas. 85.& ſeq.
Tempeſtas,& naufragium. 85.&c.
Fames, & captiuitas. 88.&c.
Coniugis Eleonoræ ac filiorum mors. 89
Soſæ epitaphium. 91
Euæ formatio. 140
Pomum. 150
Exilium. 152
Familia malorum. 154
Euſtachij Venatio. 45.46
Eiuſdem ob coniugem amiſſam dolor. 48
Item ob prolem ſublatam, 49.50
Eiuſdem ſomnium de coniuge,filijs recuperaris. 51
Fames extrema Gilimeri Regis. 65
Fames duorum Gilimeri Nepotum. 67
Fames Beliſarij. 71
Fa-

Fames Filij Prodigi. 98
Fortunæ inconſtantia in Eutropio a S. Chryſoſtomo deſcripta. 58
Funebris pompa. 7
Gladiatorum pugna in amphitheatro. 107
Hebræorum ærumnæ. 170
Querelæ. 174
Tranſitus maris. 175
Spolia. 173
Holopherni ſolium. 203
Sympoſium. 204
Ebrietas. 205
Cædes. 206
Heſteræ luctus. 209
Ingreſſus ad Regem. 210
Conuiuium. 211
Preces. 212
Iephthæ petris votum. 181
Iephtidis filiæ occurſus. 182
Syluæ. 183
Meditatio. ibid.
Inferni deſcriptio. 19.20.
Epulo apud Inferos cruciatus. 20.21.23.24.25.
Lazarus in ſinu Abrahæ. 22.23
Iudicij extremi præuius apparatus. 13
Mortuorum reſurrectio. ibid.
Reſurgentiam diuerſus aſpectus. 13.14
Chriſti D. ad iudicandum aduentus. 14
Examen. ibid.
Sententia. 16.17.
Iudithæ conſilium. 202
Ornatus. 203
Oratio ad hoſtem. 203.& ſeq.
Victoria. 206
Machabeæ Parænesis ad filium natu minimum 214.& ſeq.

Niuar-

Niuardus vitæ Religioſæ cupidus. 112.&c.
Noemi arca. 158
Familia. ibid.
Animalia in arcam eunt. 158.&c.
Paradiſi terreſtris deſcriptio. Flores,& arbores. 140.141.
Animalium ſubiectio. Rebellio. 140.151.
Pharaonis decem plagæ: Submerſio. Vide Egyptiorum plagæ.
S. Petri pænitentis lacrimæ ab Chriſtum ter negatum. 100 &c.
Trinæ negationis ſeriem ipſe enarrat. 101 & ſeq.
Prodigi filij calamitas,& fames. 93.& ſeq.
Romę ab Vrbano VIII. renouatę deſcript. 127.&c.
Salomonis regia,& ſolium. 190
Supellex. Familia. Horti, 191.192.
Templum cum ſua ſupellectili. 193
Sapientia Iudicium reſponſa. 195 & ſeq.
Sepulcri,& ſepulturæ deſciptio. 9.
2. S. Thomas Aquinas pro Caſtitate pugnans. 118.&c.
Zona candida Victor ab Angelis precingitur. 121
1. Tempeſtatis deſcriptio. 86.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMAN.

F I N I S.